


Sic propriis otiis consuluit Anno 1790.

COMMERCII

EPISTOLICI LEIBNITIANI,

AD OMNE GENVS ERVDITIONIS, PRAESERTIM VERO AD ILLVSTRANDAM INTEGRI PROPEMODVM SECVLI HISTORIAM LITERARIAM APPRIME FACIENTIS,

PER PARTES PVBLICANDI

TOMVS PRODROMVS,

QVI TOTVS EST BOINEBVRGICVS.

RECENSVIT

IO. DANIEL GRVBER.

HANOVERAE ET GOTTINGAE,

APVD FRATRES SCHMIDIOS.

cIↃ IↃ CC XLV.

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM.

Inter ceteras Germaniæ Academias ſuperiori ſeculo cum docentium celebritate, tum diſcentium multitudine, Argentinenſis et Helmſtadienſis vnæ omnium maxime floruerunt. Et in Helmſtadienſi quidem inter Theologos Georgivs Calixtvs; inter Iuriſconſultos Andreas Clvdivs et Henricvs Hahnivs; inter Medicos Hermannvs Conringivs, et inter Philoſophos Henricvs Ivlivs Schevrlivs, inter Oratores Christophorvs Schraderus, inter Mathematicos Ioannes a Felden caput extulerant. Hi omnes, quod ſuam quiſque diſciplinam longe accuratius nitidiusque, quam adhuc ab aliis alibi factum eſſet, tradere crederentur, tantam almæ Iuliæ famam conciliarunt, vt ad eam, veluti ad quemdam optimarum artium mercatum, non ſo-

lum vndique e Germania, sed etiam ex vltimo Septemtrione flos iuuenum conflueret omnis generis doctrinae cupidorum.

In primis diuturnum illud et ferale in Germania bellum, quo hinc pro imperio, illinc pro salute, pro libertate, pro aris atque focis dimicabatur, praestantiora ingenia erexerat ad veterem faciem Imperii cognoscendam, ad iura Caesaris et Ordinum, ad leges et consuetudines Germaniae addiscendas, et ad indagandum, quibus gradibus ac momentis per omnium seculorum decursum Respublica in eam formam constiſſet, quam pax vltima stabiliuerat. At tum notitia Imperii accurata, rerum ante gestarum fida memoria, iuris publici et ciuilis prudentiae cultura propemodum nulla fuit extra aulas. Hinc prodigio simile visum, surrexisse in scholis, ad quas liber omnibus accessus patet, homines, qui, in ista historiarum paupertate

tate et medii æui monumentorum raritate et penuria, priuato ſtudio eam partem eruditionis ſibi comparaſſent, qua ad enarranda ea omnia opus erat, et qua factum, vt rebus iſtis ſuum interponere iudicium poſſent. Horum doctrina, ex vulgatis ſubinde opuſculis perſpecta, tantam erudiri cupientibus ſitim excitauit, vt ad eam reſtinguendam non iuuenes modo frequentes accurrerent; ſed viri quoque, perſequendis vel componendis arduis litigiis adhibiti, lumen ab ipſis mutuarentur, dum conſulentibus de bello, de pace, deque re omni maioris momenti ſagatis togatiſque palliati reſponderent.

Quod itaque in ſuperiore Germania poſt reditum e Suedia IOANNI HENRICO BOECLERO; hoc in Saxonia multo maiori cumulo contigit HERMANNO CONRINGIO, Profeſſori quidem Medico; at in hiſtoriarum et iuris publici

ac omnis philoſophiæ et antiquitatis cognitione nemini ſecundo, et, quod maxime mireris, in ſacris quoque controuerſiis exercitatiſſimo. Erant in hoc viro, præter inſignes animi dotes, acerrimam iudicii vim, ſummam laboris patientiam, et miram in ſcribendo facilitatem, plura alia, aliis denegata, quæ eum apprime idoneum erudiendis aliis redderent. Non enim e ſolis libris vulgo proſtantibus ſapuit. Etenim initio Principis patriæ, quæ Friſia Orientalis fuit; tum Suedorum quoque ac Daniæ Regum per vices; poſtremo Sereniſſimi Ducis ſui Avgvsti Conſiliariis intimis adſcriptus, multa legit, multa vidit et audiuit, multa in conſeſſu veteranorum collegarum, præſente et præſidente Principum ſapientiſſimo, in vtramque partem, vt fieri ſolet, diſputata librauit et expendit, quæ ad nullius alterius doctoris Academici notitiam peruenerunt. Quibus caute adhibitis, non ſolum ſcriptis ſuis ſingularem concilia-

uit

uit gratiam, ſed etiam id effecit, vt, licet iucundius legeretur, quam audiretur, quoties ad docendum prodiret in cathedram, numquam vacua in aula latraret. Diſcipulorum eius per octo luſtra tanta multitudo fuit, vt poſtremis vitæ temporibus ex iis, qui ad curandam rempublicam et ad legationes obeundas, vel ad alia honeſtiora munera ciuilia admoti erant, pauci eſſent, qui non e ſchola CONRINGII prodiiſſent.

In his veluti anteſignanus quidam IOANNES CHRISTIANVS BOINEBVRGIVS fuit, Nobilis Haſſus, a. d. $\frac{2}{12}$ Aprilis 1622. natus Iſenaci: cuius feruidum et fœcundum ingenium ita perpoliuit CONRINGIVS, vt recens ab Academia ætatis anno viceſimo tertio idoneus iudicatus ſit, qui a Principe ſuo Landgrauio in Suediam Legatus mitteretur ad Reginam CHRISTINAM. Temporis et domi, et in Academiis, et in itineribus optime collocati indicium

non hoc quidem, quod fortaſſis in Aulicum quemcunque cadere poſſit, ſed potiſſimum ſtupenda in iſta aetate iam comparata eruditio eſt, quae pellucet ex epiſtolis iam tum e Suedia ad ſuum ante in Marburgenſi Academia doctorem, Dn. Ditericum, datis: in quibus nihil iuuenile; nihil quod non multam veterum et recentiorum omnis generis auctorum lectionem, iuris publici et priuati exquiſitam ſcientiam, et hiſtoriae omnis, in primis autem literariae, diffuſam cognitionem ſpiret.

E Suedia redux, a pluribus Imperii Principibus expetitus, conceſſit denique in familiam Principis Electoris Moguntini, in cuius Aula, vix triginta annos natus, cum ſacra mutaſſet, ad ſupremum honoris faſtigium adſcendit, Conſiliariorum princeps et ſupremus Mareſchallus creatus. Quo in loco nulla res maior in Imperio geſta, aut cum

ex-

exteris tranſacta eſt, cuius ipſe non pars magna fuiſſet. Vbi tria potiſſimum in eo admiranda eſſe cenſeo. Primum, quod vir tam in excelſo loco poſitus, in iſto multiplicium ac grauiſſimorum negotiorum cumulo, bonarum literarum ſtudia non minore ardore proſecutus eſt, quam ſi per ea demum e vulgo ſibi emergendum eſſet. Deinde, quod contractam ab ineuntibus annis cum viris doctis, et in primis cum Conringio, amicitiam, licet ab hoc, vt liberioris oris atque calami homine, toties amariſſime increpitus, mutuis epiſtolis vſque ad extremum vitæ halitum percolere non deſiit. Denique, quod ſtudiorum adiutores ambiuit præſtantis ingenii iuuenes, quos in contubernium receptos paterna indulgentia fouit, et ad altiora prouehere anniſus eſt.

Inſtar omnium facile ſit Godofredvs Gvilielmvs Leibnitivs noſtras, quem forte fortuna ſibi

oblatum, ſimulatque ingenium variarum ſcientiarum capax et appetens perſpexiſſet, in amicitiam et operarum communionem recepit, viris Principibus, et inter eos talibus præſertim, qui tum in caſtra Pontificia conceſſerant, impenſe commendauit, et amicis per Germaniam, Galliam, Italiam, Angliam et Suediam ita laudauit, vt vndique ad hunc epiſtolæ aduolarent: quibus cum ad amuſſim reſponderetur, natum eſt diffuſum illud et cum nullo alio, ſiue amplitudinem eius ſpectes, ſiue rerum et linguarum varietatem, ſiue multiplicis eruditionis excellentiam, facile comparandum literarum commercium, quod LEIBNITIVS cum viris doctiſſimis per totam Europam, immo et per Indiam, habuit, et a quo nulla vi, nullo otio vel negotio, abſtrahi ſe paſſus eſt, donec vltimum ſpiritum exhalaret.

Tantas opes publici iuris facturo e re viſum eſt, prodromi inſtar præmittere hæc, quæ vides,

Anec-

Anecdota Boineburgica, vt appareat, quantus vir fuerit ille fortunæ Leibnitianæ faber. Eadem opera et voto LEIBNITII, qui hæc partem ipse asseruanda duxit, et desiderio eorum, qui iam dudum BOINEBVRGII et CONRINGII mutuas epistolas legere gestiunt, obsecundasse videri queam. Versantur autem, vt ingentem rerum varietatem intra certos quasi cancellos constringam, in triplici potissimum argumento. Princeps et ceteris diffusius attingit potiora iuris publici nostri capita. Alterum pertinet ad historiam literariam, in qua plane regnat BOINEBVRGIVS, subinde commemorans, quæ CONRINGIVM latuerant. Tertium ad sacras spectat controuersias, quæ non sine bile agitantur, CONRINGIO BOINEBVRGIVM ad aras, a quibus discesserat, retrahere; BOINEBVRGIO vicissim CONRINGIVM in partes suas perducere moliente; nequicquam. Hinc cum neuter alterius argumentis cedere vellet, mira affectuum vicissitudine,

dine, ſtomachantur, rixantur, altercantur, deprecantur, reconciliantur: vt amantium iræ amoris redintegratio ſunt. Quæ in his certaminibus duriora hinc in Lvthervm, illinc in Pontificem effunduntur, ea mea non facio; quemadmodum nec omnia acerbius dicta in domum Auſtriacam. Neque enim, quod iam in Annales iuit, diſſimulari poteſt, Duumuiros noſtros non ſolum aduerſum ab illa Domo animum habuiſſe: quod quidem culpa vacare poſſit; ſed etiam ſtudiis ſuis in Galliam inclinaſſe, animoque et calamo militaſſe in caſtris Gallorum. Quod poſtremum vt patriæ amans nemo facile laudauerit, ita prius illud viris bonis condonandum videtur, qui ipſimet viuentes videnteſque experti erant, quam inimica libertati Principum Imperii fuerit vis Auſtriaca, Hiſpanicis conſiliis et opibus inflata. Sed hanc poſt amiſſam Hiſpaniam torpere vidimus.

Quid

Quid ipſemet in digerendis exornandiſque his cimeliis præſtiterim, multis enarrare parum attinet. Cuncta meæ limæ ſubiecta prius non dimiſi, quam ſenſum perſpicuum elicuiſſem, religioſe cauens, ne quid irreperet, quod culpa mea legentibus negotium faceſſeret. Hinc, licet in re aliena quidquam mutandi arbitrium mihi non ſumerem; præuidens tamen, ad palatum noſtri ſeculi non fore ſapientium ſuperioris temporis morem, quo ſatis erudite ſcribere ſe non credebant, niſi græca paſſim latinis interſpergerent, græca interiecta, quæ tamen ſunt pauciſſima, et fere in ſolis terminis technicis conſiſtentia, breui manu latina reddidi. Singulis epiſtolis princeps, quoad eius fieri potuit, argumentum præmiſi: quod ſi quando omnem ambitum non exhaurit, breuitatis ſtudio attribui velim. Vitio meæ gentis notulas alicubi ſubieci. Pleræque breuiſſimæ ad colligationem epiſtolarum

oſten-

oſtendendam; reliquæ ad illuſtranda loca quædam difficiliora, aut ad indolem magnorum virorum pernoſcendam comparatæ ſunt. In alia excurrere non libuit, ſcienti, quam difficulter ſe exteris probent longiores commentarii. Quibus ne quid nauſeæ crearetur, ab notarum mentione in titulo libri abſtinendum eſſe cenſui, tamquam rei non magni pretii. Pars altera proximis nundinis maiorem exhibebit rerum varietatem, eiſque interuenientem ſiſtet LEIBNITIVM, iuris vtriuſque Doctorem. Scripſi Hanoueræ a. d. X. April. cIↄ Iↄ CC XLV.

---

* * *

SICCINE, PARVE LIBER, SINE PRAEDIBVS IBIS IN ORBEM?
NEC, QVI NVTANTEM TE TVEATVR, HABES.
INCOMITATVS ABIS: SINE DVCTORE ATQVE MAGISTRO:
PARTVS VT EXPOSITVS, FORTE IACEBIS HVMI.
SI TAMEN HERBIPOLIS TREVIRVMQVE ANTISTITIS ARCES,
SIVE MAGONTIACI TECTA SVBIRE LICET;
INVENIES DOMINOS BONEBVRGI SANGVINE CRETOS.
HOS TIBI SI FACILES CONCILIARE POTES;
SIDERA SVBLIMI CONTINGES VERTICE. NAMQVE
HIS TIBI NON TOTO EST TVTIOR ORBE LOCVS.

ANECDOTA
BOINEBVRGICA
PER LEIBNITIVM
PARTEM E NAVFRAGIO SERVATA.

I.

Io. Philippus, Elector Moguntinus, Io. Christianum Boineburgium ad Pro-Cancellariatum S. R. Imperii promouere nititur apud Leopoldum Imperatorem.

An die Römisch-Kayserliche Mayestät von Chur-Mayntz.
Allerdurchlauchtigster &c.
Allergnädigster Herr.

Was Ew. Kayserl. Mayestät mir auf meine vorige allerunterthänigste Schreiben, worin ich Deroselben zu der vorietzt vacirenden Reichs-Vice-Cantzleriats-Stelle meinen Geheimbten Rath und Ober-Marschallen, Iohann Christian Freyherrn von Boineburg; *zu der Interims-Verwaltung aber den Reichs-Hof-Rath, Georg Ludwigen von Lindenspur, benent und angesetzet habe,*

hinwieder zu antworten allergnädigst beliebet, und welcher gestalt Sie sich dabey gegen mich nochmahlen erbiethen, mir an meinen zu Bestellung der Reichs-Hof-Cantzley hergebrachten, und so woll in der alten und neuen Reichs-Hof-Cantzley Ordnung, als Dero Kayserl. Wahl-Capitulation begründeten Iurisdiction und Gerechtsamen einigen Eintrag nicht zn thun, gleich Sie denn auch der tröstlichen Zuversicht gelebten, Ihro ich hinwieder zu dieser Function ein und anders Subiectum an ihrem Hoff, allermassen es zwischen Unserer beederseits Vorfahren iederzeit gehalten worden were, vorschlagen und benennen werde, zu deme so vvol Sie als ich ein volkommenes Vertrauen setzen könten, zumalen auch, so viel die Interims-Bestellung betrifft, dafür halten thun, sintemahlen der von Lindenspur, vvie sie vernehmen, vvegen seiner ietzigen Leibes-Unpässlichkeit, und sonsten obhabenden vielfältigen Reichs-Hof-Raths Geschäften sich von dieser Reichs-Vice-Canzellariat-Ambts Vervvaltung zu entschuldigen gemeinet seyn solle, es vverde mir auch nicht missfällig seyn, dass der Graff von Wolckenstein unterdessen der Expedition zu assistiren fortfahre.

Al-

Allermassen nun Ew. Kayserl. Mayl. sich gegen mich nochmahlen zur Handhabung des mir, als des Heil. Röm. Reichs Ertz-Cantzlern, in Bestellung der Reichs-Hoff-Cantzley-Bedienten, in Kraft *des Herbringens, Cantzley-Ordnung und Wahl-Capitulation competirenden Rechtens, und dass sie mir darin einigen Eintrag zu thun nicht gemeinet, so gnädigst löblich und vvol erkläret, vvofür ich denn auch deroselben hiemit vviderholten allerunterthänigsten Danck sagen thue; Also habe ich auch: um so vielmehr, der unterthänigsten Zuversicht* gelebet, *und zumahl ausser allen Zvveifel gestellet, dieselben vvürden es auch bey angeregter meiner, auf besagten meinen Ober-Marschallen in kraft dessen gethaner Benen-und Bestellung, ohne vveiters Bedenken, es also gnädigst haben bevvenden lassen, und zvvar desto mehr, vveiln alles, so etvvan deme zuvvieder angezogen vverden könte oder möchte, in Ew. Kayserl. Mayl. lobseeligsten Herrn Bruders Ferdinaudi IVti so vvol als insonderheit dero selbst eigenen beschvvornen Wahl-Capitulation allerdings vor unbündig gehalten, und zu mehrer Handhab-und Bestätigung des Reichs, mein und meines Ertz-Stiffts Rechtens, gantz auf-*

gehoben und cassiret; hingegen darin ausdrücklich versprochen und zugesaget worden, daß in Bestell-und Ansetzung dero Reichs-Hoff-Cantzley, so wol mit des Reichs-Vice-Cantzlers, als der Secretarien, Protocollisten und aller andern zu der Reichs-Hoff-Cantzley gehörigen Personen mir, als Ertz-Cantzlern durch Germanien, in der mir allein disfals zustehenden Iurisdiction, unter was Vorwand es sey, kein Eingriff oder Verhindernis geschehen, noch darin einige ziel oder maas gegeben, auch was hiebevor darwieder vorgangen seyn mag, zu keiner Consequentz gezogen, und wan ins künfftig etwas darwieder gethan oder verordnet werden mögte, vor ungültig gehalten werden solle, und dahero Ew. Kayserl. Mayl. von selbsten höchst vernünfftig allergnädigst zu ermessen, wie beschwer-nachdencklich, auch bey dem heil. Reich und meinem Ertz-Stifft unverantwortlich mir fallen würde, in einige Enderung (wie gerne Ich auch sonsten Ew. Kayserl. Mayl., so viel an mir, in allen an hand gehen wolte) zugehelen: und weiln durch solche Restriction, einen von Dero Hoff, und nicht von dem Reich, oder den Meinigen hierzu zu nehmen, meine gerecht-

rechtſahmen, und alſo eben daſienige, ſo mir durch die Capitulation zugeleget und bekräfftiget vvorden, gäntzlich vviederum umgeſtoſſen und entzogen vvürde, ob ich bey ſo bevvandten Dingen dieſes mir zukommendes unlimitirtes Recht, ſo ich von Ertz-Cantzcellariat-Ambts und Reichs-vvegen habe und trage, und ſo klärlich in der Wahl-Capitulation fundiret, und vvas darvvieder vorgenommen vvorden, oder noch vorgenommen vverden mögte, darinnen und von Evv. Kayſerl. *Mayl. ſelbſt caſſiret vvorden, dergeſtalt ohne verletzung meiner geleiſteten ſchvveren Pflichten bey ſeit ſetzen, und ohne ſonderbahres ohnerſetzliches præiuditz von der gethanen Beſtellung abvveichen könne.*

Setze hierauf zu Evv. Kazſerl. *Mayl. nochmaln die veſte Hofnung, und das unterthänigſte zuverſichtliche Vertrauen, daſs, gleich vvie Ich auch bereits in omnem euentum hiebevor deroſelben höchſtgedachten Herrn Vatern und Vorfahren Ferdinando III. glorvvürdigſten Andenkens gedachten meinen Obermarſchaln von Boineburg, auf damal beſorgten Abgang des iüngſthin verſtorbenen Vice-Cantzlers, Graff Kurtzens, eventualiter*

benennet und angesetzet gehabt, I. Kayl. Majest. auch bey seiner Person es bewenden lassen; Also auch Sie nunmehr dessentwegen kein bedencken tragen, noch mir, dass ich unverenderlich dabey bestehe, in Kayserl. Ungnaden vermercken werden: Wie ich denn E. Kays. Majest. allerunterthänigst vvoll versichern kan, dass gegen dieselbe und das heil. Reich er sich dergestalt, ohne eintzig ander Absehen, treu, eiferich, sorgfältig, embsig und fleissig ervveisen vvird, vvie es seine treue pflichten erfordern, und dass verhoffentlich E. Kayserl. Majest darob ein sonderbahres Vergnügen, auch auf Ihn Dero Kayserl. Vertrauen zusetzen, Uhrsach haben, und solches nicht bereuen vverden.

So viel sonsten die Interims, Bestellung des Vice Cantzlariats, biss Er, Freyherr von Böneburg, vvird aufziehen können, betrifft, da habe Ich zvvar von dem von Lindenspur noch nicht vernommen, vvas Er der aufgetragenen Administration halber zu thun gemeinet. Ich vverde aber auf anhoffende Einlangung Evv. Kayserl. Majest. allergnädigster Antvvort, nicht vveniger des Graven von Wolckenstein, alss des

von

*von Lindenſpurs vvegen, allenfals in Reſpect Evv. Kayſerl. Majeſt. mich alſo vvilfahrig erklären, daſs dieſelbe gevvislich darob ein gutes contento haben vverden. Und ich habe es Deroſelben in vviederantvvort gehorſamlich unverhalten vvollen; * Die ich dabey Gott &c.*

Datum Mayntz den 28. Aprilis. 1659.

II.

IO. CHRISTIANI BOINEBVRGII, e cuſtodia Moguntini Electoris dimiſſi, Epiſtola ad amicum intimum, IO. LINKERUM de LUXENWICK **

Francofurti d. 27. Martii 1666.

Mi domine Linkere!

Scribere occupo, quamquam reditionis tuæ inſ-

* Quod *BOINEBVRGIVS* magnis hiſce auſis excideret, in cauſſa fuit certum negotium, cuius fructuum percipiendorum gratia vltimo vitæ anno *LEIBNITIVM* Pariſios miſit. Natura negotii ex chartis inferius exhibendis diſpaleſcet.

** Huius magni et in negotiis publicis verſatiſſi-

inſciens. Quin autem vel tandem e Pannonia vlteriore reuerteris, non ambigo. Ceterum priſtinus adhuc durat rerum ſtatus. Landgrauius *ERNESTVS* nuper me heic domi meæ conuenit perclementer et comiter. Apud ipſum, prout ſcribit, Herus olim noſter mei præclaras, nec vnas, ſolito liberaliores in ſpeciem mentiones fecit, ſemper ingeminans carmen tritiſſimum: *eccur non ad ſe redeam? quare ipſius alloquium tam perſeueranter deſugiam?* ſed contineo me, ſub DEI manu, intra metas modi priuati, qui indies mihi incipit magis allubeſcere. Non ambio limina Potentum, nedum vt in curæ pro publico partem reſumi appetam. Procul eſto omnis hæc profanitas. Aeternitatem commentemur propius, quæ forte ad portas. Tempora qualia impendeant, coniectatio eſt ſatis liquida. Curæ politicæ alios exedant; nos ſtabilia diſtineant. Præſcii metus deinceps exſunto.

Quiſ-

ſimi Viri mentionem facit Elector Moguntinus apud *LONDORPIVM T. VIII. c.346.* et ipſe *BOINEBVRGIVS Epiſtola XVII.* ad *CONRADVM DIETERICVM*, qua *Noſtrum* eum vocat. Dabimus inferius nonnullas eius Epiſtolas ad *LEIBNITIVM* ſcriptas, miro Latialis ſermonis nitore commendabiles.

Quisque suos patimur manes. Anxia cautio multaque sollicitudo summos agitat Monarchas. Nostra nos quies exhilaret. Cum horrore interim expendo præsentem rei Christianæ positum.

CÆSAREM occupat solitudo et orbitas sua, sponsæ mora; tum Hispanorum primorum morositas; item Imperii Ordinum nimiam in libertatem vsque ad exteros procliuitas; malefida cum Oriente pax, et ab istac auersus Hungarorum animus; Galli denique Belgium, Mediolanum, Nauarram, Poloniam, et quid non? affectantis cupiditas.

Vicissim *GALLVS* noua Leopoldi nostri incrementa; Belgium in dotem datum dandumue; inducias cum Lusitano faciundas factasue; Ibericæ potentiæ immensas amplitudines, moriente forsan puero Rege, ad Cæsarem transituras; Polonorum haut paucos Austriacorum fauore imbutos; senescentem Francofurtensis fœderis famam; Suecorum lentitudinem, Anglorum et Monasteriensis Principis motus et irritas tot pactiones ægre fert. Adhæret procul dubio recordatio *Gigerinæ* cladis animo nil non infra se exputanti. Neque periculo caret, hostem habere, quicum

Hugonotæ bellare discant. Qui thesauri iactantur, vtique ingentes, fama tamen minores sunt. Ditatum ærarium exprimendis spongiis plus quam centum miliones reluendo regio patrimonio impendit. Insanæ substructiones, coëmptæ structæque naues, pellices, comoedi et reliquus luxus immani pecunia constant. Bellis igitur, nedum vitiis, in longum non sufficiet arca.

HISPANIA et quicquid sub vtroque sole terrarum mariumque hoc nomine audit, rectore Philippo destituta, Regem puerum morti æque maturum; Reginam, rixantium consiliorum contrarietate dubiam, tum proceres habet nec Germanis neque Gallis æquos, sibi inuicem cupientes. Nec Ioannes nothus sui obliuiscetur, pergnarus, in exteros odia sibi profore, breuique verti summa quæque, incertisque momentis versari, atque opportunos magnis conatibus transitus rerum.

LVSITANVS quoque iuxta incedit. Subita pace compendium belli vt faciant Grandes, annon fieri potest? Cedat modo Gallo Lusitanus, Belgio, vel Mediolano. Quid putas? numquid nouitiæ potentiæ, ita temperatæ, Gallus tum vna erit defensor?

BA-

BATAVI multos in arcano hoſtes habent. Cæſar quidni ſpretam ſuam Imperiique Maieſtatem vlciſcatur? Suedi acceptæ ad Hafniam iniuriæ ſunt bene memores. Repetent ſua, diuerſis licet viis, Melitenſes, Conienſis, Brandenburgicus, Neoburgicus. Indiarum ſecretum et Africæ ſolitudines ab Anglis penetratæ, capta Batauorum caſtella, direptæ naues, diſturbata commercia. Sic ex India, Africa, America theſauris ſupportari deſitis, exareſcet ærarii fons; ſtudia priuatorum langueſcent.

POLONIÆ Rex ex Cardinali, olim Ieſuita, bellum cum ciuibus et milite ſuo gerit. Orbitas eius temnitur. Accedit intempeſtiua ſucceſſoris videndi cupido, Gallicæ coniugis impulſu: Moſchus hoſtis: æmuli non vni circa; damnoſa Tartarorum ſocietas; Lubomirſkius plauſibili cauſa et clientelis validus: potior nobilitatis pars ſub elogio fœderatorum contumaciæ manifeſta: ii itidem, quis fides conſtat, ſtipendia flagitantes, quæ exolui nequeunt, ingens turbarum et inſperatorum caſuum materia.

DANVS ſuæ Rex ſpontis hodie abſtinen-

canentiam ac quietem maluit; at prolixe ſibi cauit ſub Galli vmbra audace ad Batauos traiectu, per felicem tot nominum diſpunctionem, niſi quod Suedis diffiſus, Dano tamen non nocituris, quoniam a Gallo haut temere diſſuendis; contra ac poenitendus, ſi diu hæreat, ſtatus error fert.

SVEDI equidem, aliena ſtultitia callide vtentes, rem ſuam agunt; tempori aduigilant; vario obtentu, ſibi intecti, a ſociis non minus ac ab hoſtibus ſibi opes, potentiam, autoritatem venantur.

In hoc concuſſi orbis tremore quis quieti ſuæ vſque adeo maligne inuideat, vt mediis turbis et inſanis eiuſmodi negotiis denuo illaqueari audeat optetue? Impedita hodie patriæ opera nauatur; pleriſque reſpectantibus externos. Miſeri ſumus Germani. Alienæ ambitioni ſanguinem commodamus. Poteramus Maiorum exemplo ſine cupiditate, ſine impotentia, quiete omnibuſque reuerendi viuere. *Heluctii* rectius ſapiunt, priſca indole ſecuri. Nos alienis bellis vilis acceſſio, et materia ſumus prædæ

para-

parata. Accidit nobis quod incautis auiculis, quæ parantem laqueos et retia tendentem aucupem ex vicina arbore ſecure deſpectantes, exitium parari non aduertunt. Proinde ſatius eſt, extra aleam negotii publici viuere et capi conſilia, quæ . . * amittant ſine nobis. Qui hanc capit, is et nos pauperes.

Valete in Domino.

v. B.

III.

EIVSDEM alia ad *EVNDEM*
anno 1651.

CONRINGIVS e Suedia redux, perhibetur illuc reuerſionem cogitare, ** lautis inuitatus conditionibus. Manebit et ibi *SALMASIVS*, quod propter *defenſionem Regiam* ſuam nuſquam tuto commorari poſſe credatur, niſi inter Reges. *Voſſii* filius, *ISAACVS*, pariter in Suedia nunc il-

li-

* In autographo lacero verbulum huius loci excidit, cuius vim diuinando aſſequi haud facile.

** Hoc propoſitum *BOINEBVRGIO* paullo ante aperuerat ipſe *CONRINGIVS* ſequenti mox Epiſtola.

ligatur, vt ambigi possit, an volente Regina inde reuertendi domum sit veniam indepturus. *FREINSHEMIO* apud illam per est bene, vt iactantem leges in prooemio Supplementis Liuianis præfixo. *BOECLERVS* autem deseruit, quam illic figere inuitamento Reginæ statuerat, sedem suam, et vt ferunt, in Borussiaca nunc Academia, *Regiomonte*, historiarum et eloquentiæ studia profitetur. O! si Argentorati se continuisset! Clementiore quippe coelo vti quiuisset. Quo autem non pertrahit homines ambitio, et immanis cura faciundæ rei? Cum *BOECLERO* ita gestum drama memoratur. In Græcanica comoedia, quam Regina, vtpote plane græcula modo, dare voluit, actoris quoque ipsius debebat personam suscipere. Id quod cum facere renuisset, indignationem incurrit non leuem. Hinc Vbsaliensibus *Studentibus* iam ante ob nimis duram disciplinam, cumprimis Sueonibus, inuisus, male habitus adeo fuit, vt discessum parare necessum haberet vir longe eruditissimus. Ferunt noctu interceptum in platea, et virgis violentissime cæsum fuisse. Doleo ipsius vices. Sed quam vellem et aliis idem accidere!

VINARIÆ cum nuper essem, mandauit Prin-

Princeps *GVILIELMVS* mihi, vt, ſtatim ac huc reueniſſem, anquirerem, numqui in Mechanice potiſſimum, nec minus in vniuerſa Matheſi, architectonica vtriuſque cauſæ, militari, nautica, tormentaria, noui auctores proxime præterlapſis feriis nundinalibus prodierint; vt item continuo tum eius Serenitati ſcriberem, ſiqua emptu digna viderentur. Haut mora. Perambulaui, perreptaui et inſpexi pleraſque, quæ hic commendationem et celebritatem cum primis merentur, bibliopolarum mihi notorum officinas, et inueni varii commatis, qua germanice, qua et latine, tum et aliis linguis conſcriptos de materie et argumento cupito libros: quos, cum pridem per ſe vobis cognitos eſſe arbitrer, nil attinet recenſere. Vel vnus tamen *GERARDVS IOANNES VOSSIVS*, quem in literis laudaui, libro de Mathematicis Scientiis, earumque Scriptoribus, deſideriis quamlibet ardentiſſimis ſatiſfacere poterit. Complectitur illo libro, præter veteres, et eos Mathematum ad unum vniuerſorum ſubactiores auctores, qui poſtremo hocce ſeſqui ſeculo in publicum ſunt editi ad annum vſque cIↄ IↄC XLIIX. Qui liberaliorum iſtiuſcemodi artium amator iunget

get eiusdemmet VOSSII libellum de IV. quas vocat, popularibus, Grammatistice, Musice, Graphice, Gymnastice &c. næ! non fecerit is operæ nullum pretium. Quid igitur prodest enumerare noue proditos, si inde peti vel omnes vel potiores queant? Vnum excipio *CASIMIRVM SIEMIENOWICZ*, Lithuanum, propræfectum ante hac regni Polonici Artilleriæ, cuius *Ars Magna Artilleriæ* in fol. hoc demum mercatu nupero exiit in lucem, et quidem latine, vt agnoscas hominem non modo artis intelligentem, sed e principiis quoque disputare validum. Reliquos Matheseos omnium partium Scriptores abunde memorant post *POSSEVINVM* in bibliotheca selecta, et *VOSSIVM*, cuius superius est mentio facta, *HVGO SEMPILIVS* de *Artibus Mathematicis*, atque *IOSEPHVS BLANCANVS adparatu in ommen Mathesin*; vterque Chronologia Mathematicorum vberrima. Plura qui volet, adeat illos. Hoc TE volui paucis, vt Principi, sicubi id res poscet, significes. In meis enim ad Celsitudinem eius literis ad TE prouoco. Vale.

Quod

Quod *Vossiani* de disciplinis Mathematicis commentarii toties memini, noli sis in sequiorem sensum interpretari. Gaudeo enim illa saepius narrare, vnde plusculum ego hilaritatis ac voluptatis percipio. Inenarrabile vero dictu est, quam talibus oblecter. * Vossii et reliqua deinceps edentur, quibus omnem adeo eruditionis ambitum est emensus et persequutus. *NAVDÆI* syntagma de *Studio militari* commode etiam legitur ad hoc, vt Mathematum Scriptores recentiores inde cognoscantur. Quae *BLÆVII* edunt Amstelodami et ipsa huc faciunt.

* Non mirum igitur, *BOINEBVRGIO*, studiis Mathematicis tantopere delectato, et extremis vitae annis, cum quiesceret a negotiis publicis, tempus aedificationibus in praediis suis fallenti, *Leibnitium* vel ob hanc solam caussam, quod praeter ceteras literas Mathematum iam tum affatim peritus erat, fuisse in deliciis, ita vt hic meliorem in Dominum incidere haud facile potuerit.

IV.

Helmstadii d. 23. Ianuar. 1651.

IO. CHRISTIANO a *BOINEBVRG*,
Consiliario Hassiaco *
Domino et amico meo magno et honorando.

S. p.

Quod ad literas tuas, Nobilissime *BOINEBVRGI*, non ea, qua par fuit, diligentia respondenrim, præter longa ac molesta itinera, partim negotia feccrunt, partim quod cum scribere esset otium, mittendi defuerit occasio. Eoque si meum silentium haud sinistre acceperis, feceris sane rem amicitia nostra dignam. Haud ignoras, quam vim in nos habeant negotia.

Auctor libri *de ratione status* non amplius ignorari forte cupit; nolo tamen per me illum odio aliorum obiici. Viuit is *Holmiæ*, natus in Pomerania, et *historia* edita *belli Germanici* iam cla-

* Scilicet Landgrauii *IOANNIS*, Braubaci habitantis, Consiliarius primarius tum fuit *Boineburgius*.

clarus. Vt amplius illum describam tibi, non videris requirere. **

BACONIS scripta, me iudice, non eandem merentur laudem. Homo ingenio fuit vasto;

 sed

** Sufficiunt enim hæ notæ ad *BOGISLAVM PHILIPPVM CHEMNITIVM* designandum, qui tum alteram *belli Suecici* sui partem *Holmiæ* prælo subdiderat, vnde *CONRINGIVS* modo in Germaniam rediit, testis omni exceptione maior. Neque consictum illud *HIPPOLYTI A LAPIDE* nomen, libello *de ratione status* præfixum, multum abludit a vero auctoris nomine, modo noris, K*amen* vel Ke*men* lingua Slauonica *lapidem* significare: vnde ipsis maioribus nostris ædificia lapidea K*emnatæ* dicta: et auctoris huius auum *Kemnitium* fere semet appellasse. Historia autem belli Suecici ab hoc viro scripta, quæ Tomis duobus formæ maximæ in lucem prodiit, tanto maioris est facienda, quod eam secutum se esse non inficiatur magnus *PVFFNDORFIVS* in præfatione rebus *GVSTAVI ADOLPHI* et *CHRISTINÆ* Reginæ præmissa. Tertius Tomus excusus non est, quippe imperfectus. Manuscriptum tamen, quoad absolutus est, inter alia Septemtrionis cimelia nuper repertum Bibliothecæ Regiæ vindicauimus.

ſed nec a vetererum doctrina inſtructus, nec quicquam moderati agitans, dum principatum affectat per nouitates in omni Philoſophia. In Phyſicis eius libellis nihil placet præter empiricam induſtriam, quam laudo perinde atque rideo eius inſcitiam. Inter politica perplacet hiſtoria Heinrici VII. Reliqua vt non aſperneris, tamen non eſt quod laudes.

HOBBII elementa *de ciue* impie philoſophantur, dum ius regendi omne ex potentia præualente ſuſpendunt, et odium ſeu ſimultates humanas pro fundamento habent ciuilis regiminis. Quis bonus ferat hæc paradoxa? Auctor dignus videtur, quem odia omnium excipiant.

In *GRAMONDO* placet in dicendo libertas et rerum ſui regni peritia haud vulgaris. Longe autem inferior videtur *THVANO*, ſi grauitatem, ſi pietatem, ſi doctrinam, ſi ſtili ſpectes æqualitatem.

HELMONTII Paracelſicum, h. e. ſtultum faſtum, libidinem mentiendi et obtrectandi, ſcripta eius luculente oſtendunt. Miracula, quæ iactat, ipſamet Brabantia eius ignorat. Vno verbo, ingenio fuit paracelſi; ſobrius tamen, probi-

bior etiam, et ſuis rebus colorem per ratiunculas addere aptior. Quis non explodat vero hominem, auſum quotidianæ experientiæ bis mille annorum circa venæ ſectionem et purgationem alui ſeſe obiicere? In nonnullis tamen fateor haud diſplicere, quæ monuit.

Mea, quorum meminiſti, vt edam non videtur tanti. Fortaſſis etiam non fuerit ſatis tutum. Certe quæ Germaniam attinent, non tolerent forte multi, quorum intereſt mala non tangi, et remedia ignorari. De Republica tamen Hebræorum cogitare non deſinam, et etiam nunc edo librum *de ciuili prudentia*, quem tamen vix erit vt proximæ nundinæ ferant, quod mihi in Friſiam propediem ſit eundum, eius loco exhibituræ Diſſertationes de *ANTIQVITATIBVS ACADEMICIS* iam recenter editas.

MARCI ANTONII libris illis quid factum, haud certo dixerim. Id conſtat, cum in Angliam iret, imperfectos fuiſſe, vt pleroſque illius voluminis. Dum ſeponerentur vero ad accurationem elaborationem, videtur auctor ſenſim cogitaſſe de reditu ad Curiam Romanam, ac veritus,

 ne

ne amplius offenderet, eos aboleuisse, vel certe ita suppressisse, vt nunquam sint lucem visuri. Fit, nisi fallor, huius rei mentio aliqua in schedio, quo rationes explicat illius sui infelicis reditus: quod aliquando legi Moguntiæ typis editum. Quæso, si nancisci illud possis, et sententiam siue historiam potius de eius obitu Romæ latine editam, vtrumque mihi cures: pretium reddam cum fœnore.

De *iure primogenituræ* in vsum Germanicarum rerum nihil vidi editum, præter librum de *Apennagio*, et alium auspiciis nostri Principis *AVGVSTI* Viennæ excusum, quo tempore feruebat lis de successione inter agnatos de hercifcunda *FRIDERICI VLRICI* hereditate. Nouisti illud, vt primogenitus bonorum omnium fiat hæres, nec ex iure naturæ, nec ex iure gentium prouenire: neque in Germania vnquam fuisse in vsu, etiam in Principum familiis, ex quo feuda illa illustria non tam beneficio Cæsarum dari, quam hereditate accipi solent, donec patrum aut auorum memoria nonnulli Principes aliter potentiæ suæ cœperunt cauere, Cæsareo consensu accedente. In omni itaque hac re, me iudice, nihil

hil certi iuris eſt, ſed omnia ſunt mere arbitraria et quidem alia atque alia. Neque difficile eſt dictu, quidnam horum vel Principum, vel vniuerſæ Germaniæ, vel Cæſareæ potentiæ commodis ſit vtiliſſimum.

Suecia ita placuit præter expectationem, vt fortaſſe hoc anno me ſit receptura. Regina, annitentibus ſimul Senatoribus, et *Archiatrum* ſuum *cubicularium* et *a conſiliis aulicis rerum Germanicarum*, præmiis ſic ſatis amplis propoſitis, eſſe voluit. Forte rectius ibi inſeruire licuerit Germaniæ noſtræ et ſtudiis publicis, quam dum hic hæreo apud tyrones et inſolentem adoleſcentiam. Vtinam te propiorem conſulere in re permittatur! Vale interim, mi *BOINEBVRGI*, et ſalue

a Tuo

Hermanno Conringio.

V.

IO. SCHWARTZKOPFIO,
Cancellario Guelphico, *CONRINGIVS* conſilium abdicandi Spartam in Academia Iulia et redeundi in Sueciam aperit.

Helmſtadii d. 3. Febr. 1651.

Magnifice domine Cancellarie, Compater et

Amice magne. Eam iterum esse Academicarum rerum incertitudinem, experior, vt S. R. Maiestati iterum atque iterum vrgenti nolens volens manus dare cogar, et dimissionem meam apud Serenissimos Principes petere. Non improbabis, scio, consilium, necessitate rei familiaris inuito mihi extortum, nec opinanti. Tantum rogo, vti apud Serenissimum Principem ita omnia dispo-nas, ne quid offensæ discessus meus pariat. Potero ego, nisi fallor, toti Serenissimæ Domui Guelphicæ in posterum plus commodi præstare, quam factum est antehac. Præstabo etiam, si qua in re opera mea vti placuerit in Regia et alibi. Academiæ quoque rectius fuerit consultum, si duos habuerit, *artis Medicæ* alterum; alterum *politices* professorem. Nec enim ab vno vtraque hæc simul commode doceri poterunt. Et sunt in promptu, qui seorsim cum summo Academiæ fructu alterutrum doceant; Medica quidem *HIERONYMVS IORDANVS*, siue *MARTINVS KIRSTENIVS*, siue *IOANNES VALENTINVS VOGLERVS*; politica autem *REINOLDVS BLOMIVS.* Vt proinde a meo discessu nihil detri-

men-

menti capiat Academia. * Nihil ergo ſuper eſt, quam vt bona cum gratia dimittar, et quod reliquum eſt ſalarii, mihi ſoluatur. Vtrumque vti curare velis, etiam ſane atque etiam rogo. Nec enim ſperauerim, me dimiſſum iri non obſeruatis legibus contractus, cum Sereniſſimis Principibus initi. ** Ego viciſſim, et quamdiu hic vixero, ſtrenue in docendo et ſcribendo pergam, ceu muneris tenor exigit, et abſens, qua potero ratione, colam Principes adeo hactenus mihi gratioſos. Tuæ vero Magnificentiæ manebo, quoad vixero,

amicus certus et officio omni totus

H. Conringius.

* Hæc, vt puto, euincunt, *CONRINGIVM* iam tum præter artem Medicam, Ciuilis prudentiæ profeſſione functum eſſe in Academia Iulia; qua tamen addita, auctoque ſalario retentum eum Helmſtadii narrat programma funebre.

** Diſplicuit Principibus migrationis conſilium, quorum voluntate et iuſſu pro ſua prudentia acquieuit *CONRINGIVS* eo lubentius, quod exterorum Principum et Regum liberalitate vti non prohiberetur. Adde, quod iam tum rumores in crebreſcerent de *CHRISTINÆ* Reginæ conſilio abdicandi a ſe ſceptrum et coronam regni Suecici.

VI.

CONRINGIVS ad *BOINEBVRGIVM* in cauſſa *ERNESTI* Laudgrauii, tranſitum ad Pontificios molientis, vbi ſimul offert eidem Boineburgio in Aula Friſica ſupremam præfecturam et principatum in conſilio.

Helmæſtad. d. - Sept. 1651.

Ad literas Tuas, Nobiliſſime *BOINEBVRGI*, quas ex Friſia mea domum reuerſus ante haſce aliquot ſeptimanas a *CALIXTO* noſtro accepi, ſtatim reſpondiſſem, niſi nunc alia ex aliis enata negotia atque itinera obſtitiſſent; nunc deſuiſſet qui literas curaret; nunquam vero non exſpectaſſem abs te potius aliquid reſponſi ad eas, quas iuſſu *Comitis Oſtfriſiæ*, Domini mei, ad te exaratas, in ipſa aula, ſtatim a ſuo in Haſſiam reditu curaturam ſeſe ſuſcepiſſet, cui illas coram tradidi, Illuſtriſſima vidua Landgrauia, quæ *Butzbachii* commoratur *.

Vt

* *CHRISTINA SOPHIA*, *ENNONIS* Orientalis Friſiæ Comitis filia, nupta fuerat *PHILIPPO* Landgrauio *Butzbachii* habitanti, et ibi ſine liberis defuncto.

Vt non amplius ſileam, commouent me variæ literæ Illuſtriſſimi *ERNESTI* Landgrauii, quas heri mihi, ex aula Cellenſi et Hannouerana redeunti, vti illius generis iam tum quaſdam videram, legendas tradidit *CALIXTVS*. Video ſcilicet optimum Principem ſerio ſalutis ſuæ curam gerere, et in re tamen illa ardua prudenti vti conſilio: vt proinde quemuis bonum teneri arbitrer, pium Principis ſtudium iuuare; me vero amplius tacere apud te quidem, qui operam in id meam petiiſti, ſine piaculo non poſſe. Nec tamen eſt, Amice, cur meum quid deſideres hac in re, cum abunde ſatis voto ſatiſſacturi ſint ſaltem *CALIXTVS* noſter et CL. *CROCIVS* **, in hac arena gemini pugiles.

Cæterum probo tamen vehementer, quod ante omnia Illuſtriſſimus Princeps a Pontificiis quidem Romani Pontificis in Eccleſia gubernandi ſummum illum abſolutiſſimum et in fidei morumque controuerſiis infallibilem, quem tanquam a Deo commiſſum illi credunt, dominatum, probari ſibi expetat. Certum quippe eſt, hoc probato

** Intelligitur ſine dubio *IO. CROCIVS*, primarius in Aula Caſſellana Theologus.

bato, omni nos caufa illico excidere. Illos vero teneri hoc ante omnia probatum dare, certum est itidem; cum vulgo habeatur catholicum dogma, imo omnium credendorum primum principium. Quæ autem compendiosior nos conuincendi via poſſit excogitari, quam ſi hoc ipſum curet Princeps demonſtrari? Niſi tamen vehementer fallor, in nulla plane controuerſia illuſtrior eſt Sol veritatis a noſtris partibus. Certe nihil æque etiam Principem in Eccleſia, quæ illum primo lacte aluit, detinere poſſe arbitror, quam clariſſimum, quod hic ſplendet, veritatis iubar. Neſcio, num legeris quæ de hoc argumento a me ſcripta ſunt *Reſponſionis ad Nibuſium*, quam iteratæ editioni Hiſtoriæ iuris Germanici ſubieci, *cap. 2. n. 7. vſque 14. aut potius 17 vſque ad 24.* Si lecta placuerunt, diſpicies, num abs re fuerit illa a Principe etiam expendi, aut ipſi etiam *VALERIANO* obiici. Fortaſſis illa breuitas, qua in tractanda nobili illa controuerſia ſum vſus, queat alicui eſſe commodo.

Alterum, quod noſtris probandum proponit Princeps, obſcurius eſt intellectu. Videtur tamen exigere, vti probemus illud, quod *CALIX-*

TVS

TVS noſter, et meo quidem iudicio recte, profitetur, „ infallibiliter verum eſſe, quod primi-„ tiua Eccleſia vnanimi conſenſu docuit tanquam „ ſalutaris fidei dogma. „ Theſin illam propoſui ipſemet non ſemel cum in Programmatibus Academicis, tum alibi. Illa adiuncta libello *de purgatorio* nuperrimæ editionis non dubito tibi iam tum eſſe tradita per Valentinum Henricum Voglerum noſtrum, qui non adeo pridem hinc Francofurtum diſceſſit. Quod ſi cum cura expenderis, quæ habentur Programmatis ſecundi *pag. 96. 97. et 98.* Tertii item *pag. 104.* hiſque adiunxeris, quæ leguntur præfatione prima Libri *de origine iuris Germ. pag. 226. et 227.* tenebis non tantum hac de re quid ego ſentiam; verum etiam argumenta ſententiæ. Fateor nihilominus, mereri controuerſiæ huius vſum exactiorem operam. Neque ego deero aliquando fortaſſis huic tuo deſiderio, ſi et vacauerit, et publice fuerit vtile. Verum enim vero etſi omnino hac in re cum *CALIXTO* faciam; tamen, quoniam hactenus non perinde omnibus noſtris idem placuit, neſcio an eius defenſionem vel exigere poſſit Princeps a *CROCIO* et *HABERKORNIO*, vel illi ſint ſuſcepturi. Fortaſſis etiam non deſceptaturi

ri sunt temere de hoc argumento *Capucini* cum ipsomet *CALIXTO* nostro. Sed et controversia hæc intricatior fortassis est, quam vt breuibus possit expediri.

Nisi vehementer fallor, satis est ad explorandum, cui parti faueat veritas, controuersia illa prima, et ipsa illa satis multum temporis expostulat. Si in illa victoria fuerit penes *Capucinos* aut nostros; aut his, aut illis tuto poterit Princeps adhærere. Vtpote, posito, quod Papa sit infallibilis fidei dogmatum conditor; indubie omnia Romanensia sint vera: posito, quod sit fallibilis; plurima eorum, imo omnia saltem incertæ esse fidei, si non omnino falsa, liquido appareat, quoniam illa nituntur determinatione aut definitione Ecclesiæ. Poteris itaque fortassis merito auctor esse Principi, vt, posteriore controversia in alind tempus reiecta, curet primam duntaxat nunc quidem ventilari.

Venio ad negotium, quod iam tum in *Frisia* cum degerem, iussu *Comitis* mei cœpi tecum agitare. Id num ad tuam notitiam peruenerit, numne illæ, quas *Comitis* nomine exaraui, recte sint traditæ, pene dubitare incipio, quoniam nihil

hil ex eo responsi abs te impetraui. * Obferebat vero tibi per me Comes *primariam aulæ præfecturam* et *principem in consilio locum.* Manet adhuc eadem *PRINCIPI* mens. Neque ego quidquam malim patriæ meæ causa. Verum quid ferant res tuæ, ignoro: quum eas ignorem, quemadmodum ab obitu *IOANNIS* ** Landgrauii sese habeant. Est ex re *Comitis*, vti intelligam primo quoque die, num aut velis aut possis oblatam prouinciam adire, eoque quam primum animum tuum, quæso, mihi exponas. Si non abnueris, poteris simul indicare, quibus conditionibus velis operam locare. Vt in aliis, ita et in hoc experieris candidum et beneuolum animum meum. Vale, mi *BOINEBVRGI*, et salue plurimum

a Tuo

H. Conringio.

VII.

* Immo iam tum responderat *BOINEBVRGIVS* ea, quæ mox sequuntur ex ipso autographo. V. etiam *Epistol.XXI.adDietericum.*

** Obierat ille d. 1. Aprilis huius anni, nulla sobole relicta; vnde renata *CONRINGIO* spes, fore, vt *BOINEBVRGIVS* iamDomi-

VII.

BOINEBVRGII responsio ad literas, quibus viuente adhucdum Landgrauio *IOANNE*, *CONRINGIVS* ei primum in consilio Auricensi locum a Principe Vidua iussus obtulerat.

Braubaci ad Rhenum Kl. *Febr.* 1650.

Accepi iterum literas ab Humanitate Tua sane gratissimas, quibus vocor ad Serenissimam Principem Vestratem, licet immerentissimus. Multum proinde candori Tuo, Vir clarissime, debeo, vtpote per cuius benignam commendationem Principi Viduæ quam optime innotuerim. Quam autem is non sum, qui prouinciam eiusdem arduam ac gloriosam suscipere idoneus sit, tam quoque inopinanter nunc retineor, quo minus saltem bonam meam ad exhibenda Vobis obsequia inclinationem coram tester. Impetrare, puta, nequeo a Principe meo, cui operas meas impræsens debeo, vt extemplo dimittar; quamuis in

---

mino destitutus prouinciam appeteret Frisicam. At ille tum forte animo voluit tritum illud: *Hæc aula me non capit*; quod Vir quidam doctus vale dicens certæ scholæ inscripsisse perhibetur.

in id non parum alloborauerim. Felicitatis enim meæ forte haud pœnitendum duco initium esse, vocari ad Vos, ac per Te insuper. Neque deterreat me officii, quod, si vocatum sequi sinar, sim suscepturus, difficultas et implexa ratio, cumprimis quod præter optimi *BONERI* et Tuimetipsius niti tum consiliis possim. De Tua, Vir magne, beneuolentia ac in rem præsentem promtitudine certissimus vtique sum; de *BONERI* ne vel tantillum quidem ambigo. Noui quippe viri eius doctrinam, virtutem, animi facilitatem et compositum iudicium, quæ omnia suauem reddere solent socialem pro Illustrissimo Comite laborem. Obtigit ex eius amicitia mihi, Leidæ cum essem, vnde quandoque Hagam concessimus, magna iucunditas, cuius sensum hodieque circumfero. Sed vt malim Vobis iungi, tam amanter et clementer accitus; vt item neque domestica obstacula, cetera magni momenti, sim adeo moraturus: retineor tamen iam quibus pene nescio vinculis, quibus statim defungi vix est vti sustineam. Quare Principi Tuæ meam emansionem purgabis, Vir optime, meque deinceps nihilo inefficacius Eiusce benignitati commendabis. Forsan occasio erit, cum meum studium testari rectius ac plenius potuero.

Interim pauca hæc feſtinantius aliquanto ſcribenda fuere, quod eſſem mire occupatus in multis Principis mei negotiis. Ocyus etiam reſcripſiſſem, ſi Tuas, vnacum Principis Viduæ literis, temporius ego accepiſſem. Eas vero heri demum accepi iunctim omnes, cum redirem domum ex aula Eminentiſſimi Electoris Maguntini, quæ hodie eſt Herbipoli, vbi aliquandiu fueram, miſſu Principis *IOANNIS*, Domini mei. Scripſeram item iam tum antea ipſi Viduæ Illuſtriſſimæ ad priores. Nec dubito, eas literas recte curatum iri. Vale, Anima excellentiſſima, honos Germaniæ meumque decus ac delicium, et quæſo ama porro, ſi merebitur,

Tui

Studioſiſſimum Conſtanter
I. C. a Boineburg

VIII.

CONRINGIVS ad rumores, *BOINEBVRGIVM* ſuum ad exemplum Landgrauii *ERNESTI* tranſitum ad Pontificios meditari, vehementer commouetur.

Helmæſtadii d. 24. Ianuarii 1652.

Dum tuas fruſtra hactenus exſpecto, quibus reſponderes ad ea, quæ proximo Septembri exaraui, neſcio quæ fama de Te affertur, quæ me ſa-

ſane vehementer turbauit, quaſi nempe etiam Tu in Pontificias partes aperte iam propendeas. Ægre, fateor, illa apud me veri ſpeciem inuenit; is tamen, quo te proſequor, affectus non patitur me vacuum eſſe a ſollicitudine ac metu. Nec vero deponere hanc curam potero, quæ me nunc coquit et verſat ſub pectore, niſi tua manu iuſſeris animo ab hac parte quieto me eſſe. Id quod vt quamprimum facias, poſtulat profecto amicitia noſtra; modo mea cura eſt vana. Sin; niſi tamen fallor, et amicitiæ et prudentiæ ratio exigit, ne quid in re tanta moliaris, omnibus iis inconſultis, quos hactenus expertus es optime Tibi velle: adeoque vti ſaltem hac de cauſa primo quoque tempore animum tuum mihi denudes, videor me poſſe quodam meo iure poſtulare. Et vero omnino arbitror mei etiam officii eſſe, ſcrupulum omnem eximere, ſi quis Tibi iniectus ſit; certe id pro virili dare operam.

Landgrauium *ERNESTVM* quid mouerit, vt contra quam publice eſt profeſſus, adeo ſe et ſua præcipitaret, nolo diuinare, et prouocatæ diſputationis ne initia quidem quod expectauerit, neſcio an quis vel defendere poſſit, vel excuſare. Aiunt vero etiam Te maxime commoueri ab il-

IO *VALERIANO MAGNO*, cui Landgrauius suam credit salutem se debere. At is profecto nisi aliter, quam fecit hactenus, probauerit, *solam illam, quae Romanum Pontificem infallibile caput colit, Ecclesiam esse veram ac Deo acceptum coetum*, mirabor sane, si quem paulo prudentiorem cautioremque iis quidem suis argumentis in partes traxerit.

Iuro tibi, mi Amice, nihil videri a recta ratione alienius; quam credere, vel Romanum Papam solum vel illum cum suo Episcoporum consortio esse infallibilem, nec saluari quem posse, nisi alterutrum qui crediderit. Mihi sane, vt ingenue fatear, quod sentio, facilius persuasu et similius vero videtur, Mahometem Prophetam esse, quam Romanum Papam esse Dei in his terris Vicarium. Rationes sententiae illius meae adduxi et iam ante aduersus *NIHVSIVM*, et nuper in prooemio libelli *de Electione Paparum*, quem mitto. Rem gratissimam feceris, si solutionem illarum curaueris per aliquem institui. Nec vero ad talia diiudicanda magna quidem opus est et recondita doctrina. Quam facile vero mihi sit porro ostendere, inter omnes totius mundi Ec-

cle-

clesias nullam Romana illa magis esse contaminatam?

Mi Amice! inter ea, quae nobiscum nata sunt principia sciendi, etiam hoc est, *solius Dei esse, significare, quemadmodum velit homines saluos;* et inter omnes Christianos constat, *solos sacrae scripturae libros a Deo per Prophetas et Apostolos esse profectos.* Si in illis reperitur aliquid pro Ecclesiae Pontificiae auctoritate, aut proregia Romani Papae dignitate, bene est. Sin minus; qui illa homini Christiano persuadeas? Verum non est epistolae huius rem hanc agitare. Vtinam vero Tu me omni metu quamprimum liberes! Deum veneror, vti ducat nos in omnem veritatem, et hunc secuturosque annos feliciter decurrere iubeat.

Tuus
omni studio amicus
Herm. Conringius.

IX.

CONRINGIVS conceptum ex isto nuntio dolorem in sinum *GVILIELMI ERNESTI SCHEFFERI*, Reipublicae Francofurtensis Medici, effundit, et *RANZOVII* defectionem notat.

Helmstadii d. 24. Ianuar. 1652.

BOINEBVRGIVM quoque vacillare, summo

mó cum animi dolore percipio. Subueritus vero ſum tale quid iam ante ex eo, quod ad binas literas meas ne quidem verbulo reſponderit. Vt detineam hominem in via regia, dedi etiam nunc ad ipſum literas, et te quæſo vrgeas eius reſponſum.

Si quid fuerit in lucem editum de colloquio inter *HABERKORNIVM* et Capucinum, quæſo mittas. *VALERIANVS* ille nomine quidem *MAGNVS*, quamtum ego quidem poſſum iudicare, doctrina eſt pertenui. Quod apud me argumentum eſt non leue Landgrauianæ imperitiæ: nec enim alias ab illo quidem homine ſibi verba dari fuiſſet paſſus. Quæ *CALIXTVS* noſter Landgrauio reſpondet, iam vidiſti indubie.

RANZOVII nomine quæ edita eſt epiſtola, recte cenſes non *RANZOVII*, ſed aliorum eſſe. Hoc *CALIXTVS* tetigit in Reſponſo quodam nupero ad Landgrauium: et ſcio, veriſſimum eſſe. Miror profecto *RANZOVIVM* exiſtimaſſe, poſſe nobis perſuaderi, tyrones Theologiæ derepente Magiſtros prodire, ſi ſomniauerint in Vaticano. Ipſamet epiſtola multum habet culti ſermonis; ſed robur argumento-

rum

rum perpuſillum. Si ad me eſſet miſſa, iam haberet reſponſum. Quæſo me doceas, quid vulgo iudicetur de *hiſtoria electionum papalium*, aut meo potius in illam procemio. Velim tentet ſaltem noſter *BOINEBVRGIVS*, quid poſſit regerere &c.

X.

CONRINGIVS ad *BOINEBVRGIVM*, cum ille fluctuantem circa ſacra animum detexiſſet.

Helmſtadii d. 15. Mart. 1652.

Literas Tuas, Nobiliſſime *BOINEBVRGI*, accipio eo ipſo momento, quo in procinctu ſto, *Hamburgum* et *Stadam* in negotiis Regiis profecturus, eoque non vacat quidem eas integras legere. Inſpicienti tamen, vt verum fatear, videntur illæ ſcriptæ abs te animo turbatiore, quam ſperaram. Quid enim, Amice? Iam illuc te deduxerunt curæ, et (patere hoc adiici) inanes fluctuationes? Tantine apud te ponderis ſunt *Walenburgica*? Hoc apud te potuit illud Eccleſiæ Catholicæ nudum nomen? Non licet per temporis breuem moram nunc quidem ſcrupulos illos remouere. Niſi tamen omnis fallor, eximam tibi illos facile, ſimulac domum rediero. Laudo in-

terim, quod non ad modum Landgrauii *ERNESTI* et aliorum præcipites consilia tua: vtque ita porro te geras, omnino suadeo, simulque Deum precor, spiritu suo sancto ducat te in omnem veritatem.

Vnum porro, rogo, diligenter animo voluas, et quidem hoc: *viam ad salutem æternam non nisi vno Deo magistro et duce addisci, nec reperiri in vniuerso hoc mundo magisterii illius vere diuini quidquam, præter sacram scripturam, inque ea aperte tradi, quæ ad fidem et mores pertinent.* Hanc lucernam si sequaris, mi Amice! non vacillabunt pedes tui, quos humana commenta adeo nunc impeditos tenent. Si placuerit faculam addere, lege scripta saltem trium primorum seculorum Ecclesiastica. Spondeo, nihil etiam in iis te reperturum quidquam eorum, quæ *Romanenses* hodie præ aliis iactitant ad salutem necessaria.

Quod libellum meum miseris *Landgrauio* et porro *Walenburgicis*, nequaquam improbo. Imo fuerit gratissimum, si illos Fratres, quos ob animi probitatem et doctrinam amo ipsemet, adduxeris, vt saltem tentent ad singula respondere, quæ a me in Prolegomenis sunt dicta. Nec enim

ad

adeo leue eſt aut momenti exigui, quod ibi agito; etſi ita viſum fuerit illi *Landgrauiano* ſcribæ, qui non dubitauit cenſura ſua damnare, quod ipſemet profitetur ſibi non eſſe lectum.

Noſti vtique, mi Amice, Pontificiam illam Maieſtatem ab omni Curia Romana defendi quam maxime, et quidem exigi ab omnibus aliis mortalibus obedientiam Papæ præſtandam, periculo æternæ damnationis. Si falſa hæc omnia ſunt, ſequitur omnino, Romanam Curiam ſumme impio et ſumme hæretico dogmate infectam eſſe. Licetne vero admittere in Eccleſiæ communionem hominem *hæreticiſſimum*? Sed abrumpere epiſtolam iter iubet, eoque eius breuitati ignoſcas. Vale et faue, mi *BOINEBVRGI*,

Tuo

Herm. Conringio.

XI.

CONRINGII cogitationes vlteriores ad *HENRICVM IVLIVM BLVMIVM*, *BOINEBVRGII* exemplo pariter nutantem.

Helmſt. d. 19. Maii 1652.

Quamuis non ſolido, (nec enim, fateor, omni ex parte deſiderio meo ſatiſfeciſti) magno

tamen me gaudio affecerunt literæ Tuæ, Clarissime *BLVMI* * dum ea, quæ inter curas de te conceptas me quam maxime macerabat, liberauere, et hactenus quidem securum esse iusserunt. Et vere quidni gaudeam? quum meminerim, me etiam auctore primum quidem iter *Italicum* te ingressum, eoque non potuerim non dolere, si quid ex eo tibi damni fuisset natum. Eo impensius vero lætor, quod significes, ipsis illis itineribus profecisse te in cognoscendis penitius superstitionibus illis, quæ totam Ecclesiam Romanam inundant. Ita sane fore totus mihi persuaseram de Te, quod scirem priscæ illius et primitiuæ Ecclesiæ faciem exacte tibi perspectam; ab ea vero hanc, quæ nunc Romæ colitur, esse toto cœlo diuersam. Aurea profecto tempora illa qui nouit, non potest non detestari plumbum omne Romanum; quamuis care adeo orbi venditetur, vel appensa purpura splendeat.

Nec vero etiam Tu indubie non excipis hosce ita instructos, quando scribis: „ difficile esse, „ vti quis diu in Italia versatus fuerit, et eum „ cura aliqua religionis et salutis suæ in tuto col- „ lo-

* Fuerat is iam anno 1650. SS. Theologiæ in Academia Iulia Professor designatus.

„ locandæ tangere cœperit, vt retineri poſſit, ne „ in Eccleſia Pontificia, quam noſtrate, viuere „ malit.„ Indubie, inquam, hæc accepta vis de vulgo hominum; quorum quotus quiſque eſt, qui teneat, vel qualis Eccleſia eſſe debeat, vel qualiter hodie habeant ſeſe myſteria Romana; imo quem non dementet ſplendor ille, et prima fronte mentita Eccleſiæ Romanæ cum antiquitas, tum concordia? dum contra noſtra omnia nouitatis ſuſpecta ſunt, et laborant multiplici diſcordia.

Et vero, fateor ipſemet, ſpecioſum eſſe illud Eccleſiæ Romanæ præconium, noſtramque diſcordiam iure imprudentioribus occaſionem præbere ſequius ſentiendi. Nec tamen aliam ibi obſeruaueris concordiam, ſi accurate rem æſtimes, quam mere *politicam*, et qualem exigunt res Pontificis. Si *ratio ſtatus* Pontificii poſtulat, vt dogma aliquod toleretur, quamuis inuiſum; manet concordia. Sin; ſtatim rumpitur, eoque pro ratione ſtatus curiæ Romanæ dogmata aut *de fide* ſunt, aut *non de fide*. Absque hoc profecto ſi eſſet, longe plurimis diſſidiis Eccleſia iſthæc laboraret. Imo merito deberet laborare, nec in vna communione viuere, vtpote quum diſſideant inter ſeſe

ſe

ſe circa ipſum primum Chriſtianæ fidei principium, vſque eo, vt alterutra ſententia ſit ſumme impia et vere hæretica. Si ſane *CHRISTVS* conſtituit in hiſe terris *VICE - DEVM* Papam; veriſſimum profecto fuerit illud Bonifacii VIII. pronunciatum: *Subeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Sin vero; nihil illo pronuntiato eſt magis impium et hæreticum. Et tamen hodie vtraque ſententia problematica vulgo habetur, conniuente Curia, ne ſi vrgeat *Bonifacianum* illud, magna terræ pars, quemadmodum cœpit, omnino Imperio Pontificio ſeſe ſubducat.

Interea ex aduerſo fœdantur vehementer diſſidiis noſtris Eccleſiæ Proteſtantium. Sed quid facias? Hominum res aliter ſibi non conſtant. Ab initio vſque Eccleſiæ hæc mala nunquam non ſæuierunt. Quam concors erat Paganiſmi ſtatus? quam antiquus? quam ſplendidus initio naſcentis Eccleſiæ? Quam illa ex aduerſo iam tum fuit agitata a Pſeudoapoſtolis et hæreticis? Quæ facies fuit Eccleſiæ Catholicæ orientalis ſeculo quarto? Ne quid dicam de eius ætatis variis hæreſibus. Apud genti-

tiles contra quam ſuere omnia tum tranquilla? Nec vero negare poſſumus, vere dixiſſe tum *AMMIANVM*, hominem gentilem: *nullas magis infeſtas hominibus beſtias fuiſſe, quam e- rant ſibi ferales plerique Chriſtianorum.* In il- lis itaque diſſidiis non eſt quod adeo turbemur, aut quod adeo concordia quæuis et pax illa mun- dana nos ſeducat, vt malimus ſuperſtitionibus accedere, quibus Deo nihil eſt magis aduerſum, quam tolerare iurgia quædam *Fratrum diſcor- dantium.*

Ego ſane in vniuerſum ita cenſeo, mi Amice, a regia veritatis et virtutis via non eſſe remouendum vel leuiter pedem ob moleſtias aut ſalebras, quæ euntem remorantur. Nec tranquillitatem et quie- tem illam externam, vt ita loquar, ſectari fas eſ- ſe, cum neglectu officii illius, quod publico de- bemus. Eoque, vt ingenue fatear, non poſſum non improbare inſtitutum tuum de non adeunda, quam ſemel amplexus es, Academica prouincia. Quid enim? Num eam tibi ingenii vim, eam doctrinam, illum rerum vſum a Deo conceſſum tibi exiſtimas, vt tibi viuas et in otio? Num illa deſide et *contemplatiua* vita, hoc rerum ſtatu,

qui

qui quam maxime exigit fortes athletas veritatis et ſanctimoniæ, ſanctiſſimo Numini, illi concrediti talenti vſurario exactori, ſatis exiſtimas te facere poſſe? Vt alio tempore forte id liceat, nunc tamen qui ſubducere te publico poſſis, mi *BLVMI*, non video equidem. Noſtræ Academiæ ſtatus non eſt quod ſeorſim te moueat. Omnium mater veritas. Hæ turbæ, quas videris adeo metuere, cito componentnr. Tene moueant vanæ populi voculæ? Et qui Tu nequeas hic viuere extra partes illas turbulentas, non minus atque ego, vel alius? Nemo me; nemo, quod magis eſt, vel *TITIVM* noſtrum, vel *CELLARIVM* inceſſit. Quare tu fueris peiore conditione? Immo, mi Amice, num exiſtimas poſſe te calumnias vitare, ſi alicubi viuas ſolitarie? Si quid ego iudicio poſſum aſſequi, illa ipſa vita tua ſolitaria ſuſpectum te faciet omnibus multarum hæreſium, quas in arcano te coquere non muſſitabitur tantum vulgo, ſed clamabitur. Vno verbo: neque publico in vniuerſum; neque huic Academiæ operam tuam ſalua Te conſcientia negare poſſe. Ad hoc priuatim rebus tuis vitam quamuis ſolitariam ſumme noxiam fore, omnino arbitror, eoque, vt quam primum pro-

vin-

ciam, quam cum omnium exſpectatione ſuſcepiſti, aggrediare et exornes, et ſuadeo, et pro eo, quo Te proſequor, affectu rogo. Saltem haud negligas nos inuiſere primo die. Niſi vehementer fallor, eripiam animo tuo, quæ te nunc coquit et verſat ſub pectore cura. Aduentum ſane tuum expecto auide, eoque abrumpo hic, et reliqua omnia mutuo colloquio reſeruo. Vale, mi *BLVMI*, et ſalue a

Tuo

H. Conringio.

BOINEBVRGIO prolixe * ante hoc octiduum ſcripſi de iis, quæ ipſum videntur *turbare.* Mitto libellum *de electione Paparum.* Sed te potius malo audire.

XII.

---

* Prolixior eſt epiſtola illa d. 12. Maii ad *BOINEBVRGIVM* ſcripta, quam vt hic locum inuenire poſſit. Legitur præterea iam procuſa tam in *B. STRVVII Collect. MSS. T. II. p. 114.* quam Operum Conringianorum *Tom. IV. p. 493.*

XII.

BOINEBVRGII Reſponſio ad ***CONRINGII*** prolixiorem Epiſtolam *ex d. 12. Mai. 1652.* qua rem in vado adhuc eſſe aſſeuerat et elabi nititur.

Francofurti d. 10. Iun. 1652.

Vir longe mihi dilectiſſime ac æſtimatiſſime.

Epiſtolam Tuam accepi plenus vtique lætitiis et multo amore Tui. Pellegi continuo tam auide, vt non meminerim me quicquam antehac legiſſe pari, nedum maiore cum appetentia. Animaduerti, quippe mox ſub eius initium, me per eam potiri ſumma votorum meorum, quæ in id dudum ego conceperam, cum meam nuper inconditam illam ad Te ſcriptionem expedirem, vt ad eam puta operoſam non nihil ac luculentam inſtructionem adipiſcerer. Pro qua tandem impetrata multum me Tuæ comitati debere agnoſco, et palam coram omnibus bonis ac intelligentibus profitebor. Sed ne Te diu teneam in ſuſpenſo, breuibus ecce! me in anteceſſum modo (largius enim mox ſum ſcripturus) declaro.

Res in vado eſt. Neque vnquam vel ſemihorulam ſolidam definitam tenui ſententiam ceden-

di

di nouitatibus Romanæ Curiæ, aut iis me vllo modo dedendi. Non enim eram, cum ſcriberem illa terribilia, adeo vel a noſtratibus alienus, vel Pontificiis partibus indulgens, vt forinſecus res apparuit. Sane cum *Walemburgiis Fratribus* et cum aliis perinde, qui me ad capeſſenda ſua placita bono procul dubio animo cohortari ſolent per literas, tantopere depugnabam iam tum, et hodieque pugno, vt illis videar vnus e naſutiſſimis ac pertinaciſſimis Zelotis.

Non eſt igitur cur mendaciis et atrocibus calumniis famæ, contra innocentiam mei nominis in publicum diditis, vel tantillum amplius accredat quisquam Veſtrum. Cum Doctore noſtro *MENZERO*, viro moderato et æquiora iudicia ſectari amante, optime mihi conuenit, cui et oſtendi, quæ Romanæ Eccleſiæ partiariis, me in præceps agere contendentibus, oppoſui: qui ea probavit; quin mitti, quo deſtinata erant, apprime iudicauit etiam operæ pretium. Inſerui potiora Tuæ ad me epiſtolæ chartis, quas Walemburgiis hodie tranſmiſi. Qui quid reſponſuri ſint, num quoque *Valeriano* expeditiores futuri, qui meis obiectionibus nihil reſpondit, etſi iam inde a ſeptembre præterito eas manu ſua verſet, vt ipſe ſcribit, tempus docebit.

Ego vt quicquam Tuis doctiſſimis argumentis regeram, haud adducar equidem. Nec omittam tamen proxima occaſione perſcribere, quæ me adhuc non nihil afficiunt, ac necdum a Te videntur eſſe de plano compoſta. Neque diſſimulabo, ſi qua inclementius contra me a ſtilo Tuo deſignata apparuerint; hac tamen firmiſſima mentis deſtinatione, quod ſim veritati, magnam ſui partem iam tum oſtenſæ, et ſine dubio a felici Tua manu multo adhuc plenius oſtendendæ, ex animo candidiſſimo obſecundaturus, et quidem nec vel tantilla interpoſita mora.

Quæſtiones treis, quas exponis, rem complectuntur certe vniuerſam, cum primis et eam, *an neceſſaria ad ſalutem exiſtimari debeat externa cum Romana ſede concorporatio?* Tum et alteram, *an tantumdem ſit ea communio, quæ cohæret Papæ Romano, quantum comprehendit Catholica?* Cum qua dum Romanam ſuam promiſcue vſurpant, vna cum ſuis ceteris, *Walemburgii* perperam lectoribus conſulunt. Optem ergo magnopere ex Tua officina natum quid *de Vnitate Eccleſiæ ac de ingenio iuſtæ Reformationis Eccleſiaſtico*, qualis in opus ſit ſuperiore ſeculo collata, et cuiusmodi eſſe merito debeat.

Ce-

Ceterum exprobro hominibus recens ad Romanam Curiam relapſis perſrequenter, nobis iniuriam fieri, quando ipſi cauſſantur ac ſi a Catholica defecerimus. Tantum enim abeſt a Catholica defeciſſe nos, extra quam nulla ſalus, nullus mollis ex hac ærumna deceſſus ſperari poteſt, vt nequidem ab vniuerſa Latina, nedum ab omni cetera per orbem Eccleſia vel latum pilum diſceſſerimus. Ab illa dumtaxat Latinæ in Occidente parte non nihil diſcreti nos ſumus, quæ in omnibus Romanæ hodiernæ Cathedræ credit, quæ in Tridentinis nunc anathematibus procuſa leguntur, vniuerſam reliquam per omnes terras Eccleſiam damnantia. Sed hæc deinceps forte peragentur et elucidabuntur per Te vberius. Interim *MARCI ANTONII*, *KEMNITII*, *CHAMIERII*, *CALIXTI*, *BLONDELLI* et id genus capitales aduerſum Romanas nouationes ac peculiaritates libros legam diligentius ſolito.

Te vero precor, Vir, cui infinitum quid debeo, mihi ſane plurimum deamande, eo allaborare digneris, vt *CALIXTI*, quæ ſeorſim in paginula heic addita legis, tum præcipue Tua pro ciuili prudentia, et ceteram omnem veſtram hactenus elaboratam academicam concertationem omnis generis ad me cures perferri, quamprimum fieri

id commode poterit. Tempestiue per doctorem *SCHEFFERVM*, communem nostrum hic amicum, pecuniæ pro iis omnibus, quantum oportet, in persolutionem erogaturus sum ac redhostimentum.

Ceterum paucis et hoc adiiciam. Quid, quæso, sperare habet nostras cœtus de iurgiis illis motis *CALIXTO* per Dresdenses, Wittebergenses, Lipsienses ac Mislentianos Doctores? Vtinam! illis exstinctis vnitas *DEO* grata reflorescceret, felix pacis etiam ciuilis tum et spiritalis coagulum, felici stimulo voluntatum nonnihil alienatarum conciliatricula! Quæ dominus *NIHVSIVS*, quicum mihi vtile per literas commercium intercedit, de ratione disputandi cum D. *CALIXTO* commentatus suo modo est; quæ item mihi pronuper scribit; en! habe, * Vir summe. Rogo autem, vt omnia sic componas, ne in cuiusquam conscientam deueniant. Id enim si accideret, sane multum dehonestamenti ad me inde rediret. *BLVMIVS*

* Dabimus ea et nos hic continenter. Ceterum et huic *BOINEBVRGICÆ* epistolæ *CONRINGIVS* reposuit aliam longiorem, datam d. 15. Aug. huius anni: quam quia itidem habent laudata *Collect. MSS. T. II. p. 147.* licet omissam in noua Operum Conringianorum editione, transcribere supersedemus.

MIVS nofter vbi eft, amabo Te? Sed finire imperat vel ipfa papyrus. Oro tantum, vt me conftanter diligas, fæpe fcribas, et me Doctori imprimis *CALIXTO* commendes. Vale, pectus fumme dilectum mihi

Tuo conftanter

I. C. V. B.

Amplifsimo domino Hermanno Conringio, Regio Confiliario, Philofopho ac Polyhiftori celeberrimo, Ciuilis prudentiæ Iurifque Publici iuxta ac Medicinæ Doctori in Iulia Academia bene meritifsimo. Amico æternum honorando.

Helmftedt.

XIII.

BARTOLDVS NIHVSIVS ad *BOINEBVRGIVM*

Amftelædami d. 28. Mai. 1652.

Illuftris et Generofe Domine.

Elzeuirianus homo reuerfus Francofurto fecum adtulit fcriptas ita abs Te amanter, vt erubefcam haud parum, beneuoleutiam Tuam vfque adeo fingularem nulla re promeritus. Optime faxit contra tibi tuifque Numen, virefque et opportunitatem præbeat mihi, vt effectum dare valeam, quicquid

 arri-

arriserit animo tuo maxime. Loqui me serio, deprehendes reapse paullatim, si vixero. Quod in antecessum nuncio saltim paucis, dum diebus hisce multum occupor ac distineor, * nec occurrit statim quod memorem tibi, scitanti de libris in Belgio vulgatis recentissime.

BLUMIUS fuse scripsit ad me, postquam cum *suis* ni fallor *Principibus*, qui fuerunt in *Italia*, rediit *Hanoueram.* Laudat nostros, et sectatur alienos. Ita inter cetera de ipso amici Romani, quibus innotuit occasione mei.

Conieceram quidem exiguum hypomnema in chartam, vt ventilaret secum K*eddius*, ** qui legendum porrexerit Illustrissimo Landgrauio *ERNESTO.* Monitis vero nostris indigere optimum P. *VALERIANUM*, haud putaui. Quin et, reuoluens mente negotium, obseruaui, postulatum fuisse, vt Catholici primatum Papæ non *CALIXTO* euincerent; sed Illustrissimo Celsissimo-

que

* Quæ negotia *NIHVSIVM* Amstelædami distinuerint, videsis apud *PAPEBROCHIVM in Actis Sanctorum Maii T. II. præfat. p. IX.* Fata viri, quia notissima ne attingimus quidem.

** *IODOCVS* KEDDE, S. I. Theologus Polemicus, Landgrauii intimus.

que Principi *ERNESTO*, trutinaturo momenta quam exactiſſime.

MORINVS de poenitentia non proſtat hic locorum; quod bibliopolæ ſuis mercibus metuant a piratis. Comparaui ergo exemplar mihi *Lutetia;* quod vix euaſit periculum in Oceano Anglico.

Qui contra nos deſiderium iactitant Eccleſiæ in formam redigendæ primitiuam, hi, ſe velle minus, prodiderunt abunde ſatis hactenus. Veteremne diſciplinam, ab autore doctiſſimo illo *** multis expoſitam, ament, qui ſic excuſſerunt horrentque frenum omne? qui, tantum abeſt vt opes abiiciant ſuas ad præſidum ſacrorum pedes, vt contra ſpolient nullos auidius, quam eos, quorum nemo priuatim poſſidet quidquam, ſed quilibet cum collegis pauperibuſque de communi victitat, more Chriſtianorum antiquiſſimo? Pluribus alias. Atque interim forſan deferentur huc ad librarios, quæ prodierint nuper *Helmeſteti*; quanquam idioma Germanicum vix lectorem ſortitur in Belgis. Vale, vir Illuſtris ac Generoſe,

 me-

*** Ex mente *BOINEBVRGII* his verbis deſignatur *GEORGIVS CALIXTVS*, Collega *CONRINGII*.

meque, gratias tibi agentem immortales de alloquio benignissimo, prosequi perge, obsecro, fauore, vt cœpisti: et gratulabor inde mihi plurimum sine fine.

Illustris Generositatis Tuæ obseruantissimus
Bartholdus Nihusius.

Illustri et Generoso Domino, *IOANNI CHRISTIANO* de *BOINEBVRG*, Serenissimi Principis *GEORGII*, Hassiæ Landgruauii, Consiliario Intimo præcipuoque: Patrono plurimum obseruando.

Darmstadium.

XIV.

BOINEBVRGII Epistola ad *SCHEFFERVM*, communem amicum, qua tenerrimum in *CONRINGIVM* affectum testatur, librumque eius de Ecclesia, in sui gratiam scribi cœptum, anxie efflagitat.

Ratisbonæ d. 16. Ianuarii 1653.

Optime mi ac amicissime Domine.

Per est gratum mihi, quod de *CONRINGIO* nostro scribis, eum mei nempe adhuc esse memorem, meique caussa et *librum* moliri *de Ecclesia*, quo vtique in vniuerso mundo iucundius mihi aut optatius accidere nihil poterit. Alterum

rum vero, quod additur, de inclinatione ac discrimine valetudinis optimi fane et longe doctiffimi illius viri, adeo grauem pectori meo intimiori dolorem incuffit, vti eo maiorem me perfentifcere haut commeminerim. Faxit Numen Æternum, vt fofpes diu et incolumis florenfque perduret, inque publicum quamprimum quæ partim ad editionem integre comparata, partim affecta, modo fecum habet, edat adque diuulget.

Cumprimis certe appetens ego et cupidus fum videre libros de *Ciuili prudentia* ac de *Catholica Ecclefia.* Si per Te abs fummo illo viro hos confequi fuftinuerimus, profecto vel eo nomine felicem me prædicandi abunde tum habiturus cauffæ fum. Ipfum etiam cultiffimæ mihique femper æftimatiffimæ hominem eruditionis in id exorabo, vt fperatur, ne pigretur illum *de Ecclefiæ vnitate* laborem in fe fufcipere, breuique formis publicis defcriptum in vulgus prodere. Effecerit per hoc non mihi modo, qui vt minimus omnium,. ita et inter liberrimos a præiudicatis fum fententiis, fed omni Germaniæ multo fructuofiffimam, perpetuifque gratiis fubinde etiam publice agnofcendam operam. Velim autem optemque feftinari illam commentationem, fi qua vn-

quam expectari debet, hoc de argumento, tam exigue hactenus pertractato, et cuius potissimas difficultates pudendum in modum plerumque transsiliri, est quippe palam. Oro te peramanter, fac, vt ab dilectissima mihi honoratissimaque D. CONRINGII manu hunc *de Ecclesia* tractatum, quoad eius fieri potest, properato nanciscar. Quanto enim cunque constiterit siue is ipse, siue dispositorum nunciorum labos, perinde libenter exsoluam, ac si meamnet denuo vitam haberem redimere. Sed iterato optarim, si admaturari suppetiæ possint. Hac, puta, materie super *visibilis Ecclesiæ vnitate* rite perpurgata atque præculta, et in conscientiam plene admissa imbibitaque, cetera omnis de religione capessenda consultatio in vado fuerit.

Ceterum miror, meas ad CONRINGIUM tam mendose curari, vt fere nunquam perferantur, quo destinaueram. Videlicet postremis meis multa valide, vt opinor, sum caussatus, quare nouum illud parodoxon assequi nequiuerim, quod ait. Quare doleo, intercidisse illas, ad quas vtpote iam pridem illustramenta limpidiora ex acutissimo CONRINGIO sum hactenus maxima cum appetentia præstolatus. Vtut tandem sit, ego

ego dispendium literarum illarum curabo pensare suffectis aliis, quas mitto recta in Saxoniam inferam.

Interim non omittes *CONRINGIO* me quam optime deinceps commendare, eique meam constantem gratitudinem et amicitiam meis verbis polliceri. Deus duit ei et Doctori nostrati *CALIXTO*, quantum boni vtrique ego comprecor! Scio, quod ex animi sententia tum sint habituri, si mei istius voti compos euaserim. Si qua Helmstadio papyracea offerantur, vtique gauderem supra modum. Scis, amice, quam tenere soleam ex lectione talium exhilarescere.

De religione res est adhuc integra, et equidem permansura talis imposterum, si *Protestantes* comperiantur de Ecclesia perhibere talia, quae firma sint, ferantque obrussam *Scripturae sanctae*, et congruant *antiquitati*. Sed de his multum gestio per *CONRINGIUM* edoceri, quod nec dum inaudiuerim hactenus, legerimue. Fateor enim ingenue, quae in hanc vsque diem satis sollicite et procul intemperiem affectuum, quod conscientia inoffensa dicere valeo, in nostratium libris reperi, mihi tantum abest quod satisfaci-

ci-

ciant, vt et miranda acceſſione ſcrupulos cumulent. Sed finio. Vale.

Tuus

I. C. a B.

XV.

Idem deſiderium ipſimet *CONRINGIO* aperit *BOINEBURGIUS*, quærens, num extra Catholicam Eccleſiam ſalus.

Ratiſbonæ d. 17. Ianuar. 1653.

Summe gaudeo, Vir optime, memorem Te mei, et in eo ſimul eſſe, vt edas aliquid tandem *de Eccleſia.* Gaudium hoc meum, tenerrimum ſane ac omnino ſingulare, vti teſtarer, ſcribere eo cum ad communem amicum noſtrum, D. *SCHEEFERUM*, volui, tum præcipue ad Temetipſum. Qui vtpote rogandus es magnopere, tam in ſincero, quo me proſequeris, affectu vt deinceps ſedulo pergas, quam in labore pro enucleatione *Veræ Catholicæ*; quod argumentum vtique per eſt tenuiter hactenus contra *Romanam* tractatum. Profecto iſthoc ſi peculiari pertractatione quamprimum euulgata exſequutusfueris; omnem Tibi non modo Germaniam, ſed orbem adeo totum obligaturus tum arctiſſime videris.

Quæſo interea, vt *de Ciuili prudentia* librum et cetera Tua recens ſcripta, mecum communicare

care digneris. Libentiſſime perſoluam, quantumcunque in id dependetur, huc vt ſupportentur, etiamſi per diſpoſitos nuncios omnia.

Ceterum demiror, qui factum, vt literæ meæ poſtremæ tam incuſtodite et negligenter ad Te fuerint curatæ. Spero, adhuc eas repertum alicubi iri, et in via tantum ſufflaminatas, non amiſſas eſſe. Scripſeram inibi, comprehendi a me haut poſſe tinema iſtoc Tuum: *Extra Catholicam eſt ſalus?* Et rationes ſubiunxi, quas heic repetere nil attinet, cum eas abunde ſit legere magnam ſui partem apud Cardinales *PERRONVM* & *RICELOCVM*, Archiepiſcopum item Rhotomagenſem, *SOVTWELLVM*, *MILLETERIVM*, et alios. Certe *RICELOCVS*, *au traité de la methode la plus aſſeurée de conuertir ceux, qui ſe ſont ſeparez de l'Egliſe*, qui abhinc ſeſquianno demum eſt in lucem protractus, continuo ſub libri initium me plurimum in hoc confirmauit, quod Veteres toties, ac tam conſentienter, tradunt de ſalutis extra Eccleſiam impoſſibilitate. Eo autem ſuppoſito, quod Tu, Vir præclare, Tibi ſumis, in rem collato et admiſſo in conſcientiam, ecquid mali non conſequitur inde? Sed parco me diffundere ſuper hac Philoſophia. Tuum de Eccleſia librum incredibili

cum

cum appetentia exſpecto, Tibique me ex animo commendo, quippe

Tui candide amantiſſimum

I. C. a Boineburg.

D. D. *CALIXTVS* ſalueat, quem DEVS, et TE, incolumem diu ſeruet! in gloriam *VERITATIS.*

XVI.

BOINEBVRGIVS a ***CONRINGIO*** librum de Ciuili prudentia per partes flagitat, commendaturus auctorem Moguntino non ſolum, ſed et Imperatori et Regi Romanorum.

Ratisbonæ d. 26. Mart. 1653.

Vir mihi dilectiſſime.

Plurimum gaudeo, inaudiens, de valetudine tua tantam inclinationem ac diceſſionem nondum eſſe factam ex eo, quod nuper acceperam, vt ſubitaneum quod diſcrimen inde vitæ tuæ de proximo impendeat; quam vel per hoc ipſum, dum periclitari eam adeo præceps rumor dididit, prorogatum in pluſculos annos iri, ſupra Tuammet ipſius exſpectationem, lætabundus confido. Faxit Æterna Bonitas, vti diu deinceps prodeſſe cultiſſimis tuis commentationibus in publicum ſuſtineas florens ac incolumis! Certe

te in ciuilium cumprimis rerum pertractatione acroamatica, quaeue summota est a iudicatione vulgi, tam praeclara Tu tradis, vsque eo in interiora eius perspicis, vt a quiquam perinde id hodie effici non compererim. Cum maxime placent, quae pro *Ciuili sapientia* in antecessum promisit comitas tua. Neque mihi modo ea se valde probant; sed et aliis multo me maioribus. Ipse Princeps Elector vt perlegat, accurabo. Non duntaxat omnia haec docte ac explicate sunt scripta; sed custodite etiam, prudenter atque considerato: quorum vtique Te poenitere nunquam poterit ex qualiumlibet denique circumstantiarum, quae propediem oborientur fortassis, superuentu. Hoc maximopere abs Te, Vir Summe, contendo precorque, vt reliqua quoque cum cauda sua summittere huc digneris. Procul dubio ita paullatim ac seorsum transmissa se cum pondere apud magnas et cordatas animas insinuabunt, vti *postillà* iunctim compacta, et integre in suo pleno habitu comparentia, placitura sint omnimodo. Simul iudicia priuatim exquirentur hominum intelligentium, e quorum ante occupata conscientia multum compendii ad vsum facere et ad famam poteris. Potest quippe sic praeiudicata huius vel illius incircum-

specti

ſpecti ac vulgatis dogmatibus politicis mendoſe imbuti hominis opinio temporius aliquanto praenoſci, cui continuo in mediis operis ſubueniatur, ante etiam, quam editio libri Tui ad abſolutionem ſui in ſolidum perducatur. Eius quantum formis eſt exſcriptum, vti ſuccedaneas per occaſiones ad me perferri cures, multum oro, obſecro, peto. Certe non fuerit nullum operae pretium id facere. Si qua viciſſim hic habuero, quorum copiam Tibi gratam fore animaduertero, ea per me obtingent deſideriis Tuis promptiſſime; vt nec omiſſurus ego ſum de cetero ſtili officium, quotieſcunque prae negotiorum incredibili multitudine, cui hactenus parum aſſueueram, eo digne perfungi quidem valuero.

De reliquis, quae adiunxiſti proxime, gratias ex animo maximas ago. *TABOREM*, illum inconſultum forenſium legum tympaniſtam, ex merito vapulare arbitror; quanquam inclementius adhuc fuiſſe videatur defricandum illud inflatum animal.

Ceterum quae *de eccleſia* moliris, auide exſpecto. Tuam ſententiam nunc recte cognoui: et, qualis nunc apparet, non habet perinde impeditos explicatus. D. meus *VORBVRGIVS* laetatur.

tur, Te fui efle tam amanter meminentem. Commendat fe et fuos libros mutuæ Tuæ charitati quippe qui Te et amet, et Tua merito faciat longe maximi. Neque parcam ego et ipfimet *EMINENTISSIMO PRINCIPI NOSTRO* Tua oftendere, quin ipfi quoque *CÆSARI REGIue*, quo Te nofcant intimius. Sum fane femper ex toto germano corde Tui amantiffimus,

CARAMVEL non eft hic. Scribam tamen ei Tuo nomine non vnas falutes.

XVII.

CONRINGIVS BOINEBVRGIVM, præmiffis nonnullis aliis, dehortatur ab affenfu Pontificiis præbendo.

Helmftad. d. 6. Mai. 1653.

Quas $\frac{16}{26}$ Martii dedifti, Generofe *BOINEBVRGI*, ferius quidem, vtpote demum ante quatriduum, mihi redditæ funt; longe tamen cariffimæ fuerunt, quod eo, quo nunc es, loco, interque tot negotia fumma, integra tamen veteris amicitiæ noftræ iura fibi conftare, imo in me affectum pene crefcere, abunde fignificarent. Nec vero eam fiue laudem fiue commendationem

E tu-

tuam merentur propedeuticæ illæ de *ciuili prudentia* plagulæ, qnas misi in antecessum. Amori tuo, impedito iudici sententiam istam ascribo; demens, si eam mihi patiar persuaderi. Nullus dubito tamen, tuis illis effusis laudibus futurum, vt Summatum quoque nonnulli ausint meas esse aliquid putare nugas. Quo nomine gratias Tibi ego sane debeo maximas. Ceterum illum de ciuili sapientia laborem paulisper seponere me cum alia negotia, tum liber de *Finibus Germanici Imperii* iusserunt. Hunc sane per otium vnice nunc elaboro, eo difficilioris argumenti, quod nemo illud hactenus attigerit, quantum sciam, et testimoniis omnia peragenda sint, et denique in ancipiti sit veritatem assequi, atque assecutam prodere sine magna offensa. Et tamen consulte abstineo ab indicandis caussis prolapsi adeo Imperii nostri: quæ tractatio institui non potest, quin plurimos offendas grauiter. Consilium erat librum illum Eminentissimo hero tuo consecrare: nec dubito, quin animum illum iam intellexeris ex literis, quas detulit Episcopi Lubecensis Legatus *CASSIVS.* * Ex *BLVMIO* vero nostro intelligo, suadere Te, vt librum de *Ci-*

* Has *Cassianas* statim subiicimus.

Ciuili prudentia inſcribam futuro (faxit Deus) Romanorum Regi. Mihi autem non ſatis conſultum videtur, vt librum propedeuticum, quique adeo ipſam ſapientiam non docet, tanto nomini offeram, et quidem ego, homo ignotus, et fortaſſis haud ſatis acceptus. Iam vero ne quid diſſimulem, cohibet me neſcio quid, vt vix audeam aliquid, quale illud cunque fuerit, loco tam ſplendido exponere. Vt tamen te ſequar in eo, vt auſim aliquid illuc ferre; malim equidem adducere librum *de Finibus*, vtpote quod argumento ſuo plane vltra eat quaſi ad Cæſares. Modum, quem obſeruo in tractatione ipſa, oſtendent tibi ipſæ hæ plagulæ, quas mitto. Deducere vero omnia conſilium eſt ad noſtra vſque tempora, quæ ſane cum priſcis illis collata dixeris miſerrima, et ſub finem adiungere procemium in Politicam Ariſtotelis, quod in eo antehac de cauſis collapſæ reipublicæ nonnulla iuuenis diſſeruerim. Quæ porro prodierunt mittam per partes, iudicii tui faciens, cuinam tandem liber ſit conſecrandus. Neque vero te inconſulto ea in re quidquam conſtituam. Peto vero mihi communices titulum cum futuri Regis, tum *AVERSPERGII* Comitis, et cumprimis Eminentiſſimi D. Electoris Moguntini. Quæ *TABORI* oppo-

ſui haud diſplicere, vt et meam de Ecoleſia ſententiam, vbi percepiſti, haud improbari, equidem gaudeo. Vtinam liceat librum, quem paro, de ſacro illo argumento breui edere! Rem gratiſſimam feceris, ſi ſignifices, quemnam maxime exſtimes eo in argumento dignum, cum quo diſputem, et librum aliquem eiuſmodi mihi forte non viſum tranſmittas. Methodum ad Concordiam *WICELII* te quam maxime ſequi, ex *BLVMIO* noſtro intelligo. Hactenus quidem illam non vidi; non opinor tamen abire a *Via Regia.* Eam ſi ſequaris, mi Amice, ſic ſatis adhuc ſalua res eſt. At ſine receſſu ab Eccleſia Romana poſſe nos aſſequi id, quod emendatum volebat *WICELIVS*, ſi exiſtimaueris, non minus falleris, atque ſe ſpe ſua deluſum ſenſit tandem, finito dudum Concilio Tridentino, *WICELIVS.* Quæſo Te, quos abuſus Eccleſiæ Romanæ recenſuerit *WICELIVS* in Elencho ſuo, diligenter aduerte; quam illi ſint grandes; quam numeroſi; et expende porro, num illi hactenus ſint correcti, aut num qua ſit correctionis ſpes, aut num in ſancta Eccleſia Dei ſint tolerandi? Si emendandi ſunt, vt ſunt vtique, et ſint, qui prorſus obluctentur; quidni iubeas illos res ſuas habere? Ingens bonum, fateor, concordia et pax, præcipu-

cipue in domo Domini. At non quæuis; ſed pax Chriſti; pax veritatis et ſanctimoniæ ſocia. Viuendum cum omnibus hominibus in pace; at ſi fieri poſſit, et quantum in nobis eſt. Sed quid tua moror tempora, Generoſe *BOINEBVRGI*? Ego vero ſalutem Tuam ſanctiſſimo Numini etiam atque etiam commendo, manſurus, quamdiu vixero,

Tuus omni officio ſtudioque.

XVIII.

CONRINGIVS BOINEBVRGIO, iam Conſiliario Moguntino, D. *CASSIVM* commendat, Legatum Epiſcopi Lubecenſis.

Pridie Kal. Aprilis 1653.

Generoſe Vir.

Quæ nuper miſi cum literis per Holſatiæ Ducis Legatum, non dubito recte tradita. Qui haſce curat, Legatus Epiſcopi Lubecenſis, eiuſdemque Conſiliarius ſummus, D. *CHRISTIANVS CASSIVS*, Vir plane optimus et doctiſſimus, adeoque hactenus tui ſimilis, petiit ſe ſe tibi commendari. Nec tamen illa opus eſſe arbitror apud Te, qui faues bonis omnibus, vt ſolet ingeniorum ſimilitudo ſanctiſſima eſſe amicitiæ conciliatrix. Si tamen ita te geſſeris, vt poſſit intelligere, aliquid ſibi

datum etiam mei caufa, multum gaudebo. Obitus Soceri mei * non nihil fufflaminauit ftudiorum meorum curfum, itaque nihil habeo noui, quod mittam. Pergam tamen, quoad licebit, in iis, quæ occœpi, et pene conftitui librum, quem edo, de *Finibus Imperii Germanici*, Sereniffimo et Eminentiffimo D. Electori Moguntino confecrare, quod tale argumentum videatur Archicancellariatu haud indignum. Non tamen in rem transferam confilium, nifi ex tua fententia: quam itaque vt libere pro iure amicitiæ noftræ promas, rogo. Vale ac falue.

Infcriptio literarum:

Illuftri et Generofo Domino, Io. Chriftiano a Boineburg, Eminentiffimi Principis Electoris Moguntini Confiliario primo.

Ratisbonam.

XIX.

CONRINGII planctus ad *BLVMIVM*, de *BOINEBVRGII* tranfitu ad Pontificios.

Helmftad. d. 6. Mai. 1653.

Binas abs Te literas, mi *BLVMI*; alteras ante hos

* Fuit is *IO. STVCKIVS*, Ictus eximius et Cancellarius BremenfisDucatus, patria Hanoueranus.

hos dies quinque; alteras nudius tertius accepi, cum iis, quas incluſeras, *BOINEBVRGII* noſtri. Hunc ad Pontificias partes abiiſſe, vehementer doleo. Sed quid agas? Domino ſtetit, Domino cecidit. Si *WICELIUM* ſequitur, quod innuis, profeſſionem fidei, qnalem Papa præſcripſit et iuſſit exigi, qui per conſcientiam poſſit facere, non video. Etſi enim *Methodus* illa *Wiceliana* mihi hactenus viſa non fuerit; ſuſpicor tamen, non alienam illam eſſe ab iis, quæ habet *Via Regia* et *Elenchus Abuſuum*, per me editus. Methodum ſi miſeris et operæ fuerit pretium, curabo illum recudi cum *Via* illa *Regia:* cuius exempla iam pene omnia ſunt diuendita. At longe acceptius fuerit, ſi quid Tridentinarum chartarum miſeris, quales a me ſunt *Viæ* illi additæ: quarum tibi vim magnam eſſe pene mihi perſuaſi. Vt librum de *ciuili prudentia* conſecrem futuro propediem Romanorum Regi, adduci nequeo, preſertim cum ſit tantum propedeuticum quid, cuiuſmodi ſcripta ſcholæ potius commoda ſunt, quam aulæ. Si liceat tanto Principi offerre aliquid, conſultius duxerim, mittere librum *de Finibus Imperii Germannici*, argumento hactenus non tacto a quoquam pro dignitate. Plagulas aliquod mitto *BOINEBVRGIO* in antecef-

ceſſum, et per partes reliqua mittam, quo accuratiore attentione legat omnia antea, quam liber prodeat integer. Eius opera facile incident tuas etiam in manus. Eoque rogo, vt et tuum et aliorum de ſingulis iudicium ingenue mihi exponas. Sane exigit hóc argumenti et nobilitas et difficultas; ne quid de mea dicam exiſtimatione, quæ in illo libró haud parum periclitabitur. Comitem *RANZOVIVM* magnum malum minari *CALIXTO* iam intellexeram, neque miror. Teſtor vero Tibi, me ex homine, qui affirmabat familiariter ſibi fuiſſe notum in Batauis, longe vaniora, ineptiora et ſuperſtitionis Anabaptiſticæ pleniora de *RANZOVIO* accepiſſe, quam ſunt illa a *CALIXTO* tacta. Neque deſunt *CALIXTO* iurati teſtes alii. Si libelli *Ranzouiani* editionem turbaueris, bene conſulueris ipſius famæ: nec enim ille conuitiis ſeſe purgabit, aut vindicabit, quam paſſum ſe credit, iniuriam. Si infra dignitatem, quam nactus eſt, convitiando ſe deiecerit, quanto ſe periculo exponat facile intelligis. Rem gratam feceris, ſi vel tu ipſe, vel te curante *BOINEBVRGIVS* mittat ſubinde aliquid libellorum de imperii noſtri negotiis, quales volitare inter mannus equidem haud dubito.

XX.

XX.

BOINEBVGIVS CONRINGIO ergaCaſſium quæuis officia ſpondet.

Ratiſbonæ d. 14. Mai. 1653.

Quæ D. *CASSIVS* a Te attulit mihi, quam grata exſtiterint, ne quære, obſecro. Quid enim a manu Tua ad meas perueniat, quod non ſumme ſit gratum iucundumue? Librum *de Ciuili prudentia* indies exſpectamus, cuius quæ in anteceſſum præmiſiſti nuper, *Comes de Auerſberg* ſedulo pellegit, ac diiaudat vtique. *REGI* ſi inſcriberes, næ multum pretii inde fieret. Neque credo, quicquam ei ineſſe poſſe, quod Cæſareis partibus diſpliciturum ſit. Quale quid• cum nec alter Tuus liber *de Imperii* noſtratis *Finibus* videatur complecti, quid ni et is merito nuncupetur Principi Electori Moguntino? Cum D. *CASSIO*, ſimulac Auguſta redierimus, notitiam, atque ſi pati id ipſe volet, familiaritatem quoque contraham, omniaque Tui cauſa, tum et Principis Lybecenſis, ac ipſius eximii illius hominis merito, illi faciam, quæ ex me requiri videntur poſſe, gaudeboque vehementer, ſi qua Tibi Tuiſue ſuauia officia deinceps exhibere potuero. *BLVMIVS* vna mecum ibit Auguſtam Vindelico-

 rum.

rum. D. *CALIXTVS* plurimum ex me ſalueat. Vale perpetuo, Vir mihi cariſſime, Honos Germaniæ noſtræ.

XXI.

CONRINGIVS apud *BOINEBVRGIVM* intercedit pro Euangelicis, in terris Auſtriacis grauiter afflictis.

Helmſtad. d. 1. Iun. 1553.

Generoſe Domine.

Summa cum voluptate intellexi, non tantum apud Eminentiſſimum Herum, ſed apud ipſam S. Cæſaream Maieſtatem magno te in pretio eſſe. Eoque non dubito ſuggeſturum te, quoad licet, illi etiam loco ſalutaria conſilia. Vides vero, quanta ſæuitia exerceatur in miſeros Euangelicos Auſtriacos, nulli culpæ affines, niſi quod ſint *Euangelici*. Si hæreticorum eſſent peſſimi, quieti tamen et ciuili ſocietati haud aduerſi; nullam pœnam ciuilem mererentur, multo minus adeo immitem: quod ſperauerim me alias tibi probaſſe Exercitatatione *de Magiſtratus ciuilis officio*, et probabo rurſum publicato libro. Hæc vero pœna ſuperat inclementiam vulgo in Germania receptam, dum miſeris flebile etiam illud *emigrationis beneficium* denegatur. Vt pœnam vero

vero excuſes, tanquam non iniquam; vtique ſalus publica longe mitiora exigit. Quo animo, quæſo, poſſumus Euangelici eſſe erga illum, qui eo plane tempore, quo ſaltem tranquillitatis publicæ ergo aliquid eſſet indulgendum, non dubitat, ſpectantibus ex propinquo Ordinibus, in plenis Comitiis velo diducto oſtendere, quid facturus ſit, ſi vires ſuppetant? Talibus conſiliis Deo et Reipublicæ aduerſis et ſe ſperato Germaniæ dominio exuit, et Imperium omne tantum non euertit *FERDINANDVS* pater. Quæſo te per omnia ſacra, vt des operam, vt illi ſæuitiæ ſaltem fibula imponatur. Satis ſit, ſemel periiſſe Germaniam. Vale et ignoſce.

XXII.

CONRINGIVS BOINEBVRGIO mittit quædam; non tamen ſine exprobatione.

Helmſtad. d. 4. Iunii 1653.

En! Tibi iterum plagulas aliquot libri *de Finibus*. Excreſcit ille præter opinionem, magiſque exerceſceret, niſi libri idonei deeſſent. Certe ſi vel vſuram aliquam nonnullorum monumentorum procurare tu poſſis, forte reſponderet exſpectationi. Etiam ita tamen modo non

on-

omnino displiceat tibi tuique similibus, gaudebo. Sin minus; gratissimum tamen fuerit intelligere, vbi impegerim: quod itaque me nequaquam celaueris. Mea *de Ciuili prudentia* arrisisse ipsisimet Caesareae Aulae proceribus, non tam meis meritis, quam tuis laudibus acceptum refero. Non persuades tamen hactenus, vt libellum propaedeuticum offeram nouo Regi nostro, praesertim cum ille abs me perfici nequeat, nisi altero illo *de Finibus* iam absoluto. De hoc offerendo illi sacrae dextrae pene statutum mihi est, nisi Tu aliique disuaserint: quorum consiliis ego stabo. Quod Episcopi Lybecensis Legato bene te facturum promiseris, ago gratias maximas. Experieris illum aliquando, qualem laudaui, virum bonum, doctum et prudentem. *CALIXTVS* vicissim officiose te salutat. Dolet mecum, quod tua facilitate haud leue scandalum dederis, quasi et tu probes ridiculam superstitionem Romanensium: quam tamen abs te probari, nemo, qui te nouit, sibi temere persuaserit. Vtinam, o carum caput! non in te concites diuinam vltionem! Ego vero Deum obsecro, vt mentem sanam in sano corpore reipublicae bono diutissime tibi conseruet.

XXIII.

XXIII.

CONRINGIVS HENRICO IVLIO BLVMIO.

Helmſt. d. 4. Iunii 1653.

Quas per *SCHWARTZKOPFII* noſtri filium et *BOINEBVRGIO* et Tibi miſi, indubie iam acceperis. Eoque nunc breuior ſum. *BOINEBVRGIO* miſi hac vice iterum plagulas aliquot libri de Finibus Imperii Germanici. Quæſo, vrge, vt in hoc argumento me iuuet ſiue libro aliquo, ſiue ex aula Cæſaris, præſertim circa Italiam et Vrbem Romam ac Venetorum in continente poſſeſſiones. Nec enim, qui ab Archiuis deſtituor, non poſſum non ſubinde impingere. Velim tamen, quoad fieri licet, errores cauere. *WICELIUM* exſpecto. Fama eſt, Hiſpanos, Auſtriacos alioſque multum iam laborare, vt tandem ab *INNOCENTIO* exprimant, quam *VRBANVS* negauit, *de immaculata conceptione* definitionem. Vide, vt creſcat ſtulta et impia ſuperſtitio, poſtquam regiam Catholicæ veritatis viam, ſacras literas dico, deſeruerunt. Et tamen ad hæc et ſimilia ſaltem muſſitandum fuerit, ſi illas partes fueris amplexus. Hæc *BOINEBVRGIO* non probabuntur, ſcio; tamen maluit illius Eccleſiæ mem-

membrum videri. Fateor me desiderare hic prudentiam amici nostri.

XXIV.

Appendix Epistolæ Conringianæ ad *BOINEBVRGIVM* scriptæ. *d. 11. Iul. 1653.*

Hæc iam exaraueram, cum offeruntur mihi literæ Blumii nostri, mentionem facientes nescio Tuarum an ipsius literarum aliarum de negotio, quod inter Eminentissimos Electores intercedit *de iure coronandi.* Illæ hactenus mihi visæ non sunt. De negotio autem illo equidem numquam dubitaui, quin Coloniensi non aliunde datum sit coronandi ius, quam quod Aquisgranum locus coronationis frequentissimus sit diœcesis Coloniensis. Haud difficulter id probauero, si sciam, me operæ facturum pretium, commentariolo aliquo. Optauerim tamen potius litem hanc amice componi, cum plus satis respublica dissidiis suo summo damno laboret.

XXV.

BOINEBVRGIVS inter alia a *CONRINGIO* denuo flagitat librum de Ecclesia.

Ratisbonæ d. 28. Aug. 1653.

Debebam vtique ocyus rescribere ad iucundissi-

ſimas mihi literas Tuas, Vir Summe, idemque cariſſime; at præ negotiorum aliorum nimia vbertate, quæ hic nunc plane in immenſum exit, necdum potui; quanquam impenſe meo fungi officio curarim ego. Clariſſimo *BLVMIO* noſtro diu eſt, ex quo id negotii, iure eius, quæ inter nos intercedit, bonæ amicitiæ, dedi, Tibi nunciaret, quæ nobis videantur circa opus *de Finibus* noſtratibus. Scilicet per eſt difficile, hic in aula Cæſaris, vel apud alios vt vel tantillum reperias, quod quidem adiuuare Tuum ſtudium aliquatenus valeat. Ita omnes inſcitia magis delectat, quam curatio rerum patriæ, debita Gloriæ Imperii: pro quo aduigilare haut vnis nominibus, neque vniuſmodi rationibus, nos ad vnum omnes oportet. Oro Te, perge in laboribus optimis iſtis, quos placituros Regi ne dubita. Alter *de Ciuili prudentia* liber ecquando autem prodibit denique et ipſus? Nimis diu æſtuat ſub incude. Inſcribas licet eum Eminentiſſimo Moguntino meo. Talia apprime vaſtum eius et acutum ingenium afficere ſolent. Nec enim Tu vulgari modulo res humanas, quæ ciuili pertractationi ſubſunt, arbitraris; pertæſus quippe iſtarum, quæ in vulgus diduntur ſubinde, inaniſſima-

marum comprehensionum, queis politicen tradere quidam protritarum eruditionum concionatores nil verecundantur. De *ecclesia* vero si cogitata Tua in publicum tandem edideris, sicut es mihi pollicitus; beaueris multum non me modo, sed totum, quod attendi velim, cultiorem orbem. Sin id facere iusto diutius procrastinaueris; velut ingens malum nomen, Te coram omnibus. Sed quid? Te, inquam, rogabo tum, vt postilla hoc omne in præsentem mediam rem conferas denique. Ingeniosius enim qui istud argumentum tractare sustineat, præter Te profecto noui neminem alium. *TITII* responsum ad *motiuum* cumprimis *IIItium* indies exspecto iuxta cum ceteris hic. Sed iam vrgeor desinere. Vale, Vir magne, et me ama,

Tui præclari nominis amantissimum et studiosissimum

I. C. V. B. Eq.

D. D. *CALIXTO* officia mea et mille salutes.

XXVI.

CONRINGIVS BOINEBVRGIO offert operam suam in defendendis iuribus Moguntini circa coronationem Regiam.

Helmstadii d. 5. Sept. 1653.

Aliquam multas ad Te literas dedi, Generose Do-

Domine *BOINEBVRGI*, proximis hisce hebdomadibus. Cum nihil redderetur; miratus sum silentium tuum, simul veritus, ne quid amicitiae nostrae detraxerit fortasse *NIHVSII* familiaritas. Nunc demum intelligo, nihil tibi mearum esse redditum, idque culpa aulae vicinae, cui meas omnes curandas commisi. Ea res me aegerrime habet, cumprimis quod metuam, ne apud te incurrerim, vtut innocens, suspicionem minus ex fide obseruati iuris nostrae consuetudinis. Sed me excusabunt literae illae, quas iam repeto, breui alia quadam conditione missurus simulac eas recepero. In iis simul exposueram sic satis prolixe, quid sentiam de controuersia, inter Eminentissimos Princeps D. D. Moguntinum et Coloniensem exorta circa ius coronationis Regiae nostrae. Si operae me audiam pretium facturum, tuque id ipsum suadeas, repetam laborem in gratiam Eminentissimi Heri tui, a cuius sto partibus. Pro *WICELII* libello et iam tum egi, et ago hodieque gratias maximas. Placet ille. Expertus sum autorem, qualem alibi semper, rigidum vtriusque partis censorem, et studiosum pariter Ecclesiasticae cum pacis, tum emendationis ad faciem et leges primorum temporum. Credidit scilicet vir optimus, et reduci illam posse, schismate

nullo facto ab Ecclesia Romana, ad priscos illos et sanctos mores, initio quadam facta sibi expectatione a Concilio Tridentino; qua tandem frustratus, spe noua concepta a Cæsare *FERDINANDO* et *MAXIMILIANO*. Quod si per ætatem licuisset experiri, quam et illa spes foret inanis; indubie tandem et ipse maluisset emendationem cum schismate quærere, quam subdolæ pacis specie relinquere Ecclesiam vitiis suis immersam. Mitto iterum partem operis mei *de Finibus*, nunc tandem aggressus vltimum argumenti istius locum, eumque difficillimum. Vereor, ne frustra te hactenus rogauerim consilium et opem ad illum expediendum, quod procul adeo absis, nec vacet hæc curare. Si possis tamen, fuerit id ipsum mihi longe gratissimum, præsertim in rebus Italici et Burgundici regni, quæ omnium sunt intricatissimæ. Cogor ego quidem pergere; at posset in appendicem reiici.

Vnice vero te rogo, atque per iura veteris nostræ amiticiæ, vt bona fide me doceas, num ex re mea fuerit, librum Romanorum Regi inscribere, et qui id fieri possit commode, dilapsis forte Comitiis. Sane multum me beaueris hæc docens breui quadam existola; nec enim velim

id

id fieri per quenquam alium. Ignoſce, Vir Generoſe, tam libere tecum adhuc agenti fiducia priſtini tui in me fauoris. Deum veneror, vti te diu ſoſpitem ſeruet in bonum publicum.

XXVII.

BOINEBVRGIO placet *CONRINGII* conſilium.

Ratiſbonæ d. 20. Sept. 1653.

Ampliſſime Vir,

De miſſis ad me reliquis pagellis libri *de Finibus* gratiam habeo multam ex animo. Quæ reſtant exſpecto deinceps. Eminentiſſimo Principi Electori Moguntino optima tua voluntas placet admodum, iuſſitque reſcribere, id negotii, quod noſti, commendatum Tibi habeas, et ex veteribus monumentis pro ea, qua es, illorum peritia rem omnem enuclees. Gratum ſe fore, vehementer teſtatur: cui rei tuto confidi poteſt. Quo citius, eo acceptius feceris, quæ ſpondes. Interim nihilo tamen inefficacior me ſpes habet, omnem hanc litem compoſitum iri facile, aut Colonienſes quieturos eſſe ſuapte ſponte; quemadmodum nunc exiſtimandi nobis copiam multa faciunt. Libellum Tu vero, mi honoratiſſime

amice, ita formabis, vt arcem quidem caussæ feriat; Electori tamen Coloniensi ne stomachum forte nimis commoueat, Principi cetera optimo. D. *VORBVRGIVS* salutat peramanter, et iuxta mecum orat, Eminentissimo nostrati hoc officium exhibere suscipias, qui Tui curam semper ac tutamen geret vtique. D. *CALIXTO* salutem ego ex animo dico, et precor vitam porro bene longam. Quæ *de prudentia ciuili* edis, velim inscribas Electori nostro; *de Finibus* Germaniæ librum Regi; de *Coronatione*, cuicunque voles. Is enim Electori dein trasmissus ab illo non modo, sed ab omnibus Ministris magnam inibit gratiam; tum et a Maguntiacis Kapitularibus. *De ecclesia* quando opus perficietur, obsecro? Eius me quanta teneat auiditas, dici equidem non potest satis. Si quid nouo Principi *AVERSBERGIO* dicaueris, non abs re id foret. Sic vale in seros vsque annos.

Tuus Tuo merito

I. C. B. v. Boineburg, eques.

Si opusculum de iure coronandi dedicares Principi *AVERSBERGIO*, mihique, dum hic sumus adhuc, mitteres, ingens id curæ foret pretium. Est enim is semper a nostris partibus, iudicans omnino secundum Maguntinum.

XXVIII.

XXVIII.

BOINEBVRGIVS petit a *CONRINGIO* varios libellos, Romanorum Regi et Ministris eius profuturos.

Ratisbonæ d. 6. Octobr. 1653.

Vir mihi æstimatissime.

Scripsi ad Te plus semel, cumprimis tum, ex quo perspexi facilitatem ac propensitatem tuam erga iustitiam causæ nostratis aduersus Colonienses. Ea Tua prolixa ac opportunissima voluntas quam præclare placeat Eminentissimo meo Principi, dici equidem nequit satis digne. Proxime habebis, quæ nos in antecessum reposuimus; quibus responsi hactenus nihil redditum est a parte aduersaria. Regi inscribendum librum esse *de Finibus* adhuc censeo, immotis rationibus in id permotus. Simul autem mitti mihi exemplum opteni libri *de Germanorum Romano Imperio*, * et vtinam ex condicto recusum? Principi *AVERSPERGIO* tradere volo, quo is plenissime bonas res illas nostras edoceatur, si qua haut

 per-

* Hunc enimuero anno 1643. in Academia Iulia, præside *CONRINGIO*, pro cathedra defenderat *BOINEBVRGIVS*, vt ipse scribit ad *Dietericum Epistol. XI. p. 50.*

perinde is intelligat, protinus interpretaturus paullo laxius. Si liber *de Origine Germanici iuris* vna aduenirет, tum et alia pluſcula tua, quorum maxime vſum *REGI*, et bonis circa illum, viris, fore arbitraberis; non abs re id eſſet. In ſingulas dies exſpecto vltimas plagulas libri *de Finibus;* nec minus poſtea tractationes de *prudentia ciuili*, ac, quod inprimis flagranter videre deſidero, *de Eccleſia.* Iam cogor finire nimium occupatus. Hodie reſcribere Tuis, quas et hodie ante meridiem accepi, merito ego quoque debui, pauxillum ad id ſuffuratus temporis. Vale, Decus meum ingens, et honos noſtræ patriæ!

Tuus

I. C. B. v. Boineburg Eq.

Proxime plura ſcribam. Iam non poſſum quin orem, vt a D. *CALIXTO* impetrare mihi velis ſupplementum *ſacri apparatus* eius, et quæ edidit de rebus Eccleſiæ Occidentalis per ſecula X. XI. & deinceps. *Poſta* gratis mihi affert omnia, ſi inſcribantur mihi. Id enim iuris habemus, qui Moguntino ſumus in Imperio a Conſiliis.

XXIX.

XXIX.

CONRINGIVS promittit *BOINEBVRGIO* defensionem iurium Moguntini, et responsionem flagitat ad Epistolas suas polemicas.

Helmstadii d. 18. Nou. 1653.

Dum post aliquot septimanarum interuallum, quo me domo abesse iusserunt negotia, et huc illuc iactauere, ad meos ante hos quatuor dies reuiso, inter ea, quæ iucunda occurrerunt, obiecerunt se mihi binæ literæ tuæ; sed diuerso admodum tempore exaratæ: vtræque beneuolentiæ pristinæ indiciis refertæ, eoque nomine longe mihi acceptissimæ. De *iure coronandi* stat sententia, simul ac absoluero librum *de Finibus*, illi argumento calamum impendere. Itaque dabis operam, ne quid me lateat quod ad exornandam causam possit facere. Nec enim dubito a vobis multa præclara iam tum illi fini collecta in vnum, præsertim cum nihil horum possit latere saltem magnum vestrum *VORBVRGIVM*, principem eorum, qui res Germanicas hodie creduntur paulo penitius perspexisse. Ego constitui sic temperare calamum, ne videar hoc negotium ex professo agere, aut vestro vti consilio. Ita enim fortassis et Eminentissimi D. Electoris causæ, et

meo nomini quam rectiſſime conſuluerim. Interea pergam in opere incepto *de Finibus*, quantum quidem per negotia licuerit, quæ me non patiuntur ad finem peruenire. Excreſcet opus, niſi fallor, in quintum vſque Alphabetum, vt vocant. Bene vero non de me ſolum, ſed etiam de publico mereberis, ſi ſaltim per D. *VORBVRGIVM* cures accurate omnia expendi, priuſquam prodeant in hominum oculos. Certe libera quadam animaduerſione nihil mihi eſt iucundius, vtpote cum illa adiutus poſſim ſaltim in appendice notare ac mutare, quæ obelo merentur configi. Mea *de Eccleſia* neſcio quare ita exigas, Amice; cum nihil hactenus repoſueris iis, quæ abs me in Epiſtolis * quondam fuere diſputata; imo multum illa laudaueris pene illo momento, quo partes noſtras deſeruiſti. Intelligo a D. P. *FORERO* quædam de argumento iſthoc aduerſus me edi: illa vbi prodierint in lucem, inuitabunt me ad ſeriam curam. Nec enim

* Intelliguntur Epiſtolæ illæ polemicæ, quæ vbi legi poſſint indicauimus ſupra *p.* 47. *et p.* 52. Pupugit hoc ita *BOINEBVRGIVM* vt aliquamdiu ſileret. Interim per *SCHEFFERVM* ſcribi iuſſit, quæ ſequuntur.

enim tum deero veritati et ſancto officio meo; modo non conuitiis abruperit diſputationem adeo nobilem aduerſarius. Interim a *SCHWARTZ-KOPFIO* noſtro facile tibi petierit *BLVMIVS*, quae reſpondi ad argumentum, quod peti a veſtratibus ſolet. a ſucceſſione perpetua Epiſcoporum Romanorum. *CALIXTVS* noſter officioſe te ſalutat. Ille eos, quos petis, libellos nondum abſoluit; nec fortaſſis abſoluet vnquam hac aetate prouecta, totque inter latratus veſtratium noſtratiumque.

XXX.

SCHEFFERVS ad *CONRINGIVM.*

Francofurti d. 27. Ianuar. 1654.

Excellentiſſime Domine Conringi,
Amicorum optime.

Geſtio tandem videre filii mei Introductionem Medicam ad vmbilicum perductam. * Promoueas quaeſo, cum inſtent nundinae paſchales. Eſt ani-

* Haec cum *Conringii* auſpiciis prodierit *introductio*; inde natum problema in orbe literario, vtri parenti ſit adſcribenda.

animus mihi auocandi eum, cum opportunitas in terras alio ſole calentes mittendi illum appetente æſtate haut negligenda aderit. Exoptaſſem equidem, vt ſtudiorum finem et præmium Doctorale Te promotore aſſequi potuiſſet, cum quidquid eruditionis habet, vobis acceptum ferat. Verum præſto ſunt cauſſæ prægnantes, quæ id hocce tempore diſſuadent. Multum temporis quidem peregrinationibus non debet attribui. Vix enim alibi gentium meliora in praxi videbit, quam hic. Neque in Italia aut Gallia plus conſummari video ſtudioſos, quam in Academia Iulia. Vtinam Tua inde reportent. *BOINEBVRGIVS* heros nulla non ſcriptione ad me vrget tractatum Tuum de Eccleſia, et, ſi non ſteteris promiſſis, malum ſibi nomen futurum. Ex hiſce adiectis, ante triduum ad me ab ipſo perſcriptis, amicam admonitionem ** cognoſces. Communica, quæſo, cum *CALIXTO* noſtro. *BLVMIVM* indies iterum hic præſtolamur. Eſt vnus ex nouis *Catholicis*, non magnam eſſe inter nos differentiam aſſerentibus. Fui ante ſex dies ad Satrapam quendam, Moguntini Electoris proxime

** Hanc *amicam admonitionem* ſtatim ſubiicimus.

me cognatum, euocatus, qui nuperrime venit Ratisbona et *BLVMIVM* bene nouit. Referebat, quod Elector illum magno prosequatur amore et fauore ob singularem doctrinam. Quo autem officii genere ornabitur, adhuc incertum. Opimo Canonicatu forsitan potietur. Hisce Vale perquam optime!

Tuus

Wilhelmus Ernestus Schefferus.

XXXI.

Appendix Epistolae *Boineburgianae* ad *Schefferum*, *Ratisbonae d. 24. Ianuar 1654.*

Sub fide amicitiae nostrae scribo Tibi, nos hic inaudiuisse, *CONRINGIVM* in suis commentationibus, cetera cruditissimi pulueris plenissimis, citare quandoque *HIPPOLYTVM A LAPIDE de ratione status Germanici.* * Qui scriptor quam nefandus et sceleftus sit; quam item periculosa in politicis tmemata complectatur; quantum similitudinis denique cum *Brunonistis* et *Cromwellicis* ausibus habeat, nosti. Amabo Te proinde moneas optimum *CONRINGIVM*, si id facit qui

* Innuitur liber cuius auctorem prodidit *Conringius* supra *p. 19.*

quidem, quod incusatur fecisse, vt parcat scriptionibus suis, easque ne commaculet recensu scripti adeo nefarii et supra omnem modum pestilentissimi, quod forsan heic breui publico in foro cremabitur per carnificem iussu Caesaris, et concessu Electorum ceterorumque ordinum omnium. *BLVMIVS*, vt spero, breui huc redierit. Modeste se apud Vos et molliter gessisse, superstitionumque esse fugitantem, vt facile assequor, ita et laetor. Quis autem sit temere Zelotes et superstitionibus de industria velificetur, qui gnarus est doctrinarum Ecclesiae? quae sane recte et plene intellecta non affert odia contra dissidentes, nec inuergit animis superstitionem. Optandum foret vtrimque lenius agier religionis negotium. Sed *TITIVS* vestras nimis multus est in conuitiando: vt altera contra *TRVXESIVM* disputatio eius ostendit. Profecto *CALIXTI* modestiam non seruari amplius *Helmstadii*, doleo. Forte *Hulsemannisantur* ibi paullatim, et ex canibus mordacibus euadunt furiosi et rabidi.

CAESAR ipse legit *HVLSEMANNI vermem*, cui libenter et *CALIXTI* traderem, si haberem. Haec perinde legi, vestra referret. Quid si mittantur mihi?

XXXII.

XXXII.

CONRINGIVS BOINEBVRGIVM missa *Concussione* sua grauissimis verbis reuocat ad partes, quas deseruerat, et *Hippolyti* caussa se purgat.

Helmstadii d. 27. Febr. 1654.

Quum ante hosce quatuordecim dies adesset nobis *BLVMIVS* noster, nihil ex illo iucundius accepi, quam euectum Te a Sacra Cæsarea Maiestate, vt ante in *Equestrem*, * ita nuper in *Baronum*

* Caue putes, *BOINEBVRGIVM* forte hoc tempore impetrasse ab Imperatore *codicillarem* nobilitatem, cuius genus ab atauis fuit nobilissimum. Cui subscriptiones literarum eius, quas adhuc exhibuimus et porro exhibebimus, accurate intueri placebit, is animaduertet, *Boineburgium* inde a mense Augusto anni præteriti syllabam *eq.* vel voculam *eques* nomini suo appinxisse. Vnde statim in suspicionem veni, forte hoc propterea factum, quod ille Ratisbonæ in Regis Romanorum Ferdinandi IV. inauguratione d. 28. Iunii. 1653. peracta *eques* creatus esset. Nec fefellit coniectura: siquidem in indiculo XIV. equitum tum creatorum *IO. CHRISTIANVS* a *BOINEBVRG*, *Electoris Moguntini Consiliarius Intimus*, et *Supremus Aulæ Marescallus* medius comparet

ronum ordinem: de quorum priore tantum hactenus

paret apud *LONDORP. T. VII. p. 46.* Scilicet ex veteri consuetudine Imperatores nostri viros fortes et generis claritate conspicuos, qui eos Romam comitabantur ad suscipiendam coronam Imperialem, peracto coronationis ritu, in ponte Tiberino sub dio, spectante omni populo, adhibitisque multis sollemnibus equestri dignitate ornauerunt. Ex quo autem Roma coronam petere desitum est, cerimonia e dio in templum translata, nouellus Imperator statim a peracta coronatione, dum hymnus Ambrosianus inter concentus Musicos tympanorumque æneorum strepitus decantatur, nonnullos Legatorum Electoralium comites, de quorum generis nobilitate nullum est dubium, per gradus ad solium adrepentes et in genua profusos, gladio, qui Caroli M. fuisse perhibetur, humeros ferit et *equites* esse iubet: quorum dux Baro *DALBERGIVS*, ex priuilegio nobilissimæ familiæ solus præterea e manibus Imperatoris certum monile accipere solet. Qui nuper Candidatorum agmen duxit Baro *DALBERGIVS*, vir procerus, florens ætate et moribus ad omnem humanitatem totus compositus, venia ante ab Imperatore impetrata, a capite ad calcem chalybeis squamis contectus more veterum militum ad capessendum equitis

ctenus aliquid, nec tamen satis certa fama, acceperam. Deum obsecro, vt omnia ita tibi cedant honori, vt simul Tibi Tuisque æternum sint commodo.

Quæ de semet ipse narrabat *BLVMIVS*, magnum sane mihi dolorem pepererunt; cum quod Ecclesia et Schola nostra iacturam aliquam fecerit; tum cum primis, quod existimem, summo illum in descrimine salutis æternæ versari, qui dum hactenus adeo negligenter curauit veritatem probe cognoscere, nunc temere eius insuper partes deseruerit. Iuro tibi, mi Amice, vsque adeo fœde *BLVMIVM* apud nos sese gessisse, rogatum defectionis suæ causam, vt omnibus aliis stupori fuerit eius inscitia; mihi illa horrorem incusserit, quod deprehenderim signa clara diuinæ illius maledictionis, quam minitatus est passim illis, qui verbo illius seposito hominum inania mandata præferunt. Nec enim verbulum aliquod potuit respondere non *CALIXTI* tantum, vel meis, sed ne alterius quidem alicuius obiectionibus. Ex hibui

equitis insigne in medium processit, cunctisque videntibus nouum, nec in prioribus coronationibus vsurpatum, sed et eo ipso gratissimum pulcherrimumque spectaculum exhibuit.

bui illi apographum literarum, quas ad te aliquando in ſacro negotio exaraui, ** vt ſaltem domi expenderet, quid poſſit iis reponere. Rediit poſtridie, faſſus, ſibi illas literas nunquam antehac viſas, nec poſſe ſeſe iam quidem, quæ a me ſunt diſputata, refellere; periculum ſe facturum Ratiſbonæ, num quid reponi poſſit.

Hic lapſus recrudeſcere fecit vulnus nondum ſatis coalitum (et qui poſſit coaleſcere, cum perpetuo obuerſeris animo meo?) quod inopinata tua defectio cis annum mihi inflixit. Et vero hiat illud hodie vehementer, poſtquam periculum ſalutis tuæ video magis magiſque increſcere, dum in *Zeloten* aliquem transſmutari te pateris, a *NIHVSIO* forte, aut ſimilis notæ aliis deceptus. Quid ita te tranſuerſum agat, neſcio equidem; vehementer autem vereor, ne quid Tibi, o! ſacrum Caput! diſſimulem, ſubeſſe a Deo immiſſum aliquid, perinde vt apud *BLVMIVM*, eademque culpa contractum, contemptu ſcilicet Verbi diuini, cuius lectio Tibi ſordet præ nouis magiſtris. Is metus periculi tui com-

** Intelliguntur binæ illæ prolixiores epiſtolæ polemicæ, quarum ſupra non vnam mentionem facere meminimus.

commouit me, vt quamuis occupatiſſimus coniecerim in chartam, et publicauerim hiſce diebus, quibus exiſtimem *concuti,* *** poſſe fundamenta Pontificiæ fidei, ſimul etiam ob oculos poni grande ſalutis periculum, idque procul omni conuitio, procul omni ſermonis inuolucro. Qualia cum *BLVMIO* obiectarem, expallauit ille et obmutuit. Vtinam etiam tuum animum mouere poſſint, vt redeat, vnde digreſſus eſt! Tui enim cauſſa potiſſimum hæc ita egi. Et vero quum adeo negligenter te hactenus geſſeris, vt contra, quam voce et manu non mihi tantum, ſed multis aliis eras pollicitus, a nobis ſeceſſeris; ſaltem nunc tandem, culpa ad animum reuocata, expendas, quibus fundamentis nitatur illa cauſſa, quam tu ſuſcepiſti defendendam, quantoue in animæ ſalutis diſcrimine nunc verſeris, et pro virili alios verſari efficis. Si me cenſes errare, lubenter feram quicquid ſiue publice ſiue priuatim regeſſeris; imo quicquid te curante alii regeſſerint; modo id fiat ea, quæ debetur ſacris, modeſtia. Et vero conuicia certum argumen-

 tum

*** Nomen libri ſeparatim editi: *Concuſſio fundamentorum fidei Pontificiæ.* Hunc ſcilicet ſubſtituit promiſſo libro *de eccleſia.*

tum habeo perditæ cauſſæ. A quibus proinde ſi etiam abſtinuerit, a Te ad ſcribendum incitatus, *FORERVS*, quod alias facere non ſolet; non detrectabo cum illo, ſpectante omni Eccleſia, decertare. Sin; iubeo illum habere res ſuas et valere.

In procemio ad *FRIESIVM* vti tacite te tangerem, effecerunt ingentes calumniæ inter noſtros excitatæ per tuam defectionem, quaſi ego, ſi non auctor eius tibi fuerim, ſaltem anſam et occaſionem dederim. A qua ſuſpicione liberandum fuit nomen meum in Eccleſia. Simul vero ſperaui, eo magis Te excitatum iri, vt ſerio tandem intendas ſaluti tuæ æternæ, nec, vt antehac, declamatione negotium hoc agites; ſed argumentis, altero alteri iuxta æterna Logices præcepta oppoſitis; perinde vt vides a me hic actum. Sane hoc ſi effeceris, non ægre feram, ſi me deprecari iniuriam iuſſeris. Alterutrum vtique Tibi nunc agendum fuerit, o! carum Caput. Vtinam vero agnitæ demum veritati Tu des manus, et Eccleſiam, quam dolore affeciſti, iterum facias gaudere! Ego ſane non minus gauderem, quam ille bonus paſtor reperta ouicula ſegrege. Interea Deum venerabor, vt aperiat rurſum tibi ocu-

oculos, et excutiat illam lænam, quæ in mero te meridie fecit aliquamdiu palpitare.

Mei voluminis *de Finibus* partem *BLVMIVS* iam indubie curauit. Reliqua ſpero ante haſce ferias Paſchales proditura in lucem, typographo iam non nihil magis ſolito ſatagente. Commiſeram eidem excudenda, quæ de Succeſſione pro Eccleſia Proteſtantium diſputaui, multo ampliora, quam quæ Ratiſbonam miſi, iamque proceſſerant operæ ad plagulam quartam. Sed Typographus cauſſatus eſt, illo opuſculo remorari editionem operis *de Finibus*. Itaque coactus ſum illum libellum ſeponere, donec integre prodierint illa *de Finibus*. Nulla interpoſita mora tum et libellus ille prodibit, clariſſima in luce expoſiturus, non me *Socinianiſſare* aut *Browniſſare*, vt pro tuo zelo, quo nunc teneris, magna mea iniuria *ſarcaſtice* ſcribere non dubitaſti ad ipſum noſtrum *SCHWARTZKOPFFIVM*; ſed Te cum tuo *hyperaſpiſta* præ zelo in *TERTVLLIANO* non potuiſſe videre, quod non tantum *RIGALTIVS*, veſtræ vtique partis homo, et *GROTIVS*, ſed etiam is, qui hodie eſt in media Gallia Capucinorum doctiſſimus,

G 2

mus, **** vi veritatis adacti, fassi sunt, et scriptis propugnauerunt: nisi fortassis et *TERTVLLIANVM* dixeris *Brownistam* aut *Socinianum* fuisse.

Quod per *SCHEFFERVM* nostrum me volueris admonere, ne *HIPPOLYTI A LAPIDE* testimoniis mea confirmem, ago gratias. Verum id vt facerem nunquam mihi in mentem venit. Nomen ipsum in scriptis meis nusquam compareret, nisi in præfatione ad Lectorem, Taciti libello præmissa, vbi me purgo a calumniis *Taboriticis*. Mirum vero, si ille, a quo apud te hoc nomine sum traductus, vni *TABORI* calumnianti habuerit fidem; libris meis nunquam forte inspectis. Vt vero *HIPPOLYTI* scriptum manu carnificis comburatur, nescio equidem an sit consultum. Quid enim eo profeceris? Num possit ita liber ille manibus excuti? Nescis, quam late

**** Prodiit Parisiis anno cIↃ IↃc XLVIII. tribus voluminibus formæ maximæ *Tertullianus rediuiuus, scholiis et obseruationibus prolixis illustratus a Georgio Ambianate, Capucino.* Atque hunc autumo a *Conringio* hic iactari *Capucinorum* sui temporis *in Gallia doctissimum;* licet ab aliis in numerum ineptorum compilatorum relatum.

late ſpargantur fauillæ combuſtorum librorum. In republica vbi omnia in Magiſtratus ſunt poteſtate collocata, talia habent locum; alibi non: imo ibi plus obſunt, quam proſunt. Crede mihi, aſperis huiuſmodi remediis apud nos cauſæ Auſtriacæ multum nocueris. Diſſimulata et neglecta quaſi ſponte tandem intereunt, quæ ſi fodias, ingentem in flammam exardeſcunt.

Ignoſces, ſpero, libere adeo tecum agenti, fiducia veteris amicitiæ. Quamuis enim miſere deceptus abripi te ſis paſſus a communibus placitis religioſis; a candore tamen et probitate animi, quibus nominibus mihi ſemper fuiſti cariſſimus, ſcio, ne latum quidem pilum te abiiſſe, eoque ex officio amicitiæ obſtrictum me arbitror, ceſpitantem Te pro virili erigere, et deuium reducere in ſemitam regiam. Nouit Dominus, quam tu mihi ſis acceptus, quamue ego ſim ſalutis tuæ cauſſa ſollicitus. Si quod fecero pretium operæ apud te; gaudebo plurimum. Sin minus; in magno illo die, qui nos omnes ſiſtet vni iudici, ſpero, non imputatum mihi iri negligentiam Te adiuuandi. Illi noſtro ſane magno Domino volo omnem hanc meam operam probare. Qui vt et animo, et corpori et for-

tunis tuis faueat benigne, enixis precibus contendo.

Inſcriptio literarum:
Generoſo Domino,
IOHANNI CHRISTIANO a BOINEBVRG,
Equiti Aurato et libero Baroni Imperii, Eminentiſſimi D. Electoris Moguntini Conſiliario et Summo Aulæ Marcſchallo, Domino et Fautori meo plurimum colendo.

XXXIII.

Poſt diuturnum ſilentium *BOINEBVRGIVS CONRINGII Concuſſionem* elidit, virum a controuerſiis Theologicis ad proſequenda ſtudia politica reuocat, amicitiamque priſtinam renouat.

Moguntiæ d. 23. April. 1655.

Quod hactenus nihil literarum dederim ad Te, Vir ampliſſime ac Celeberrime, non vtique contigit eo quod vel oblitus Tui forem, vel Tibi iraſcerer. Sum quippe ſicut multis nominibus tuæ bonæ erga me voluntati obligatiſſimus, ita et tui ſane amantiſſimus: Meminens continenter, tu quam ſemper mihi bene cupieris, quum vobiſcum degerem ante *vndecennium* et ſi quid excurrit,

rit, in *Iulia* vestrate *. Ab illo autem tempore plusculum accessit iis, quæ tum tibi me debere sensi. Atque tot hactenus in publicum contulisti solidæ frugis meditamenta, vt eruditioni tuæ, qua in Ciuilibus, Historia, Philosophia, item ac Medicina vestra, plurimum præ ceteris polles, non omnis modo Germania, sed et ego sincere graturer. Nec videris etiam tute mei immemor agere; inque hanc rem interpretor ego supplementum libri tui *de Finibus*, quod mandatu tuo recte mihi reddidere, qui a vobis ad hasce nundinas Francfurtum profecti sunt. Tum et communis amicus nostras, D. *Schefferus*, ex literis tuis, ad ipsum exaratis, tuo nomine salutem mihi impertiit amicissimam. Vnde quantum gaudeam, incredibile dictu est. Continuo itaque ad subitaneam istanc scriptionem conuolaui, quam sub graui pondere variorum negotiorum scribo, et quæ nisi tam pertinacia ac concatenata mihi incumberent, et hucusque obstaculo fuissent; næ frequens non tantum, sed multus fuissem in scribendis ad te literis identidem. Non vero caussa-

G 4 bor

* Degit studiorum caussa Helmstadii *Boineburgius* anno 1643.

bor nimis vel negotia, quæ impediuere quo minus ſcriberem literas, vel alia fortuita.

Animaduerti et propemodum comperi, te non adeo prolixe mihi amplius velle, ex quo ad *Catholicos* me recepi, quos auus meus inconſiderato deſeruerat: te quoque tribuere mihi neſcio quam culpam concitati aduerſus *Concuſſionem* tuam, quam vocas, ſtyli Catholicorum; qu'a principem me incentorem exſtitiſſe aſperitatum, quas in antagoniſtis iſtis tuis te inueniſſe arbitraris. Verum vti hæ ſuſpiciones vniuerſæ nullo nituntur fundamento; ita metuens, ne tanto acriores ſint, quanto minus veri iis ſubeſt, a literarum officio abſtinui, quod vtpote ſic parum placiturum eſſe exiſtimarem. Quanquem haut diffiteor vtique, et illas ſuſpiciones tuas, et ſilentium tuum, et inclementiores tuas de meis actionibus opiniones, me eouſque non eſſe hactenus auerſatum, vt alieno idcirco a te animo eſſe inceperim, ac vt non magis huiuſmodi omnia adſcripſerim ſtudio partium, iudiciorum ſeueriorum æque et immitiorum parenti, quam vlli in me talia incommeritum odio. Scio enim priſtinam comitatem et optimum cetera tuum erga me adfectum ſolidioribus fultum tibicinibus, quam vt odiſſe quenquam ſoleas, in qui-

quibusdam Christianis dognatibus a te ac iis, qui suarum credulitatum praeiudicatarum nihilo minore intemperie laborant, diffidentem. Neque ignorare et mei pectoris candorem potes, vt proinde sperem, te missam esse facturum vulgarem hallucinationem multorum, qui opinantur, omnes quotquot in secessione vestra a Catholicis, qui Sedi Romanae in communione salutaris doctrinae adstipulantur, permanere nequeunt extra vnitatis ab ipso Christo omuibus saluari cupidis imperatae orbitam, quicquid hac parte agunt, agere praeter et contra suanmet conscientiam, secus informatam ac ipsi faciunt. Perinde confido prudentiae tuae, non credita tibi de me insana famae opprobria, quibus nil profecto est mendaciloquius. Iuxta mecum vel experiundo per habes cognitum, non suscipi prouinciam libellos edendi, nec iis digne expoliendis insudari posse ab hominibus, multa curarum aliarum anxietate continenter occupatis, cumprimis hoc minaci nouarum tricationum et difficillimo tempore. Si qua ergo de me in vulgus didantur, aut prodierint Theologorum nostrorum aliorumque contra te eos prouocantem forsitan minus vrbane scripta; amabo te, parce mihi pariter ac tibi, neu suspicare quic-

quam finiſtrorſum, neue committas quod et tuo animo, et mea indole, et amicitia noſtra indignum ſit. Polliceor Tibi hac epiſtola, ceu ſyngrapha, fidem illius deinceps inoffenſam, vti nec eam vnquam antehac de induſtria temeraſſe vel tantillum conuinci potuero. Veſtris bellis papyraceis me vt implicem, nunquam me adduci ſinam. Quam enim auerſus ſim ab omni concertatione et orientibus inde temporiperdiis, ægre præterierit illos, queiſcum coram aliquis modo mihi vſus intercedit. At impedire quoque non poſſum, quin contra tuum librum Theologi noſtrates ſcribant, mihique ſua quidam inſcribant. Maior ad hoc eſt æquitas tua, quam vt vitio vertas id vel illis vel mihi. Quemadmodum enim lætor, veritatem defendi, illiſque eo nomine bene cupio; ita intra mentis meæ conſcientiam certiſſimus ſum, poppyſmis aut blandimoniis me nec ſtuduiſſe cuiquam illorum placere, neque nocere Tibi. Quocirca parci forte potuiſſet meo nomini, ac prudentius *ironiæ* quandoque omitterentur. Non poteſt certe ex vero dici, riſam mihi eſſe Eccleſiæ infallibilitatem. De altera, quæ tribui a nonnullis priuatis doctoribus ſolet Papæ, nullum exſtat decretum *conciliare*. Neque tamen ri-

fe-

ſerit iſtam quoque, niſi qui propoſitiones *qualificare*, vt loquuntur, et Catholicas a Theologicis internoſcere neſciat. Cui vero bono inuidias mihi diuidiaſque ciere inde, quod circa caput de Papa videar addictior ſententiis Eccleſiæ Gallicanæ, quam nonnullis aliis, qui Ieſuitas ſequi malunt, ceteroſque cum iſtis facientes. Ipſe profecto noueris, liberam eſſe in Catholicis de illa re opinionem; quibus proinde tribuere promiſcuo eam, quæ forte *SVAREZIO*, *VALENTIÆ* aut reliquis e nobiliſſima Societate Patribus probabilior apparet, tanquam in cenſu primorum fidei capitum habeatur, neſcio annon durum, imo iniquum quid ſit. Ceterum arduo illi argumento non miſceo me, contentus, ipſum doctiſſimum *BLONDELLVM*, qui pauculis abhinc diebus obiit cum magna iactura ſtudiorum Antiquitatis mediæ itidem ac omnis ceteræ, in hiſtoria de primatu talia tradere, et per illa concedere, quantum cedit in rem ac compendium Veritatis orthodoxæ in Vnitate ſociali cum Apoſtolica Sede; ſicut præter *Veronium*, *Peanum*, *Petauium*, et Cardinalem *Riceliacum*, oſtendit *HVGO GROTIVS*, tibi perinde, ſcio, ac mihi gratiſſimum nomen. Neque video quid proficiat *Concuſſio*

tua

tua aduerſus auctoritatem Eccleſiæ in fide infallibilem, ſi exponitur iſta, duce veterum ac oecumenicorum Conciliorum conſenſu, ſecundum receptos vſus et omnium retro temporum et totius Chriſtianiſmi, qui in partes nondum diſſiliit, ſi, inquam, dicatur eſſe quod eſt, vt appareat, qualis eſt; non qualis fingitur ab aduerſa parte; non qualis concipitur ſub terminis Scholaſticis, et quando problematice in alterutram partem diſputando interdum definitur, veluti probabiliorem, ac minoribus paucioribuſue incommodis obnoxiam. Si, inquio, interpretationem demus vexaxatæ illi Infallibilitati, quam veſtro ſenſu fidei noſtræ ſubſterni ceu primum principium, quis intelligens credit? iuxta formulas publicas ſynodorum vniuerſalium et priuatas plerorumque Theologorum Catholicorum, præſertim eorum, qui viuunt in Galliis. Quanquam nec ii inualidi ſunt bellatores contra *Succuſſionem* Tuam, qui Ieſniticam, vt vos loqui amatis, pro ſuprematu Pontificis Theologiam tueri pertendunt. Latent forſan hypotheſes in libris tuis ſacri huius argumenti, quæ non adeo fixæ aut firmæ ſint. Eductum inde iri et conſectaria, quæ omni morali rerum humanarum genio aduerſentur, facile oſtenſu

eſt

eſt peritis, qui otio abundant. Ex iis reſcieris, quæ retruſa ſint poſt ſiparium, ſi et iſti volent, et tu id patiare. Interim proluſiones quorundam, qui hactenus tibi reſponderunt, feras benigne. Modeſtior erit poſteritas, cum animi vtrobique miteſcent paullatim.

Ego ſane clariſſimo eidemque optimo ſeni, D. *CALIXTO*, hunc, quem tu tibi ſumis, laborem optauerim libentius, teque per amorem, qui Patriæ debetur, rogo peramanter, vt, poſitis odiis erudito zelo armatis omnibuſque affectibus vehementiuſculis exſtinctis, placide rem cum Catholicis geras, aut, quod infinito ſatius eſſet, a diſputationibus, plus ſatis iam tum aliorum æſtu incaleſcentibus, tibi temperes, et nobilem doctrinam tuam appellas ad ſtudia *Prudentiæ Ciuilis*, qua Imperia reſque publicæ in bono ſtatu continentur, ac a diſſidiis liberantur, quæ tandem in bellum deſinunt, feralem omnium ciuitatum ruinam. Melius ſic publico et Eccleſiæ Dei conſules atque Paci Germaniæ, ac Gloriæ Gentis noſtræ, quæ diſſuta modo in partes felicius ſeruabitur ſollerte cura germanorum politices principiorum, et continente cuſlodia ſtatus præſentis, quam inſubidis de Religionum prærogatiua

gatiua aut paritate certaminibus: quæ præſtaret magis accidi et minui, quam nouis ſubinde nouorum diſputatorum acceſſionibus in immenſum augeri. Equidem libens agnoſco præclaram eruditionem tuam, cum in omnibus plane, tum et in S. Theologia abunde ſubactam, ac in Medicina, quam ex profeſſo ſolidiſſime doces et facis, omnino excellentem. At vero, ſi votis meis et precibus pro Patria noſtra locus eſſet, orarem pietatem Tuam et obſecrarem maximopere, vt abſoluas impoſterum pro eo, ac potes, ea ſtudia, quæ Politicem, notitiam Imperii, Antiquitates noſtrates et Hiſtoriam reipublicæ noſtratis, inde a Karolo per omnes poſtillà ætates porrectam hucuſque, ſpectant. Tale quid iam orſus eſt Argentorati *BOECLERVS*. In iis enim quantum valeas, ſcio; eo nomine blandiri tibi, id nec ferenti, volo, nec adeo ad poppyſmos proiectus, vti creditur pene. Valde deſiderem videre librum ad perfectionem ſui abſolutionemque prouectum *de Ciuili Prudentia*, et alios tuos huius commatos. Neque in hanc diem deſinit exſpectare a te Elector meus, quæ antehac promittebas de Conſecratione Regis Romanorum. Vtramuis ſententiam vero congruentiorem de-

pre-

prehenderis, noſtram ne an Colonienſem? eam precamur paucis mihi promas. Poſtmodum communicabo tecum viciſſim, quæ de hac materie ſat impedita ac ſeria ſane congeſſit cariſſimus meus collega, D. *VORBVRGIVS*, quæ et *BLVMIVS* noſter; qui ſimul ac Francfurto huc redierit (excurrit enim illuc veneratum Sereniſſimos Principes, *GEORGIVM GVLIELMVM* ac *ERNESTVM AVGVSTVM*, illac tranſeuntes) faxo, vt ſuper illa re per literas tecum collationem inſtituat paullo vberius. Feceris, ſi tuum iudicium aperies, Eminentiſſimo Principi Electori rem pergratam, quam vtique de te reapſe mereri ſtudebit, et ipſo opere re penſabit cum fœnore.

D. D. *CALIXTO*, D. D. *HAHNIO*, D. D. *CELLARIO*, et iuniori *CALIXTO*, et D. *SCHRADERO* multam ſalutem adſcribo, Teque obteſtor, vt bonum affectum erga me tueri pergas, et certo tibi perſuadeas, me ſinceriſſime te amare, et colere nihilo inefficacius, quam antehac, meque religionis cauſa neminem mortalium, imo ne hoſtes quidem, ſi qui ſint, odiſſe; confidere me denique, fore, vt et alii eadem de cauſſa indigne me excipere parcant, quibus arbitrandum,

ſi

ſi ſuæ ſpontis et procul ab affectionibus præiudicatis fuerint, permitto, vtrum maiore prudentia teneam ſalutis iter omni antiquitati perſeueranter et ceteræ per orbem Chriſtianitati hodieque agnitum, quam ſi manſiſſem in illo veſtræ religionis habitu, qui nihil præcipui habere cernitur præ ipſiſmet damnatis illis, quibus volupe eſt ſequi *Caluinum*, *Socinum*, *Arminium*, *Brownum*, *Mennonem*, *Caſſandrum Marcantoniumue?* Certe aliter in animo meo non comprehendo, quod dixi. Neque ambigitur, te nos bonæ fidei homines exiſtimare, vt qui data opera perire velle ſuſpectari neque poſſimus, nec vero debeamus etiam. Vti nec dubitamus vllo pacto, te ferio credere, conuulſam a te et de integro *concuſſam* eſſe vniuerſam Romanam Eccleſiam. De qua quicquid feceritis, ex ipſo moliminum veſtrorum decurſu poteritis dehinc perſentiſcere, operoſo *concuſſu* illam non labefactari, ſed firmiores quotidie ac ineuulſibiles radices magis magisque agere, vt inuicta, qualis eſt, perpetuo perſtet, victrix omnium hoſtium, et eorundem aliquando Dux vnica ad beatam Æternitatem: ad quam vt eadem Duce ac Comite Tu, mi Amice, cum Tuis omnibus, ſuperatis intelligentiæ humanæ ſcan-

ſcandalis, aliquando peruenias, et interea, dum in his terris ſuperſtes es, quod Deus per velit diu, eandem ſalubrem viam omnibus deuiis veſtris praeeas, toto animo tuoque merito venerabundus Deum oro. Interim ecce! has chartulas Tibi, conſtantiae meae in candido amore Tui indices atque praedes irrefragabiles. Tantum peto, vt me viciſſim amare pergas. Ita Vale, Honos Germaniae noſtrae et omnis Eruditionis Delicium. Valete! Scribebam Maguntiae, non feſtinans lente, ſed multis curis tantum non obrutus, Amplitudinis Tuae amantiſſimus ex toto corde

I. C. L. Baro a Boineburg eq.

XXXIV.

CONRINGIVS cum *BOINEBVRGIO* redit in gratiam.

Helmſtadii d. 6. Iul. 1655.

Quantum me exhilarauerint literae tuae, ſcriberem, ſi affectum animi liceat ſcribendo exprimere. Iam enim omnino mihi perſuadeo, poſſe frigusculum illud, quod inter nos erat exortum, obliterari, et in integrum reſtitui priſtinam amicitiam. Et vero exortum illud erat non ex aliqua

praua cupidine, ſed ex ſtudio iuuandi amicum ceſpitantem. Neque vero, quicquid mihi ſequius fuit narratum, apud me hactenus fidem inuenit: adeo firmas radices amor egerat. Viuimus, Domine, et ſtamus vni Deo, neque vnquam ceſſabo vota pro tua ſalute fundere. In iis, quæ nuper adeo reſpondi *VALERIANO*, abſit vt per ironiam quidquam in te iecerim. Animus mihi eſt candidus, qui verba ſcribenti ſuggerit. Si quod verbum durius in aduerſarios iactum eſt, doleo, me contumelioſe in id prouocatum. Cum illis vt porro ſerram contentionis reciprocem, nullum video pretium eſſe operæ, quoniam nemo leges diſputandi obſeruat. Igitur vbi breuiter caſtigauero *Erbermannum* et *Haunoldum*, iubebo illos habere res ſuas, et quieſcere, donec prodierit alius, qui vel velit vel poſſit *Concuſſionem*, obſeruatis diſputandi legibus, aggredi. Ceteroquin haud graue mihi eſt calamum ſtringere pro veritate fidei vere Catholicæ, nec vel otii vel humani lucri cupido mihi vnquam id moleſtum reddet. Edo nunc librum *de ciuili Prudentia* et Diſſertationem ad *l. 1. Cod. Theod. de ſtudiis liberalibus V. R. et C.* qua ſpecimen edo Politici legum examinis, atque adeo veræ Iuriſprudentiæ.

Pro-

Proximæ Nundinæ exhibebunt libellum vtrunque tuis manibus. Differo publice de Regno, longe aliter quam hactenus est a quoquam factum: quas dissertationes faciam aliquando itidem iuris publici, vbi edolauero. Pro iuribus Eminentissimi Electoris Moguntini facile scripsero libellum; nescio vero, an ausim publicare, vel vtrum sim operæ pretium facturus, cum aula vestra abundet viris eo in argumento versatissimis, ac proinde a me nihil queat proficisci illis non iam dudum tritum. Sequar tamen consilium tuum, vbi id pro veteri candore suggesseris.

Quid per me effici velit monachus Cœnobii *Ludgeriani*, Vir vltra sortem Ordinis sui solide doctus, et omnino bonus, Amicus meus non e multis, docent iniectæ eius literæ. Dignus est loco, nisi vehementer fallor, illo, quem Abbates alii ipsi destinant, ille vero nolit quidquam hac in re agi, nisi iam fuerit certus de futuro consensu Eminentissimi Domini Electoris. Quæso igitur, Generose Domine, ita eius partes agas apud Eminentissimum Herum, vti hic quoque reapse intelligat, firma inter nos esse pristinæ amicitiæ officia et iura. Vbi ex me intellexerit quid polliceri sibi debeat de animo Eminentissi-

mi Principis, non deerit ſibi. Eoque velim quidem, ne diu eius ſpem maceres, ſed, ſi negotia patiantur, quantocius reſcribas. Vale, Perilluſtris et Generoſe Domine Baro, mihique, vt quondam, porro faue.

BLVMIVM quondam meum ſaluere et valere opto; quamquam ipſe exiſtimet, ſe mihi odio eſſe.

XXXV.

BOINEBVRGIVS complures libros politici argumenti petit a *CONRINGIO*, eique commendat cauſſam Moguntini in Regibus coronandis.

Moguntiæ d. 22. Iul. 1655.

Per eſſet iucunda mihi, ſi obtineri poſſet literarum tuarum frequentia, cui vtique paria facere contenderem ex animo. Iam bonæ meæ de illa ſpei bene hiſce tuis proluſum eſſe interpretor; e quibus quantum voluptatis ceperim, vix eſt vt ſatis prædicem. De tuo erga me honeſtiſſimo adfectu nunquam dubitaui equidem; etſi quandoque exſtiterint, qui occupati forent, vt dubitandi quampiam anſam ſuppeditarent. Tum et legere erat nonnihil in *concuſſione* tua, quo me peti non nemo exiſtimare potuiſſet. Neque tamen ego

ego credidi forte licentius arbitrantibus. Vſque adeo *inconcuſſus* ſemper meus quoque in Te, Tuumque luculentiſſimam eruditionem, amor perdurauit, ſane perpetuo ineuulſibilis: qui perinde inſtat ac vrget, vt pro ſalute tua Æternum Numen quotidie inuocem, idque incredibili ac ſinceriſſimo cum ardore; quod procul omni iactantia dixerim. Ceterum maiorem in modum lætor, librum *de Ciuili Prudentia* propemodum te abſoluiſſe. Memini, aliquot eius plagulas mihi Ratiſbonam tranſmitti; aſt *AVERSBERGIO* tum commodato permiſſas necdum recepi. Auidiſſime igitur eum exſpecto, iuxta et Diſſertationem ad *l. 1. Cod. Theodoſ. de ſtud.* quin imo reliqua etiam Tua, quæ communis noſter amicus, D. *SCHEFFERVS* meo nomine pro vſibus Electoris abs te petet, quorumue indiculus heic adiunctus eſt, et ſi qua alia hactenus edidiſti, quæ ſpectant Politicen, Hiſtoriam ac notitiem Germaniæ noſtræ. Ea enim omnia præſente pecunia L M Q redimam, quicque bis; atque in duo pluraue volumina compingi curabo, vnum exemplum daturus Eminentiſſimo Electori; altero in rem meam verſo. Vtinam vero omnia tua, quanquam inedita, ſed auditoribus tuis tantum

et olim et nuper dictata, describerentur et mitti mihi possent! Sane mercedem pro descriptionibus liberalissime numeraturus sum D. *Schefero*, vt is postmodum de ea alios Francfurti Tibi libros coëmat. Memini, multum te antehac commentari solitum super *H. GROTII* libros de *Christianae religionis veritate*; item de *Belli iure et Pacis*; tum *LAMPADII* libellum *de republica Germanica* etc. quae ad vnum omnia gratissimae frugis plena sunt: nam legi. Ideo desiderem ea habere tanta cum appetentia, quanta nullam aliam rem. Sed omnia relinquo iudicio Tuo et tuae Comitati. Vbi vero tandiu haerent tractatus *de testimonii humani autoritate* et *de caussis corruptae Germaniae ac remediis*, et altera pars tractationis *de Germaniae Vrbibus*, et iterata Editio libri *de Germanorum Romano Imperio*, et *annotata ad laudationem Aristotelis*, et *Historia de Scriptoribus, qui omni aeuo omnes eruditionis partes monumentis superstitibus hodieque illustrarunt?* Opto toto corde, eos quamprimum in publicum prodire. Quanti enim omnia ista tua faciam, quantopere dilaudem, non possum satis idoneis verbis exprimere. Quei quippe tua non dilexero, quum te, eorum cultissimum auctorem, sinceri-

rissime et candidissime amem et colam? Demiror certe, quinam qualesue fuerint illi, quorum de me mendacia tibi innotuerunt. Crede mihi, mi amice, quotquot tibi sequius quicquam memorarunt, vnde quidem vel tantillum offensionis iure colligi queat, eos mendose loquutos et prauos detrectatores fuisse. Non enim tam incustodite sermunculos cum quoquam misceo, qui indigne excipi mereantur, aut qui Nomini alieno nocituri sint. Scio bene, intra quos limites standum sit, quando de proximi re agitur. Neque ei vllo pacto aduerser temere, atque ne quidem vbi de Religione concertatio inualuit, vtpote quum, quam defendi hoc potest, tam et parci debeat famæ alterius et gloriæ, quam aliunde promeruit. Si ita vtrobique res gereretur; breui et Ecclesiæ et Reipublicæ sua incolumitas, pax et honos constaret.

Princeps Elector gratissimo animo promptitudinem tuam, aliquid elucubrandi pro eius iuribus circa negotium Coronationis, amplectitur, teque peramanter salutat et rogat, vt libellum in id componas quamprimum, et manu exaratum ad me transmittas. Nunquam edetur ita, vt nomen tuum in cuiusquam conscientiam deueniat,

 nisi

nisi ipse voles. Habemus iam duo consilia pro nobis in istac materie, satis erudita ac luculenta. Quibus vt tuum accedat, Elector enixe vouet, iubens, vt tibi significem, se erga te reipsa suam animi gratitudinem ostensurum esse, et quidem continuo ac libellus ad nos peruenerit. Faxo, vt generosissimi vini aliquid, vel aliud quid, in redhostimentum ad te perferatur, quod sit beneuolentiæ Electoriæ perspicuum testimonium. Forte deinceps occasiones etiam aliæ erunt obuiæ, per quas Eminentissimus Princeps Tibi se tuisque vtilem facere possit. Quarum profecto nullam prætermissurus est, quin id efficiat, quod et honori sit tibi et emolumento. Scio quippe, Tua de republica nostrate eum maximi æstimare. Et sæpe monet, vt omnia iunctim ipsi tradam, et vndiquaque conquiram illa, quæ recens cum in Germanicis rebus, tum de politico argumento edidisti, aut proxime es editurus. Possum sancte testari, hunc Principem tanto in his talibus iudicio et acumine valere, vt procul dubio sui ordinis plerisque omnem palmam præripiat. Si quando eius nomini quid inscripseris, magnam ab eo inibis gratiam.

Quod

Quod attinet *Lutgeriani* cœnobii monachum, egi eius cauſa diligenter cum Principe, qui cis paucos dies legabit ſuos et in Eccleſiaſticis et in Ciuilibus miniſtros in Eichsfeldiam, queiſcum porro loquar, vt boni illius viri, vbi denuo etiam apud illos rem ſuam vrſerit, rationem habeant. *BLVMIVS* noſter reliqua in ſuis ad Te literis addet. Ego præ negotiorum, quæ iam ſolito maior eſt, mole plus impræſentia non poſſum. Propediem et Tuas crebriores auide exſpecto, et ad ſingulas vberius reſcribam. Vtinam ad me Tu et multus ſis et frequens! Totus ego Tuo nutui adſto. Vale, mi optime idemque æſtimatiſſime amice!

D. *Vorburgius* multam Tibi ſalutem adſcribit, et iuxta mecum optat videre omnia Tua de Germanicis rebus et politicis.

XXXVI.

BOINEBVRGIVS CONRINGIO repetit deſideria Electoris et ſua.

Magonciæ d. 23. Sept. 1655.

Bene longas equidem ſcripſeram ad Te ſimulac Tuas, quas VI. Iulii ſtil. vet. exaraſti, accepiſſem. Scripſit tum vna *BLVMIVS* veſtras. Ego

vero ei meas tradidi, vt per parentem fuum in manus tuas quam ociffime curaret. Quod vtique abunde fecit. Sed nefcio qua calamitate interciderint. Quare multum doleo, juxtaque mecum ipfe Eminentiffimus Princeps Elector nofter, qui hactenus fingulas pene in horas exfpectauit aliquid a te pro iuribus fuis, quibus vtitur circa Regum Germaniæ confecrationem. Te denuo paramanter falutat modo, et rogat, vt quamprimum hac in re ei operam tuam commodare velis. Gratiffimo animo eam reapfe agnofcet, et id quidem procul omni mora. Tum et viderimus omnes, nequid tui in publicum ita prodeat, vt in cuiufquam confcientiam nomen tuum, vel fola eius fufpicio, perreptare queat. Feceris profecto per id Eminentiffimo Electori rem adeo iucundam, vt viciffim de Te Tuifque, vbi fe occafio in id oftenderit, bene fit meriturus. Librum de Ciuili Prudentia necdum edi potuiffe, admodum doleo. Quæfo te, fi diutius eius editio fufflaminetur, eas mecum plagulas communica, quæ funt excufæ. Ceterum libellos duos alteros, quos ais, ex veftrate homine forfan accepero Francfurti, quo cis pauculos dies cogito, fi vacat. Amabo te, mi amice, perge in incepto ifto,

iſto, quo germanam Iuris Philoſophiam, ac ſecundum eam iuſta idoneæ interpretationis moderamenta, magno ad rerum humanarum perſpicientiam vſu, antiquæ ſuæ dignitati vindicas. Non ambigo, quin iſtoc nobili auſu cauſſidicos, et varios iuris forenſis tympaniſtas, tibi æquo offenſiores ſis deinceps effecturus. Verum dupla ſic maior inde ad te gloria et a Deo merces redibit: vtpote quando fructus indidem in humanum genus vberior redundauerit: quod ſi præter pietatem, veræ ac inaffectatæ Eruditionis pariter ac ſolidæ Prudentiæ quam Ciuilis, tam et Iuris, cultum, ad ipſos medios rerum actus rectius obeundos, luculenter edoctum fuerit, perſpicuum eſt, omnia tunc in orbe terrarum infinito expeditius feliciuſque compoſitum et incolumitati gentium, cumprimis Chriſtianarum, attemperatum iri. Hoc omne quam verum ſit, quando in rem præſentem deuentum eſt, tum demum experiundo recte arbitramur. Tantum te obſecro, mi optime, neu præclara hæc ſtudia tua obturbari a *Taboribus* vnquam ſinas. Malim vtique *Grotiis* placere, quam id genus planis.

De R. P. *ADAMI* rebus parum, imo nihil ſpei

ſpei reliquum heic quidem eſt. Ego, ſi qua ipſi prodeſſe poſſem, id tui cauſſa et ſumma cum voluptate et perlibenter eſſem continuo facturus. Sed quur pollicear, quæ præſtare meæ non foret opis? Vale, Ampliſſime Vir.

Iam hac tranſit Rex Magnæ Britanniæ, ſoror huius, Auriaca, et frater, Dux Gloceſtriæ. In reditu ad nos redibit. Vale iterum atque iterum.

XXXVII.

CONRINGIVS mittit *BOINEBVRGIO* libellum pro cauſa Moguntina.

Helmſtad. d. 27. Octobr. 1655.

Binæ abs Te literæ vnius octidui interuallo mihi ſunt exhibitæ. Priores tamen non nihil maturius, me domo abſente, aduenerant; ſatis ſero tamen, vtpote quæ ſint ſcriptæ $\frac{12}{22}$ Iulii, vt non videantur procul ab interitu abfuiſſe, quem illas paſſas ſuſpicatus es, quantum ex poſterioribus intelligo. Vtræque cum ſignificarent non tantum gratiam Eminentiſſimi Principis, verum etiam quidem deſiderium libelli alicuius mei pro iure, quod Moguntinæ Sedi competit in Regibus coronandis, officii mei iudicaui eſſe, mora nul-

la

la interpofita, illi operi me accingere, quantum negotia alia paterentur. Quin imo eo magis indicaui maturandum, quod fentiam fcripto vltimo, quod Bonnæ prodiit, vehementer occupatos plurimorum animos, ita vt vix quifquam hiſce quidem locis Moguntinæ cauſæ non diffidat. Ita intra hofce octo dies horis fuccifiuis natus eft libellus mihi, quem hac vice Eminentiffimo Domino Electori offero cum Epiftola. Ad te vero proxime mitto omnia, cum quod verear, ne Hildefhemi fraus aliqua fiat, fi videant Helmftadio aliquid ad Dominum Electorem curari, vtpote cum iam tum non dubitauerint Hildesheimenfes aulæ confiliarii conqueri apud noftros, Helmftadii aliquid excudi contra Principem fuum; tum quoniam te proxeneta optauerim manibus Eminentiffimi Principis omnia exhiberi. Et quidem hoc vt multum te rogem, haut credo neceffarium effe. Nec enim de fauore tuo priftino quidquam amplius dubito. At vero id etiam atque etiam rogo, vt ante omnia cures libellum per idoneos cenfores, qualem ego præ aliis colo Generofum D. *VORBVRGIVM*, cui proinde velim officia mea et ftudia deferas, et noftrum *Blumium* expendi, ne fortaffis feftinata mea fcriptio iuri

iuri Moguntino ſit fraudi aut noxæ. Etſi enim ego arbitrer, argumentis robuſtis cauſam Moguntinam defenſam eſſe; potuit tamen fieri, vt alicubi ceſpitauerim. Libellum porro edere velit, nec ne, Princeps, eius gratioſo arbitrio relinquo; vt et, nomen meum præſcribere velit, nec ne: quamquam videatur conſultius, non tam mei quam ipſius cauſæ ergo, vt nomen meum non nihil aliquibus inuiſum taceatur. Tu pro ea, qua vales, prudentia recto conſilio omnia moderaberis, ſimulque hoc ages, vt benignis oculis libellum Princeps excipiat. Quos alios meos in vſum Principis exigis libros, faxo breui habeas, ſimul accepero, ea, quæ nunc mitto. recte tradita eſſe. Velim vero ne me diu maceres ſilentio, quo ſim certior, interciderintne mea hæc, an vero optatum in locum deuenerint, quaue fronte ſint excepta. Interea indubie accepiſti iam libellos illos duos vltimæ fœturæ meæ, vna cum ſpecimine noui operis Politici Ariſtotelici. An Diſſertatio reſponderit illi tuæ exſpectationi, vehementer ſcire deſidero; imo quid alii indicauerint, vnice intelligere aueo. Stat conſilium reuocandi in lucem Prudentiam legiſlatoriam pene intermortuam, ſpretis *Taboricis* calumniis, cum

vi.

videam passim respublicas laborare præ huius imperitia. P. S. Si quid boni vini curaueris, efficies, vt in tuam salutem sæpius solito poculum hauriam.

XXXVIII.

CONRINGIVS ad Dn. Electorem Moguntinum.

Helmstadii d. $\frac{27}{17}$ *Octobr. 1655.*

Eminentissime Elector,

Princeps ac Domine Clementissime.

Feci, quod vt facerem inuitauit me quidem veri et iusti amor; impulit autem omnino Generosus Dominus *BOINEBVRGIVS*, repetitis sæpius literis mihi affirmans, gratam fore Eminentiæ Vestræ operam meam; imo illam desiderari. Ea sane fretus fiducia, simulac vltimas a *BOINEBVRGIO* accepi, quod ante hos dies quasi octo contigit, horis succisiuis confeci libellum, et nunc adeo mitto illum in signum prompti obsequii. Etsi enim nullus dubitem, ius sanctæ Sedis Moguntinæ argumentis plane insolubilibus a me assertum, et aduersæ partis ratiunculas penitus eneruatas esse, atque adeo ausim aliquem ab illo libello fructum publicum polliceri; nunc tamen

men quam maxime ſtudui Eminentiæ Veſtræ approbare deuotum et ſeruiendi cupidiſſimum animum. Eius mei deſiderii ſi fiam compos, ac proinde ſi Eminentia Veſtra dignabitur me accenſere iis, qui fideliter commodis ipſius ſtudeant; abunde me hac parte beatum exiſtimabo. Deum veneror, vt in ſalutem Imperii Eminentiæ Veſtræ proſpera omnia et multos annos benigne largiatur. Ego etiam manebo, donec vixero,

Eminentiæ Veſtræ

Seruus deuotus

H. Conringius.

XXXIX.

BOINEBVRGIO placet *CONRINGII* libellus.

Magontiæ poſtridie Kl. Nou. 1655.

Heri ſub veſperam accepimus ſuauiſſimas literas Tuas, Eminentiſſimus Elector, *BLVMIVS* et ego: et inde omnes et ſinguli multum ſumus lætati. Lætitiæ communi ingens acceſſit cumulus ex adiuncta *Aſſertione* Tua *Iuris Moguntini conſecrandi Reges* noſtrates. Quam Elector ipſe vniuerſam continuo pelluſtrauit: tantus eum eius ardor inceſſerat. *BLVMIVS* et ego ſeorſum inſpeximus magna cum voluptate, vel eo nomine

mine, quod pene in omnibus tua nostro cum nuper edito libello, quem hic adiunxi, luculenta hinc appareret consensio. De Benedicti VII. Bulla *Blumius* ex mandatu Eminentissimi scribet. Ex eodem ego te certiorem modo facio, Tua recte ad nos esse curata. Quorum missu quam gratam Electori rem præstiteris, sane non potest satis exponi; prout ex ipsius ad Te amantissimis literis perspexeris. Proxime adueniet vini exquisiti tum Moguntini, tum Franconici, egregium par doliorum. Scribe quamprimum, cui consignari Francfurti debeant, vt tuto et custodite ad te deuehantur. Elector mandat pariter, se dispecturum esse, quo et in aliis suam Tibi Tuisque, si voles, gratitudinem reapse ostendat. Scias velim, Eum Te tibi totum sic comparasse, vt adiri semper pro voto possit. Ecce me tibi vadem in id et prædem irrefutabilem! Ceterum gaudeo, literas meas omnes recte illuc perlatas. Carissimo Collegæ meo, *Vorburgio*, qui cras huc Francofurto euocabitur, accuratissimam tuam diatriben tradam, vt pellegat, quia ita vis. Tum excudi e vestigio iussit Elector, nullo apice vel demto vel addito. Videmus enim, vt supra dixi, omnia suauiter nobiscum coincide-

re; etsi tu de nostro libello nihil vel per transennam videris, neque nos tuum. *Vorburgius* perinde aliquid conscripsit, quod iam Francofurti editur. Sequetur porro scriptio iudicialis, qua forensi more negotium *concludetur*, et orabitur, vt index arbitrando illi adhibere velit. non *Tabores* tantum eorumque similes, quorum aula nimium est plena, sed historiæ ac prudentiæ ciuilis peritos. Princeps Tua reliqua exspectat nunc indies, quæ politici quidem sunt argumenti. Interim meas, quas D. *Scheffero* concredidi, recte acceperis. Inde repeto, me a te nactum esse dissertationem ad *L. 1. Cod. Theod. de lib. stud. V. R. et C.* atque epistolam *Erbermanno* oppositam. Nondum vidi, quod doleo, specimen noui operis politici Aristotelici. Id, quin imo omnia Tua eius notæ, insigni cum appetentia expectamus; cumprimis et ea, quorum in catalogo mentio est, quæ cum vera Iurisprudentia *Ioachimi Hopperi* edere paras. Qui *Hopperi* liber per esse rarus videtur. Obtigit eius mihi copia nuper demum, vnde admodum exhilarescebamus. Platonico more dialogisten agit, procul dubio conducibilior tractatoribus iustæ Iurisprudentiæ futurus, si a te necessariæ accesserint deinceps

mo-

monelæ et moderamenta. Pauci eiusmodi tractatus in Iure, quod vix dimidiam sui partem pertractari solet inde a multo tempore, exstant. De naturæ enim gentiumque scitis moribusque parum sani, aliquo ad res humanas vsu, exstat. Collectiones *Ærodii* quantillum quid sunt? *Seldeni*, *Zouchei*, *Alberici Gentilis* et *Hottomanni* quæ leguntur, pragmaticis pusillum compendii afferre videntur. *Bodini*, *Gregorii Tholosatis* et *Thomistarum* volumina vt multum vtilitatis exhibent sedulis lectoribus, ita eos, qui negotia publica versant, sæpius absterrent. *Grotio de Iure B. et P.* eiusque hyperaspiste *Graswinckelio* necdum surrexit vel doctior vel prudentior alius, vel ad ipsum medium rerum actum accommodatior quisquam. Plures hanc in rem Tu noueris. Rogo eorum indicium mihi facias, et nobilissimam, quaue respublicæ carere nunquam possunt, legislatoriam et interpretatricem prudentiam excolere pergas. Neque est caussa, cur heic magis vereare vanos fori tympanistas et vulgares rabulas, qui Iurisprudentiæ dignitatem et amplitudines mente complecti nesciunt, quam alibi ineptos conscriptores politicos moraris, quando veræ Politices gloriam tueri pertendis. Sed vbi

hæret tuus tamdiu liber de Ciuili Prudentia? Eius desiderium in me in horas magis ſentio exardeſcere. Amabo te, mitte eius quantum operæ abſoluerunt hucuſque. *Feldius* an *Grotii* Manibus iam æquior eſt? Certum eſt, niſi conquieuerit, gerras eius a pluribus grauiter depexum iri, ſi pluſculi adforent *Grotii*, *Graſwinkelii* Tuique ſimiles. Quæſo te, quamprimum potueris, reſcribe, vt ſciam, cui vina tradere oporteat, quæ Eminentiſſimus mittere conſtituit. Vale, Vir Ampliſſime, meque amare perge.

XL.

Idem *CONRINGIO* mittit libelli exemplum typis expreſſum.

Moguntiæ propridie S. Martini 1655.

Ecce Tibi *Aſſertionem* Tuam, mi honoratiſſime amice! Francofurti derepente edita eſt, et mendoſe id quidem; at incorrupto ſenſu tuo. Nomen præfigere vel eo nomine oportebat, quod ſatius fore videretur, noſci autorem, ne aliis temere adſcriberetur aliena bona opera. Nuperas noſtras et Electoris ad te literas haud dubie pridem acceperis, vna cum diſſertatione de Iure coronandi. Iam expectatur tuum reſponſum auidiſ-

dissime, quo simul significabis, cui debeat Francofurti tradi vinum ab Electore Tibi distinatum. Statim atque id resciuero, faxo, vt accipias plaustra duo vinorum generosissimorum. Elector Te iterum salutari iubet, et offert tibi denuo omne officiorum genus, quae quidem deinceps in Te ab ipso et in Tuos proficisci vllo modo queunt. *Hopperi* veram Iurisprudentiam exspecto cum Tuis prolegomenis. Elector exspectat omnia Tua politici et historici, imo et medici argumenti. Soluetur pretium, si voles. Vale, mi optime Amice!

XLI.

CONRINGIVS veniam petit recudendi *Assertionem* suam Helmstadii.

Helmstadii d. 23. Nov. 1655.

Acceptam fuisse Eminentissimo Principi operam meam, plurimum gaudeo. Optarim vero libellum minus esse mendose editum! Est enim alicubi prae mendis sensus ipse satis obscurus. Nomen meum libello esse praefixum, vereor vt ex re sit. In me sane acriter frement saltem Hildesheimenses nostri, quibus notior sum. Quoniam vero ita vobis placuit, pene animum induxi, li-

bellum a mendis purgatum heic recudere: idque ne lectori mendæ facessant negotium, vtque horum locorum hominibus, quorum plerique causæ Moguntinæ diffidunt, eo promptius consulatur, cum Francofurto ad nos rara libelli exempla sint peruentura; nec nisi sero. Nihil tamen decerno priusquam Eminentissimi Domini Electoris consensum accepero, vtpote cum in illius Principis summi potestatem libellus peruenerit. Pro duobus plaustris vini, rogo in antecessum Eminentissimo Principi nomine meo submissas agas gratias. Ipse id agam breui, simul dabitur occasio mittendi libros, quos consignasti. Dubito videlicet, num debeam mittere libros per veredarios, an vero exspectare occasionem aliam commodiorem. Certe quod in veredarios expendendum venit, decuplo superat eius, quod mittitur, pretium, ceu ipse expertus sum: nec est fortassis, quare adeo festinetur missio. Quicquid iusseris, agam; iniussus nihil tentare audeo. Vinum qui possit commode huc curari, adhuc delibero. Nisi fallor tamen, breui Francofurtum libros hinc curabit Bibliopola noster, vt liceat iisdem plaustris dolia huc reducere. Interea siue apud *Scheffferum* nostrum siue alibi, vbi commodissimum

fu-

fuerit, vinum deponi curaueris, rem facturus es longe gratissimam.

XLII.

CONRINGIVS ad *Blumium* miratur libelli Moguntini cum suo conuenientiam, et de subsidiorum literariorum penuria conqueritur.

Helmstad. d. 23. Nov. 1655.

Et binas literas Tuas, et simul eam dissertationem, qua Moguntina iura propugnasti (nec enim dubito Tuam illam pronunciare) recte accepi. Placuit vehementer libellus. Cumprimis cum singulari voluptate obseruaui, non nisi semel iterumque aliquod idque leuis momenti dissidium inter libellum vtrumque occurrere; imo in testimoniis adducendis illum consensum esse, vt alter alterius opera adiutus queat videri, nisi certum esset, neutri visum alterius scriptum. Non dubito iam certum triumphum polliceri causae Moguntinae, saltem a iudicio aequo. Quae de annis *Willegisi* monuisti, probo; etsi me ante fefellisset *Lambertus*, cui secure fidebam. De itinere illo *Leonis* Germanico adhuc ambigo: nec tamen contenderim. Nec vero mihi est satis otii isthaec vt cum cura expendam. Quam velim vero hoc praecipue abs te agi, cum nequeat deesse Tibi occasio in ab-

 dita

dita quæque Imperii nostri inquirendi, si Eminentissimi Domini Electoris gratia liceat Archiuum Imperii consulere. Animus est summo illi Principi suadere, hanc Tibi curam committat, nisi fortassis iam tum illa Tibi curatio iniuncta sit. Nouisti, apud nos etiam libros isti argumento idoneos desiderari, atque adeo nostros homines minus ad illam curam instructos esse. Ego sane hactenus ne quidem vidi *Odorici Rainaldi*, quos sæpe laudas, *Annales*; imo ne quidem possideo Moguntina *Serrarii*.

XLIII.

CONRINGIVS Dn. Electori Moguntino gratias agit, *Blumium*que ad curandum eius Tabularium commendat.

Helmstad. d. 29. Nou. 1655.

Quod Eminentissima Celsitudo Vestra benigne adeo exceperit exiguum illum libellum meum, mihi quidem non possum non plurimum gratulari, vtpote qui pretium operæ fecerim; solito tamen magis hoc ipso Eminentissimæ Celsitudini Vestræ sentio me esse deuinctum. Reapse scilicet iam experior illam non nisi fama, multorum tamen testimoniis subnixa, hactenus mihi cogni-

tam

tam animi magnitudinem pariter benignitatemque: quæ proinde impofterum maiore cultu ac ſanctimonia mihi erit veneranda. Et vero faciam id ipſum pro virili, idque me facturum, hoc ipſo Eminentiſſimæ Celſitudini Veſtræ ſancte promitto. Iis, quæ diſputaui pro S. Moguntinæ Sedis iure, nunc quidem nihil habeo quod addam. Quod ſi tamen quidquam ab aduerſa parte fuerit profectum confutatione dignum, nec veritati nec deſiderio Eminentiæ Veſtræ deero. Vnum boni publici cauſa Eminentiſſimam Celſiſitudinem Veſtram etiam atque etiam rogo, vt, pro ea qua valet ſumma dignitate, et circa res Imperii facultate, curet illam hactenus paſſim neglectam accuratiorem iurium conſuetudinumque Imperii notitiam a præclaris aliquot ingeniis ea, qua par eſt cura, excoli et doceri. Nuſpiam ſane in Germania omni in id idoneus magis eſt locus quam eſt Moguntiacum Veſtrum: quippe quod vnum eſt ſacro vniuerſi Imperii tabulario inſtructum: nec temere aliquis illi rei aptior *Henrico Iulio Blumio*, qui iam tum eſt ad manus. Æternum profecto Eminentiſſima Celſitudo Veſtra excitato hoc ſtudio nomen ſibi comparabit, optimeque omnium de Germania vniuerſa mere-

bitur. Cum duo enim ſint ad rempublicam curandam neceſſaria; alterum prudentia ciuilis; alterum reipublicæ, quæ adminiſtrauda ſuſcipitur, exacta cognitio; et in Germania non duntaxat ſingularum partium, ſed vniuerſi etiam corporis habenda cumprimis ratio ſit: ſummo vſui profecto fuerit, dare in publicum eorum, quæ ad rempublicam Imperii pertinent, ſolito meliorem notitiam. Simul vero cedet æternæ laudi, doctrinam illam ex iſthoc loco tanquam ex oraculo proficiſci, vbi theſauri Imperii deliteſcunt, idque illius Principis cura et inſtituto eſſe factum, qui non tantum inter omnes eminet, verum etiam tabularii publici ſacer eſt cuſtos, et conſiliorum Imperii primarius director. Deum obſecro, vt Eminentiſſimam Celſitudinem Veſtram bono Germaniæ diu ſoſpitet.

XLIV.

BOINEBVRGIVS ſpondet Electorem curaturum, vt Tabularium a *Blumio* excutiatur, libros *Conringii* nouiſſimos poſtulat, et de *Iſaaco Peirerio*, de *Hobbii* Leuiathan, deque *Duræo* quid ſentiat, ſcire auet.

Wirceburgi d. 15. Dec. 1655.

Eminentiſſimus Elector te plurimum ſaluere iubet,

iubet, et omnino probat institutum tuum recudendi libellum pro ipso. Eum mendose editum esse, moleste tulimus omnes; imo molestius, non esse ea forma editum, quali volueram. Rumor est, Colonienses iam tum aliquid reposuisse contra. At videre necdum licuit. Simul ac nactus id fuero; faxo perinde habeas. Potes quippe tum in iterata editione obiectiones vicissim depexum ire. Nomen tuum præfiximus ideo, vt *Protestantes* quoque Electores inde æquitatem causæ nostræ peruiderent. Cæsar enim, antequam definiat eam, illos rogabit sententiam more vetere. Vina in expedito stant, concessura in curam eius, cui Francofurti id negotii concredideris. Vtinam forent continuo tuos intra postes! Libros tuos proxima opportunitate transmittas velim. Cum veredariis vt cures, præter rem esset. Interim scito, Electorem eorum magna cupiditate teneri, vtpote qui admonitiones tuas præclaras de notitie Imperii in vsum vindicanda de plano comprobet, *Blumii* otio non parciturus. Obsecro autem mox mitte vna, si qua recens quoque disputasti; siue de illa, siue de Ciuilis prudentiæ nonnullis. Libellum certe de istac præ omnibus opperimur auidissime, nec non *CALIX-*

TI

TI *Apparatum* cum cauda, aut eius modo quaterniones reliquos post numerum 192. tum et eiusdem posteriora secula. Curari cuncta hæc poterunt occasione, quæ se primum ostenderit. De effigie Electoris propediem videro. *Auream* tamen forte mittam; etsi parum idoneæ sint.

An nulla spes superest, fore vt aliquando in publico videamus tua de testimonii humani autoritate? item auctiorem librum de Germanorum Imperio Romano; Scriptorum denique indicem, quorum scripta hodieque superant? Quid videtur tibi de auctore *Præadamitarum*? Eum Regina Suediæ mihi dixit vocari *la Peire*, * et viuere in contubernio *Condæi*. Scilicet ita est: noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se. Religio Medici infinito est honestior. Cuius autor *Thomas Brownus* edidit Anglice libellum alium de po-

* Aut Regina hoc nomen non distincte satis pronuntiauit, aut bene pronuntiatum non per omnia assecutus est *Boineburgius*. V. *Bayle voc. PEYRERE*. Ceterum non solum regnante *CHRISTINA* in aula Holmiensi degit *Boineburgius*, quod patet ex epistolis ad *Dietericum*; sed eam etiam, cum Wirceburgum transiret, coram veneratus est, vt ipse inferius amico narrabit.

popularibus opinionibus, quem aiunt magis impium esse. *Hobbius* edidit librum, cui titulum fecit *Leuiathan*. Eo ostendere contendit, summarum potestatum auctoritatem pendere ab opinione vulgi. Certe sic et is foret *Ciue* suo peior, vt qui meliora docuerit; quamuis non multum ab impiis sensibus diffidentia. Verum hinc est, partus humani ingenii, semel mali, semper subnasci vitiosiores. *Duræus* iam iterum missu *Cromvelli* discursitat, vt Protestantes pacificet cum suis Reformatis. Putasne quicquam proficere posse sub hoc obtentu rei tam placidæ et gratæ? *Hulsemannus* et *Calouius* vix est vt mitescant. An non satius esset *Duræum* suos Anglos prius pacare? *Ioannem Crocium* scribunt non approbare hæc ausa. Sed *Cromwellus* rescicere per *Duræum* alia quærit; non quod sumit *Duræus* obtentui. Amabo te, quid nunc de *Calixto* fiet? Sed hic Catholicos in partem pacis assumserit, quos *Duræus* vult enectos. *Hopperiana* [1] an edes et quando? Ego legi, et valde iis oblector. *Grotianis* illa comparem. Charta repleta est et auocor. Vale. Rescribe quæso breui cum ordinario veredario. Mihi inscripta bene curantur et gratis.

XLV.

XLV.

CONRINGIVS BOINEBVRGIO ad quæſita reſpondet ex ordine.

Helmſt. d. 5. Ian. 1656.

Cum ante hoc triduum intellexi, Eminentiſſimum Electorem in nouam editionem conſentire; nihil prius iudicaui quam illam adornare, eoque iam tum pene plagula prima confecta eſt. Prodibit autem libellus non emendatior duntaxat, ſed etiam auctior. Video enim, nonnulla argumenta probandæ cauſæ peridonea addi vel magis acui poſſe. Itaque hoc cumprimis mihi iam curæ erit, poſtquam iacta alea eſt, et remoto omni velo cogor ego cauſam hanc patrocinio meo defendere, vobis ita volentibus; etſi vehementer fremant Colonienſes mihique ſuccenſeant. Meis iam aliquid eſſe repoſitum ab adverſariis, non crediderim. Si prodierint tamen in aciem; non deero veritati et iuſtitiæ Aulici noſtri viſo meo libello omnes iam mutarunt ſententiam, cum ante nemo non illorum Colonienſem tueretur. Tanti inter eſt, iura Imperii ex principiis vſque arceſſere, aut ſolam inſpicere auream Caroli bullam. Itaque gratulor profecto reipublicæ, quod Eminentiſſimus Elector hoc genus ſtudiorum ſuis

au-

auſpiciis inpoſterum curabit excoli. Commendaui hanc operam *BLVMIO* noſtro iam binis literis: nam etiam ad illas iam reſpondi, quibus nonnulla quæſierat ille de *Saxonicorum* aliquot *verborum veterum* * interpretatione: nec dubito, il-

* Ex indiculo ſuperſtitionum et *paganiarum*, quem vnacum Capitulari Caroli M. de partibus Saxoniæ ex codice manuſcripto Palatino Bibliothecæ Vaticanæ erutum, et a *Luca Holſtenio* Romæ primum publicatum, *Blumius* ſecum detulerat Moguntiam, vocabula quædam barbara excerpta propoſuit ille *Conringio* explicanda; ſuppreſſo tamen fonte, *Conringio* illo tempore ignoto. *Conringius*, ingenue confeſſus, *maiorem in ſe amorem rerum illarum veterum* eſſe, *quam ſcientiam*, conatur quidem aliquid circa nodorum ſolutionem; ſed rem tanti non habet, vt in ea multum temporis teratur. Quin hortatur *Blumium*, vt malit *curas ſuas impendere rebus magis ſeriis, et in publicum vtilioribus.* Attamen in indiculum iſtum, quem primus in Germania Monumentis ſuis Paderbornenſibus *FVRSTENBERGIVS*, et ab hoc acceptum *Conringius* ipſe libro *de orig. iur. German.* poſtea adiecit, commentati ſunt ex illo tempore quamplures maiorum minorumue gentium dii; nemo autem copioſius et ingenioſius Dn. *ECCARDO* in *commentar. Wirceburg.*

illum facturum laboris pretium. Ipſe quoque iuuabo tam præclaros conatus, quantum potero, ſi id res exigat. In mittendis libris faciam quod ſuades. Interim tamen per veredarios curabo libellum, qui iam recuditur, ſimulac lucem viderit. Ad librum de *Ciuili prudentia* perficiendum, ſpero, poſt haſce ferias temporis aliquid mihi ſuperfore. Adorno enim ſimul editionem operis *Politici* Ariſtotelici plane nouam, quæ quanto mihi labore conſtet, vix credideris. Fortaſſis alterutrum horum ſcriptorum Eminentiſſimo Domino Electori conſecrabo, ſi liceat. Occupor vero vſque adeo et multis aliis negotiis, vt de iis, quorum meminiſti, abſoluendis vix cogitare mihi hodie ſit conceſſum. Etenim ipſam quoque doctrinam Politicam longe aliter nunc inſtituo, atque hactenus vel ab aliis, vel a me etiam eſt factum. Specimen publicarum mearum diſſertationum exhibebunt Theſes, quas mitto, ex prælectionibus meis ab auditore pro modulo iudicii confectæ. Mitto enim in id tantum, vt intelligas, nonnihil temporis quoque huic meo muneri impendendum eſſe, neue putes, me otiari, aut peccare, quod homo otioſus libellos affectos non perficiam. Addo vero

hac

hac vice etiam opufculum aliud hic editum; quod Te cumprimis lectorem iudicemque defideret ipfum opufculi argumentum. Vbi accepero, licere, mittam eius exemplum etiam Eminentiffimo Electori.

Auctorem impii pariter et inepti fcripti *de Praeadamitis* effe Gallum, *CONDAEO* familiarem, itidem ab aliis accepi. Eius fcripti confutationem breui dabit *SAMVEL MARESIVS*, Theologus Groningenfis, et *IOANNE HILPERTVS*, Hebraeae linguae in noftra Iulia Profeffor. Indolui fane, videns, librum illum placuiffe etiam magnis Principibus: nec enim dubito laudes illas accipere in argumentum latentis *Atheifmi*, quo proh dolor! hodie plerofque peregrinantes Italia inficit. *HOBBII* illum librum non vidi. Si id docet, quod memoras, merito accepit nomen *Leuiathanis*. *DVRAEVS* ad nos non diuertit, eoque, quid ille moliatur, fine clam fine aperte, nefcio. Ego de Ecclefiae vera pace defpero. *Vera*, inquam; nam ea, quae apud Romanenfes eft, non nifi *ciuilis pax* eft, qualem bona huius feculi folent conciliare. Eo res rediit fcilicet. Omnia, etiam facra, homines metiuntur (paucos excipio) vitae huius commodis. Haec fpe-

ctant et qui tranquillitatem et pacem Ecclesiæ se quærere prætendunt, et qui schismati student. Prout inuitant commoda, modo paci datur opera; modo discidiis. A *CROMWELLO* seriam Ecclesiasticæ pacis curam non exspecto: Etiam Papæ quoque non nisi dominatum sibi struunt speciosa illa Ecclesiæ pace. Quid *CROMWELLIVS* moliatur, non adeo clam est: non vero latet quoque prudentes, quid sibi velit *ALEXANDER* illa sedula curatione concordiæ inter Hispanum et Gallum. Non dubito autem, nec *ALEXANDRVM*, nec *CROMWELLVM* id, quod intendit, assecuturum. Mi Amice! Salus Germaniæ vnice collocata est in mutua partium tolerantia, et stricta pactorum publicorum obseruatione. Si certe perrexerimus vellicare, prout cœpimus, illa pacta conuenta; collidentur Ordines inter sese, et inuitabuntur in Germaniam vicini Reges, quorum auctoritate pax nuper coiit. Equidem vehementer metuo, ne illa Iesuitica tyrannis in Protestantes, quæ in Austria, Bohemia et Silesia exercetur, Deo vindice, pari successu procedat atque factum est in Polonia. Certe nequeo satis mirari, tot funestis et exitiosis successibus non Principes, non Iesuitas moueri, vt in-

intelligant, quantum illa persecutio Deo sit inuisa. Ceteroquin inter Protestantes hodie sic satis bene conuenit. Quantillum enim est inter illos sententiarum dissidium? Certe longe maior inter illos consensio est, atque inter Romanam et Græcam Ecclesiam: quam concordiam tamen non *ALLATIVS* tantum, sed etiam vester ille Thuringo-Græculus nouus Episcopus ** non dubitant in vulgus iactare.

XLVI.

BOINEBVRGIVS consentit *CONRINGIO* in quæsitis, excepto tamen Atheismo Italis impacto.

Wirceburgi d. 23. Ianuar. 1656.

Eminentissimus Elector iteratam editionem Tui pro Ipso libelli quamprimum exspectat, gaudetque, eam haut pœnitendis accessionibus ornatum iri, quibus Coloniensium, si quas moliuntur, impressiones ac assultus procul dubio collabascent. Omnino refert, iura Imperii ex suis

 vsque

** Intelligitur haud dubie *Bartoldus Nihusius*, qui pleraque *ALLATII* Amstelodami typis tradidit, et hoc tempore Erfurti in Thuringia suffraganeus Moguntini Episcopus fuit.

vsque principiis collustrare. Vtinam complures Tui imitatione exardescerent erga solidam rerum nostratium pertractationem! quæ quanto nostro et damno et dehonestamento susque deque per fuerit diu habita, experiundo cognouimus. Ceterum de vsu ac necessitate studii illius vere Pragmatici, eiusque a Iurisprudentiæ cultu differentia, spero fore, vt vberius tute disseras prolegomenis, quæ *Ioachimi Hopperi Veræ Iurisprudentiæ* præfixurus es. Nec nihil eius dixeris libro de *Ciuili Prudentia*, quem auidissime exspecto, et opportunissime Eminentissimo Electori inscribi posse puto. Is vtpote omnia Tua maximi facit, quæ in politicis ac historia præclare edidisti: proximis nundinis pleraque sibi pollicens. Opus Politicum Aristotelis si Eminentissimo consecrare mauoles, forte est perinde. Disputata de Regnorum differentiis legi, et genuinis Ciuilium Rerum moderamentis congruentia comperi. Si eiusmodi per veredarios, quin et plura exempla scripti pro Suedico in Poloniam bello, porro mittas, imo frequenter illius generis Tuis e discursibus excerptiones; sane multum nos Tibi obstrinxeris. Id quod etiam abs Te obnixe peto atque contendo.

Gra-

Gratias ago de eo, quod me certiorem facis, quinam refellere parent *Praeadamitam.* In Galliis pariter ſub incudem reuocabitur, et inter primos erit vetitorum meritiſſimo librorum. *HOBBII Leuiathan* non niſi Anglice prodiit. Eum mihi breui redditurus eſt quidam Anglus, qui degit Coloniae. Qui legerunt, confirmant de eo, quod nuper memorauimus.

Scribis, Te mirari, tot ex Italia redire, Atheiſmo infectos. Cur vero ſolam nominas *Italiam?* Cur non addis *Angliam* comprimis ac *Batauiam?* Certe et ſunt longe plures in illis prouinciis, quam in Italia, quibus aut Chriſtiana Religio ſuſpecta eſt, aut ipſa etiam prouidentia diuina et animi immortalitas in dubium trahitur. Non negauero, nonnullos quoque reperiri in *Italia*, qui idem cenſeant, quiue multis et magnis cooperti vitiis amore impunitatis nolint eſſe Deum, vindicem ſcelerum. Ne ipſa quidem noſtra *Germania*, quin nec cetera ſeptentrionalior plaga, horum expers eſt. Id modo cernitur diſcriminis, quod qui ſunt in iſtis regionibus, id ſolum velle videantur; Itali, prout ſunt animo excitatiore, id etiam probare atque perſuadere aliis adductis in ſpeciem rationibus conentur. Quod autem

multi ex Italia reduces tædio quodam religionis laborant, eius ſane non alia fuerit cauſſa, quam quod *Proteſtantes* peregre illuc profecti longe alia vident et audiunt, quam de Pontifice, Cardinalibus et vniuerſo clero antea ex ſuis ſiue in Academiis ſiue in ſcholis, aut ex ſuggeſtu intellexerunt. Obſeruant ibi multa, quæ placeant; etſi non omnia promiſcue probent; atque ſenſim, dum in veritatem fidei, quam tenent et eius primordia inquirunt, nauſeam et faſtidium ſuæ Religionis concipiunt, et alteram *Romanam*, quam vocatis, præferre incipiunt. Quia tamen non ſunt aut ea eruditione, vt omnia capiant, aut ea iudicii limpitudine, vt iuſte omnium diſterminationem inſtituant, neque ea animi conſtantia, vt parentes, bona et commoda huius vitæ malint ſeponere, neque illa pietate, vt ſequi contendant morum innocentiam, quam a permultis in Romana Eccleſia maxima cum admiratione ſincere coli vident; vt ſolentur anxium animum, ſæpe etiam deſerti a Deo, iuſto eius indicio eo delabuntur, vt aut perinde eſſe exiſtiment, cui parti inter Chriſtianos adhæreas, aut ſolam tantum *naturalem* de Deo notitiam veram eſſe ſtatuant; quicquid præterea traditur, cum *Hobbio*, *Herberto*,

berto, idque genus ceteris Philautiæ et licentiæ ac religionum Adiaphoriæ magiſtris, ingenio hominum tribuant, ceu inuentum ad continendos in officio et ſub obſequio populos, aut denique, quo vltra non datur, de ipſa animæ noſtræ immortalitate ambigere occipiant. Non igitur *Italiæ* imputandum videtur, quod tot ex ea domum redeunt *Athei*, vt ſcribis; ſed pertinaciæ illorum; qui reluctantes veritati quærunt ſubterfugia, quibus expleant animum ſollicitum. Ita enim ſe rem habere vel inde cognoueris, quod demum, ſi qui ex illis ſerio Religionem quandam amplectuntur, non aliam niſi *Catholicam*, et magno ſæpe cum famæ et fortunarum ſuarum diſpendio, ſuſcipiunt Non negabis, nuſquam hodie plures eſſe omnis Religionis contemtores, quam in *Anglia*. Id Angli ipſimet palam profitentur. Quæ vero huius rei cauſſa eſt? Non alia vtique, quam quod eos tædet et ſectarum aliarum, et eius, quæ hodie principem tenet locum. *Catholicam* probant quidem, ſed timide, quia premitur, et quia eam ſectantibus non tantum via omnis ad honores ac reipublicæ munia præcluſa eſt, ſed etiam damna et grauia iis imminent diſcrimina. Horum metu homines deli-

 cati

cati malunt nihil credere, sectæ principis nomen et elogium tamen præ se ferentes, quam *Catholicam* profiteri. Agnosces ergo deinceps, Te *Italiæ* fuisse paullo iniquiorem, fierique omnino *per accidens*, cum ex ea aliqui redeant religionis incurii, qui probi esse visi fuerant, et suæ fidei retinentes, antequam illuc irent.

De *Duræi* et *Cromwelli* studiis pro pace Ecclesiastica tibi assentior omnino, eam ab illis qui sperant omnes deceptum iri. Sed vnitatem, quæ in Catholica est Ecclesia, non nisi *ciuilem* esse, et maiorem inter Protestantes consensum esse atque inter Romanam Ecclesiam et Græcam; hæc vero sunt super dicamne? an infra meam fidem, cum norim, in his capitibus te falli amore partium. Vnde et dimanat opinio sequior de iis, qui pacem Ecclesiæ componere studuerunt. Vt enim *Paræum, Duræum, Acontium, Daucnantium, Ioannem Regium, Arminianos, Vorstianos*, plusculos *Socinianos*, aliosque contra Catholicam veritatem pugnantium sectarum inter sese conciliatores nihili facio; ita non sine iniuria promiscue omnes puto reprehendi, qui tum inter schismaticos Græcos et nos, tum inter nos et Protestantes conciliaturam, aut saltem tolerantiam, sua-

se-

ſerunt, quibus imprimis accenſuerim, poſt *Caſſandrum* et *Marcum Antonium*, ex Reformatis *Conradum Bergium*; *Gulielmum Laudum*, *Richardum Montacutium*, Auctorem Religionis Medici; ex Veſtratibus Lutheranis *Georgium Calixtum*, qui eſt inſtar omnium; ex Remonſtrantibus Tuis Sereniſſimæ Chriſtinæ Ductorem fortaſſis *Hugonem Grotium*, *Gerardum Io. Voſſium*, *Barlæum*; ex Catholicis *Franciſcum Balduinum*, *Paulum Seruitani*, *Fulgentium*, *Thuanum*, *Launoyum*, *Scioppium* etiam ſub finem vitæ, porro *Milleterium*, *Veroninm*, *Vigorium* et alios quoſdam in Gallia viros placidiſſimos iuxta ac Catholiciſſimos.

Ceterum in hoc abſolute conſentio, dum ais, ſalutem patriæ potiſſimum collocatam eſſe in mutua partium æquitate, et accurata pactionum noſtrarum obſeruantia. Pro hac allaboramus, quantum poſſumus. Vtinam vtrobique plus concordiæ ſtudeatur, quam diſſidiis! Sed deſino tandem gerrarum, maneoque conſtantiſſime Amplitudinis Veſtræ ex animo amantiſſimus

I. C. L. Baro a Boineburg eq.

Quæſumus, ſæpe Tuarum nos literarum allo-

 cutio-

cutione fac exhilarefcere, et fubinde aliquid Tui mitte. Nihil gratius mihi accidere poteſt. D. *BLVMIVS* nondum accepit quas ad ipfum fcripferas literas de interpretatione vocum quarundam veterum Saxonicarum. D. *Schefero* concredentur vina Tua. Is recte curet, fac, quæfo.

XLVII.

BOINEBVRGIVS nouam editionem *Aſſertionis* fe accepiſſe teſtatur.

Haſsfurti in Franconia d. 7. Febr. 1656.

Accepi heic Haſſurti iteratam et auctiorem aſſertionem iuris noſtri. Eam continuo miſi Eminentiſſimo Electori. Is gratias ipſemet acturus eſt. Neque imagines tam aurea, quam picta emanſerint propediem. Ceterum Tua pridem condicta proximis nundinis opperimur, quæ et vina per *Scheferum* noſtrum Tibi reddent. Interim rogo, iteratæ editionis iurium Moguntinenſium exemplaria triginta, vt et quæ Tu ediſti opuſcula ac diſputationes politicas omnes, nobiſcum communices. Pretium ſi deſignaneris, rependemus. Vale, Vir ſumme, meque ama.

XLVIII.

XLVIII.

CONRINGIVS defendit suam de Atheismo Italico sententiam contra obiectiones Boineburgicas.

Helmstad. d. 9. Mart. 1656.

Ad Electoris Tui Eminentiam dedi iterum aliquid literarum, quibus gratias egi pro liberaliter donato vino. Illud quin Francofurti possit vector ille, quem Brunsuigæ conduxi, accipere, non dubito, eoque iussi illum adire statim *Schefferum* nostrum. Non dubito etiam, Ministros paruisse Eminentissimi Principis iussibus de procurando mihi vino optimo *Rinckauiano*; quamquam haud ignorem, solere illos interdum liberalibus Principum mandatis minus obsequentes esse, nisi et ipsi liberaliter habeantur: quod a me fieri non potuit. Nescio an ad immunitatem vectigalium possit aliquid auctoritas Tanti donatoris. Si existimas posse; velim equidem vectori meo commoda aliqua Principis tabula possit concedi. Iam tum habet ille aliam nomine Academiæ nostræ, et quasi non in meum, sed Academiæ vsum signatam; sed minus illa valet. Imaginem *pictam* Principis si miseris, ornabit illa do-

domum meam inter alios Magnates, quorum fauore frui datum est. *Auream* si addideris, erit et illa inter cimelia. Vtrumque mihi erit calcar ad curas meas tanto Principi deuinciendas. Iam tum sane constitui *Aristotelis Politica*, plane noua et insolita ratione abs me edita, ac forte *aeternum opus*, Eminentissimo illi nomini consecrare.

Dum respicio literas tuas, quibus responsum debeo, occurrit illa prolixa digressio de causa, quare *Italia* multos adeo *Atheos* nobis remittat. Ego vero, mi Amice, non sum miratus id fieri; sed tantum affirmaui, rem ita sese habere: quo nihil vtique esse verius docet vsus. Caussam dudum noui. Nempe quod alibi quidem, atque adeo in ipso Septentrione, vt bene mones, non desit hoc pessimum virus; nusquam tamen, quam in Italia, magis sit suffultum opinione sapientiae arcanae; nusquam etiam magis speciosis rationibus mentiatur veritatem, et plures habeat propugnatores. Iam vero plerique nostrum, qui in Italiam proficiscuntur, adolescentes sunt in vitia flecti cerei; ignari principiorum certorum verae religionis. Non mirum igitur est, illos ab istis magistris impietatis rapi in partes. Quam

Tu,

Tu, Amice, adducis caussam, me quidem iudice, fallit. Vtique enim secundum Te soli Protestantes inficerentur Atheismo in Italia. At vero aeque multi partium aduersarum infecti redeunt. Deinde quid quaeso deprehendunt in Italia nostri plane aliud ab iis, quae hic erant edocti? An in doctrina? an in moribus? Quid in Italia de Pontifice doceatur publice et in scriptis, vt et de aliis controuersiis, aeque Germani nouimus, atque si trans Alpes curramus; cum scripta in manibus omnium versentur. *Italia* igitur ipsa nouam doctrinam non dabit. De moribus creditur apud nos, Pontifices, Cardinales, Episcopos, Principes aliosque saepe viros esse ciuiliter bonos, prudentes, humanos, elegantes, amantes bonarum artium; aliquos etiam superstitiose pios; saepe vero homines pessimis moribus et impios; saepe mediocres. Esse in Italia complures a Pontificiis sacris alienissimos; dissimulanter tamen: permultos atheos. Reperiri etiam viros doctos artium scientiarumque sat magno numero; Theologiae solidae peritos pauciores, quam in Gallia. Haec et similia credimus de Italorum moribus. An, qui Italiam ingressi sunt, aliud quidquam animaduerterunt? Non arbitror vel

Te

Te id affirmare. Caussa itaque abs Te allata non est satis proba. Id verum, multos aliquot iam seculis religionis ergo Italiam petentes, quod arbitrarentur inuenturos sese *Vicedeum* aut certe *Vice-Petrum*, spectata curiae impietate, contra, quam sibi persuaserant, scandalisatos et plenos improbitatis rediisse. Suntque illa de re querelae aliquot seculorum, ac proinde hactenus, fateor, vera fuerit tua affirmatio. Verum cum hodie et nostri homines saepe peiores redeant, imo Athei redeant; non ego censeo communis mali hanc caussam esse. Caussam tamen, quare Italia laboret prae aliis terris Atheismo, censeo esse, quod omnis doctrina Curiae Romanae ab omnis plane rectae rationis primis principiis sit aliena; quodque tot confictis miraculis omnium verorum miraculorum, qualia Prophetae et Apostoli, prae omnibus mortalibus vero Saluator noster praestiterunt, fidem suspectam hominibus intelligentibus faciat is, qui ibi est cultus diuinus: cum tamen reuelata de pietate doctrina nullo alio quam a miraculis petito argumento fidem inueniat. Forte et Tu, Illustris Domine, ita censebis, si singula assertionis membra trutinaueris. Sed quid hisce immoror?

Me-

Meminiſti anſam hiſce ſermonibus dediſſe monſtrum illud hominis ex Semi-Chriſtiano, Semiiudæo et Semipagano conſutum, quod nobis *Praeadamitas* dare eſt conatum. Illius horribilis ſententiæ confutationem exhibebunt Nundinæ, et quidem ſic ſatis ſolidam. Vtilius hoc eſſe ſcio, quam ſæuire duntaxat prohibitorum librorum Indicibus. Præ languore, in quem me coniecit febris tertiana vehementiſſimis aliquot paroxyſmis, prolixiores dare prohibeor; etſi perquam ſit iucundum tecum more ſolito fabulari. Vale igitur et ſalue.

XLIX.

BOINEBVRGIVS in lite Colonienſi denuo opem poſcit *CONRINGII*, et *GEORGII CALIXTI*, Theologi Helmſtadienſis, obitum dolet.

Francofurti d. 18. April. 1656.

Ecce! mitto partum Colonienſem vnum: cui vt vtrumque crus in anteceſſum confringas, donec reliqua, quæ minantur, prodierint, rogat Eminentiſſimus Elector. Excudi Tua domi cura. Sumptus Elector reddere vult omnes continuo. Vina ſi non ſapiunt, meliora ſuccedent. Quæſo, matura reſponſum et per *poſtam* vnum e-

xem-

xemplar cito mitte mihi. Iconem auream ecce! Catena propediem faxo sequatur. Nostro *Schefero* heic tradidi curanda. Is non dubito amici officium faciet. De Ciuili Prudentia quaeso, quid tardas? Annon recudis de Germanorum quoque Romano Imperio? Tua omnia desideramus videre. Electori gratus est fasciculus. Iam libri ligantur. Gerlachio pretium vecturae persoluimus. Coëmi reliqua Tua itidem, quae iam bis singula possideo. De Testimonii humani autoritate; item de Comitiis num absoluisti? *CALIXTI* obitus me magno officit dolore. Dominus sit optimo viro propitius! Aristotelis politicen ecquando videbit sibi inscriptam Elector? Mitte quaeso prima cum *posta* omnia de Ciuili prudentia, quae typis descripta sunt. Feceris per id rem mihi longe gratissimam. Ad Tuas proxime rescribam accuratius. Iam nimis molesta instant et permulta negotia.

L.

BOINEBVRGIVS significat *CONRINGIO*, quomodo habere se velit in lite Coloniensi.

Wirceburgi d. 26. April 1656.

Spero, recte acceperis Francofurto literas meas

as vna cum eicone Electoria aurea et ſcripto Colonienſi, nobis Moguntinis oppoſito. In eo licet et tu indigne habeare; Elector tamen mauult id a te diſſimulari impræſens, donec cetera, quæ contra Tuam aſſertionem cudunt Colonienſes, iuxta prodierint. Nos huic ſcripto, quod miſi, ſeorſum reſpondebimus, et vt id fiat tanto curatius, Te Elector rogat, velis mihi manu tua ſcriptas neceſſarias monelas tranſmittere quam primum, huc appoſitas, vt Sannio Colonienſis eo acrius in antegreſſum quoque vapulet. Quæ Tuæ adſertioni oppoſitum iri catalogus minatur, ea Tuum ſtilum merebuntur, et pro dignitate ad defenſionem veritatis et iuſtitiæ acuent accommodatius. Quæ autem cenſes a nobis obſeruanda, ea quæſumus mecum communica. Nos moderatiſſime reſpondebimus, eoque ſemper mitiores futuri, quo magis aduerſarium efferueſcere et furere viderimus. Papalem auctoritatem ne tentemus, cauto opus eſt. Colonienſes aduocati de illa plus ſperant pro ſe quam deceat. Interpratatio enim aureæ Bullæ ad Vrbem nihil pertinet. Noſtrum ergo eſt, *Romam* ſinere intactam, cum ſit *irritabilis*; tum et quia honos ei

omnino debetur. Vale, mi Amice, et iuua nos, vt petimus, Elector, *Blumius* et ego.

LI.

CONRINGII indicium de illa lite.

Helmst. d. 28. April 1656.

Ante hosce octo dies literas tuas cum *aurea imagine* Eminentissimi Domini Electoris et *Vindiciis Agrippinensibus*; ante biduum alteram epistolam tuam accepi. Pro imagine simul et vino agam optimo Principi gratias proxime ipsemet; interea animi mei interpretem agere velis, rogo. *Vindicias* inspexi miratusque sum, non melioribus instructum esse Agrippinensem Principem caussae suae patronis; nisi forte robustiores fuerint, qui mihi in catalogo nundinali minitantur nescio quid non? Vindiciis quin *Blumius* noster sit repositurus, quae merentur, non dubito. Quoniam tamen ita placet Eminentissimo Principi, etiam ipse nonnulla in chartam coniiciam, idque, si licuerit, hac ipsa hebdomade. Agam enim breuiter et non nisi summatim; nisi fallor tamen, eo argumentorum robore eaque perspicuitate, vt *Vindiciis* istis nihil supersit verisimilitudinis apud

quem.

quemuis æquum iudicem; ita tamen dissimulanter simul, vt auctor possim latere, si opus sit: opus autem forte erit, ne nimium in me irritententur aduersariorum animi, quippe cum iam tum vehementer mihi succenseant passim multi, cumprimis vero Iesuitæ, qui nescio qua arcana moti caussa Moguntinis parum sunt æqui. Non dubito parti Moguntinæ victoriam in quouis æquo iudicio polliceri; multum autem metuo, ne curia Romana negotio illi sese immisceat, obtentu illo, quod controuersia sit sacra, pertinens ad iura Episcopalia. Hoc si fiat, erit id coniunctum cum non leui detrimento libertatis Imperii Germanici, et periculo amittendæ victoriæ; certe cum multa et morosa molestia, prout mos est loci illius. Coloniensis tamen non poterit facile confugere ad illum iudicem, cum ad Caroli Magni constitutionem et Auream bullam prouocet, de quorum sensu iudicare non est Curiæ illius. Magis cauto opus erit a parte Moguntina, cum in Primatu et Pontificis Benedicti priuilegio vim iuris sui collocet. Mirabor, nisi iam tum Nunciis suboleat, quorsum illa pertineant. At vero dabitis indubie operam, vt vel nihil moueat Curia, vel protinus iterum conquiescat. In

ſcriptione ego ſatis cauebo, ne verbulo irritem ſacrum caput. Spero poſſe me mittere mea meditata hebdomade proxima. Miſiſſem nunc et quas deſideras Calixtinas plagulas; prohibitus tamen ſum, quod nondum diuiſa hæreditate delitescant eiuſmodi omnia clauſa; ſimul vero quod pro talibus immane pretium poſtulet veredariorum Cæſareorum magiſter, vt qui, ſpreto etiam literis tuis inſcripto *Franco*, ingens exigat a me portorium. Vale, Illuſtris Domine, et mihi porro faue.

P. S.

Heſterno die cum reculis ſuis vnus bibliopolarum noſtrorum attulit mihi Francofurto faſciculum, continentem inter alia *Trutinam* controuerſiæ noſtræ; ſed ſine literis adiectis, et manu ignota mihi inſcriptum. Inſpexi duntaxat libellum, viſus mihi deprehendere auctorem Generoſum Dominum *Vorburgium* ex aliquot indiciis. Miror huius operæ nullam abs te mentionem factam. Velim vero doceas, recte, nec ne, ſim ſuſpicatus, et quis ille ſit *Petrus Streithagen*, qui mihi bellum minatur.

LII.

LII.

BOINEBVRGIVS CONRINGIO demonſtrat, litem illam deferri non poſſe in Curiam Romanam.

Aſchaffenburgi d. 17. Mai. 1656.

Admodum gauiſi heri ſumus elector et ego, cum ſub veſperam huc aduenientibus nobis tuæ literæ redderentur. Ex iis quippe cognoſcere eſt imaginem Principis auream ad Te recte perlatam eſſe. Quæ ſi forte in via periiſſet, aliam ex ſe iamtum parturiit Tibi tranſmittendam. Eminentiſſimus Elector quanti Te tuumque pro ſe, comprimis vero pro Veritate, ſtudium faciat, incredibile ferme dictu eſt. Scio, Eum erga Te Tuoſque, ſi qui humanitati eius plane heroicæ innotuerint aliquando, reapſe gratum fore. *Blumius* iam in eo totus eſt, vt *Vindicem* vltrice quapiam, ſed leni reſponſione bene mulctet. Iam auidiſſime in ſingulas pene horas Tua notata contra vindicias illas exſpecto, quæ maturare velis, oro obnixiſſime. Edere te ea iſtic nolle, perplacet. Tuo enim heic nomini parcendum eſt, ne Tu noſtri, noſque Tui cauſa indigne habeamur. Recte obſeruas, aduerſam partem nobis ſtruere varii generis inſidias, vt proinde neceſſe habeamus

nobis cautim cauere. Nobis iniquos aliquos iudices imminere, nouimus. Freti tamen causæ bonitate, ius experiri coram competente sustinebimus, Deo dante. *Coronaria* vtpote hæc lis multum serii trahit, ac quantum vix credatur vulgo. Curiam admissum aut agnitum iri, ceu eius arbitram, ne credas velim. Libertas Imperii nostri nobis carior est, quam vt indulgeamus quicquam vel illi vel alteri cuiquam; etiamsi cetera magnæ autoritate, per quod iacturam respublica nostra facere possit. Nostra fundamenta a primo inter Metropolitanos in Germania loco et Benedictina Bulla arcessimus equidem magnam partem; ast ne hic quidem Curia miscere se litigio nostro quiuerit magis, quam Cæsar Romæ sineretur litibus intercedere, quibus leges Ciuiles aut a se data priuilegia sæpius obtenduntur. Fit enim id non nisi *per accidens*, causa ipsa vtique suo talo firma manente sub intuitu partium litigantium non modo, sed præcipue propter totius rei disceptandæ habitum et analogiam ad personas, qua Potestati iudicatrici in ordine ad rempublicam substant. Quæstio autem heic est non de actione sacra *Vnctionis* regalis, quatenus ipsa in se consideratur; sed in quantum obeunda est ab alterutro. Vtri liti-

ga-

gatorum ea debeatur vel in ſolidum vel ex parte, non eſt arbitrandum Sedi Romanæ, cuius quippe non eſt de officiis et iuribus ciuitatum et politeiarum liberarum ſummo cum imperio decernere, aut legum morumque reipublicæ interpretationem dare. Hoc ei ſolum competit, vt de actu ſacro, qua talis, et de perſona Eccleſiaſtica, itidem qua talis, iuſtum et æquum edicat, ſi de qualitatibus et requiſitis eo pertinentibus diſquiſitio ſuperuenerit. Vix autem plus eidem detulero temere, gnarus, Hierarchas Eccleſiaſticos ſub Pontifice quidem in ordine quemque ſuo ſtare; at eum iudicem indeclinabilem non protinus agnoſcere plerumque in iis, quæ afficiunt ſtatum eius ciuitatis, cuius membra ſunt in ciuilibus perinde ac ſacris. In vtriſque enim priſtina ſiue per Maieſtatem Imperii ſiue per ſummos pontifices ſemel quæſita et in vſum conuerſa iura religioſe tueri conſueuerunt, de mutuis inter ſeſe præſtationibus et debitis extra ſuam rempubl. ægre quemquam iudicem ferentes; licet per indirectum res diſceptata etiam aliouorſum ſpectare videatur. Sed hæc omnia inter nos ſub roſa ſigilli taciturnitatis, amico dignæ. Inedita Tua Coronaria pro nobis vtinam mox aduolarent! Quid iis faciundum, vi-

 de-

debimus, vbi venerint. Portoria Veredariorum curator tenetur meo inſcripto nomini remittere, idque vt faciat iam Francofurto tranſiturus efficiam cum ipſo. Si qua autem Tu de tuo vel iam tum huic importunitati dependiſti, vel dehinc expendere cogeris, ſignifica id mihi ſeorſum. Omnia et ſingula cum honeſto interuſurio refundam gratiſſimo pectore. *Calixtina* et alia mihi percupita, obſecro, mitte vna. De *Trutina* illa bene cenſes. Subolefcit recte, qui eius autor. In Tuis vero, argumentorum robore et dictionis claritate præcellentibus pro ſe meditamentis, plurimum fiduciæ reponit Herus meus, potiſſimum quia moderationis ſecum laudem afferunt, quo nomine profecto prædicari a quouis commerentur. *STREITHAGIVS* ille quis cuiaſue ſit, neſcimus. Qualis ſit, et quanta ſtribligine inaccuratiſſimæ eruditionis oppletus incedat, ecce! vides. Vnicum heri veſperi iuxta cum aliis chartis exemplum mihi ſubmiſit Francofurto D. *VOLMARVS*, Auſtriacus iſtic Cæſaris legatus, qui nobiſcum ſentit hac in controuerſia plane omnimodo. Tuos etiam pro partibus noſtris labores maximi facit; *Traſymacho* * quanquam alioqui

* *CYRIACI TRASY MACHI* adſcito nomine

parum æquus. Nil modo eſt quod addam, niſi quod nomine Principis Electoris Te rogo denuo, vt cauſam ſemel ſuſceptam tam diligenter, quam ſolide potes, perorare et defendere, quin et Temetipſum miti ratione pergas, noſque velis quam maturrime exhilarare et ſcriptione Tua contra aggreſtes illas vindicias, et tuapte pro te Streitbagii iſtius confutatione apud te formis deſcripta. Sumptus in illas reddet Elector, gratitudinem ſuam teſtari ſedulus. Neque hic pro ſe decertantem tueri impar, crede mihi. Cis paucos dies excudetur Moguntiæ, quo iam reuertimur, Archiduce, qui hic exſpectatur, compellato, vernaculum ſcriptum, Colonienſi illi Germanico ſecundum concinnato oppoſitum, quo Imperatoris iudicio rite inſtituendo, et Electorum ſuffragiis ante collectis expediundo, cauſa noſtra ſub Formulis Forenſibus arbitranda permittitur, ſimulque Tua, Blumiana, Vorburgica, aliaque adiectamenta accuduntur. Iamque in eo ſumus, vt appendiculam illi vernaculo libello iu-

ne publicauerat hoc anno *Conringius* alteram editionem *epiſtolæ* de iuſtitia armorum Suecicorum in Polonos, cuius ipſe auctor publice haberi noluit, licet eſſet.

tidiciali subiungamus, quæ Tuas *Blumiique* nouas exspectatissimas defensiones vna Cæsari contradat.

LIII.

CONRINGIVS Electori Moguntino mittit responsionem suam ad iteratas Vindicias Colonienses.

Helmstadii d. $\frac{19}{29}$ *Mai.* 1656.

Eminentissime et Celsissime Princeps Elector, Domine clementissime.

Pro transmisso vino generoso, Domine, aureaque Eminentissimæ Celsitudinis Vestræ imagine, gratias equidem ago immortales. Nec tale quidquam merui hactenus ipso opere; etsi deuoti animi cultu non facile cuipiam cesserim primas, et perBaronem *Boineburgium* pictam duntaxat imaginem mihi petieram, quæ nimirum in Museio meo inter alia præclarissima orbis lumina fulgeret. Vindicias iteratas Coloniensis caussæ, prout Eminentissima Vestra Celsitudo per *Boineburgium* iussit, perlegi; imo sub examen reuocaui partem earum potissimam hoc libello, quem iam mitto. Ita enim existimo: rationes illas, quæ pro S. Moguntinæ Sedis iure adferri et possunt et debent, sic satis perspicue et solide in *Assertione* esse pro-

po-

positas; si autem forte egeant defensione, etiam hanc quam commodissime institui abs me posse, quando respondendum fuerit duobus illis, qui, quantum audio, *Assertionem* oppugnandam sibi sumpserunt. Igitur hac vice tantum, quae specie veri hactenus nonnullis imposuerunt, Coloniensia argumenta incudi subieci. Num satis graphice laruam illis detraxerim, et subiecerim oculis eorum imbecillitatem, Eminentissima Celsitudo Vestra optime omnium iudicabit. Saltem autem animum bene de veritate et iuribus S. Sedis Moguntinae Vestrae merendi spero me probasse; etsi forte reliquae exspectationi haud perinde satisfecerim. Deum veneror, vt Eminentissimam Celsitudinem Vestram bono publico Imperii diu sospitem et ab omni beatam parte tueatur.

LIV.

CONRINGIVS idem *BOINEBVRGIO* significat.

Helmstad. d. 19. Mai. 1656.

Promissione serius mitto, quae vindiciis iteratis reposui: idque quoniam plurimis negotiis et itineribus prohibitus sum calamo in hanc rem vti. Sed et excreuerunt illa in maius sub manu, longi-

gi-

gioremque opinione moram postulauerunt. Itaque, cum prolixitate possit forte tarditas compensari scriptionis, non dubito veniam me facile apud Eminentissimum etiam Electorem inuenturum tarditatis culpæ, si qua est, te præsertim caussæ meæ patrono. In libello continui me in solo examine argumentorum Coloniensium, quod non dubitem, mihi pro defensione argumentorum Iuris Moguntini, a me in assertione allatorum, seorsim agendum esse aduersus libros illos, quibus ego seorsim petor. Dedi interim serio operam, vt solide simul et perspicue argumenta Coloniensia refutarentur. Spero etiam non lusam abs me operam, et de illis quidem argumentis iam actum esse, nec imposterum fore opus, cur de iis verbulum aliquod moueatur. Num tamen et Eminentissimi Domini Electoris aliorumque eadem sit sententta, cumprimis equidem ex te scire desidero. In omni vero scriptione studiose caui, ne quid excideret, quod sequius possit accipi de Romanorum Pontificum auctoritate circa coronationis iura; quanquam meo iudicio illa sit reapse nulla. Si quod tamen verbulum occurrat obnoxium calumniæ aut sinistræ suspicioni, a vobis facile poterit emendari. Typis e-

de-

dere si visum fuerit consultum, velim id fiat nomine meo dissimulato, ne nimis irritentur in me aduersarii vestri, potentes vtique et factiosi. Nec vero quidquam causae vestrae profuerit, imo obfuerit potius, nomen meum additum, cum illud multis sit inuisum. Nolim tamen edi, dissimulato nomine vel typographi vel loci, vbi edendus est libellus. Certe quod generosus Dominus *Vorburgius* illud instituerit, mirantur omnes qui hic viuunt prudentiores: a multis admodum sinistre accipitur: cum scilicet ex aduerso Bonnae Coloniensia edi nemo dissimulet. Malim itaque etiam videant mea illa lucem potius Moguntiaci, quam Francofurti, praesertim cum accedente *Blumii* cura possint praecaueri menda typographica. Vbi accepero, quae Assertioni meae sunt opposita, tractabuntur et illa pro merito. Modo ita velle Eminentissimum Electorem accepero, et Tu exploratis aliorum sententiis indicaueris pretium me operae facturum. Velim vero simul significes, quisnam sit ille *Petrus Streithagen* et alter Anonymus. Huius stuporem non potui satis admirari. Fortassis haud melior est ipse ille *Petrus*. Sed tempus docebit omnia rectius libellos tractantem.

E-

Eminentiſſimo Domino Electori gratias ago pro vino. Eſt illud ſit ſatis generoſum, adeoque laudatum a non paucis, qui ſacro poculo exhauſto proſpera omnia mecum ipſius Eminentiſſimæ Celſitudini ſun gratulati. Adhuc generoſius tamen non tu duntaxat, ſed etiam *Schefferus* noſter me facitis exſpectare. Quod ſi ſerio agitur, velim equidem vni *Scheffero* non committi vecturæ negotium, quoniam nimia mercede promiſſa haud exiguo mihi fuit detrimento. Intra paucas hebdomadas prodibunt *Politica Ariſtotelica*, nouo modo a me adornata. Sequar conſilium tuum in illis Eminentiſſimo Principi conſecrandis. Francofurto nactus ſum *Leonis Allatii* Græciæ Orthodoxæ tomum primum, quantumque intelligo debeo illum liberalitati Tuæ, ac proinde gratias ago maximas. Limis oculis inſpicienti, hoc vnum enim hactenus licuit, mihi viſum eſt opus præclarum; quod tamen apud Græcos ſchiſmaticos non maioris ſit futurum ponderis, quam eſt apud Romanenſes Catalogus Teſtium veritatis *Flacianus*. Etſi enim pauci aliquot moderatius ſenſerint, et proni fuerint in concordiam cum Latinis Eccleſiis ineundam; oppido rarus tamen illorum eſt numerus. Reliquos defendit numerus

pla.

plane in eum modum, prout contra veros Pontificios non potuit Waldensium et Wiclefitarum aut Hussitarum paucitas praeualere. *Blumio* scribere non vacat; multam tamen salutem opto. Rem longe gratissimam ille fecerit, si nummum aliquem, qui habeat imaginem Caroli Magni, aut Ludouici Pii aut nostri Ludouici Germanici, possit mihi curare. Nolo illo me donari, tantum vsum peto, et quidem tempore exiguo.

LV.

CONRINGIVS responsionem flagitat *BOINEBVRGII.*

Helmst. d. 21. Iun. 1656.

Mensis integer est, cum Eminentissimo Domino Electori transmisi Examen Coloniensium Argumentorum oppositum Iteratis Vindiciis, simulque ad Te literas exaraui. Ex eo non tantum nihil literarum recepi, quo fierem certior, probe omnia esse curata; sed etiam turbauit me epistola sua *Schefferus* noster, scribens, tertio Iunii die mea adhuc desiderata. Hasce itaque nunc exaro, vt intelligam, curatus sit libellus, nec ne? quemadmodum item placuerit Eminentissimo Principi, et denique quid de illo edeudo aut supprimen.

mendo ſit conſtitulum? Quæ vt ne graueris me ocyus docere, etiam atque etiam rogo. Interea vero temporis *Anticonringianam defenſionem* recte equidem accepi; perluſtraui etiam obiter. Calamum tamen illi opponere nondum inſtitui, partim negotiis impeditus; partim quod exiſtimauerim, *Petrum* quoque *Streithagium* mihi exſpectandum, vt ita vna opera duo a me queant excipi; partim denique quod feſtinata reſponſione haud ſit opus, præſertim modo in lucem prodierit illud, quod tranſmiſi, *Examen.* Vbi tamen accepero, *Streithagium* illum non niſi minis voluiſſe certare, pauloque plus otii fuero nactus, non deero officio meo, quod hac in re Eminentiſſimi Principis cauſſæ quaſi dedicaui. Pergitur vero iam ſtrenue ab operis noſtris typographicis in *Politico Ariſtotelis* opere, iamque ipſe *Ariſtotelis* textus cum verſione latina perfectus eſt; *Introductio* etiam, triplo reddita auctior, iam abſoluta. Nunc *Emendationes* meæ excudi cœptæ, quarum excuſioni facile integer menſis eſt impendendus. Illud omne autem opus, Tuo conſilio obſecutus, conſtitui conſecrare Eminentiſſimo Domino Electori; niſi rurſum diſſuaſeris. *Blumium* ſaluto, et rurſum peto vſum nummi ali-

cu-

cuius Carolinæ familiæ Cæsarum et Regum nostrorum, præcipue vero Ludouici Pii, aut Ludouici Germanici nostri: peto autem ad leue duntaxat tempus, vt possit recipere nummum saltem proximis nundinis.

LVI.

Respondet *BOINEBVRGIVS*, gratum Electori libellum fuisse.

Magontiæ d. 1. Iul. 1656.

Eminentissimus Elector multum Tibi se debere profitetur, et reapse id agnoscet porro. Certe libellus, quo in antegressum Coloniensium argumentilla diluis ac diruis, per est opportunus in rem nostram. Ideo et vsque adeo placuit, vt Elector inde multo pluribus adhuc et maioribus nominibus tibi se sentiat obstrictum. Spero non ægre feres exiguam papyrum, characteris pusillitatem, operarum incuriam et alia, quæ in libelli editione præter ac contra exspectationem nostram admissa sunt. Prælo Moguntino iam tum heic supra modum occupato, imprimendus Francofurti erat. Eumque edendum curauit *Io. Beierus*. Quem tamen eo adigere non

M po-

potuimus, suum vt nomen præfigeret. Locus autem sincere præponitur, vt pro nostro omnino agnoscimus, quicquid in libello legitur. Quare nonnihil inibi, leuiter tamen, mutatum est, te, spero, non inuito, cumprimis quod tuum nomen sit integre dissimulatum. Scilicet in ius nostrum is transiisse visus est tuo munere, vt eo vti liceat pro lubitu. Neque vllo tuo discrimine id factum. Non tamen deeris huic causæ, si deinceps oppugnetur, sine spe missionis. Gratitudinem Electoris vltra experiere, vt decet omnino. Vale, et me ama. Proxime vnum exemplum et alterum mittemus, tum et ampliorem in modum scripturi.

LVII.

Idem exempla libelli curat ad *Conringium.*

Francofurti d. 19. Iul. 1656.

Scheferus noster mittet tibi duo exempla tui pro iure Moguntino libelli, qui heic excusus est. Præstare equidem non possum ego, quod tam mendose ac minus compte edidit eum *Beierus*, cui rem omnem magnopere tamen commendaueram. Emendare vero cogitamus nostra editione pro-

propediem, quod nunc neglexit aliena oſcitantia. Eminentiſſimus Elector multum tibi ſe debere ingenue profitetur, et reapſe gratum ſe exhibebit. Exſpectat iam cupide, quæ Colonienſibus rabulis pro te ſeorſum reſpondere paras. Tua *Politicorum Ariſtotelis* editio Electori per erit grata, ſi ei ea nuncupare voles. Id quod candide ſuadeo. Quid enim fiet libro de Ciuili Prudentia? Legi eum denuo vſque ad *p. 152.* Amabo te, mitte quaterniones omnes reſtantes. Non potes vlla re magis me exhilarare. Quæ eduntur ſubinde vel a te ipſo, vel ex tuis cogitatis per alios, quæſo, communica. Nuuqua ſpes, mi amice, nanciſcendi *Calixtini Apparatus* omnia cum cauda, vt aiunt; tum & *Calixti* ſecula poſteriora? Impoſterum frequentes ad me literas obſecro ſcribe. Veredariis libentiſſime ſatisfaciam. Miror, meas literas ad te non recte curari. Plus enim ſemel ſcripſi et Aſchaffenburgo et Herbipoli et Moguntia, idque nuper demum. Age adorire Colonienſes porro, neue permitte illis iactantiam ſuam eſſe impunitam. Merentur acrem ſtrigilem. Ceterum his ſcriptis, tuo et altero latino, quod nunc ſub prælo eſt Moguntiæ, et vernaculo, terminabimus omnem hanc litem, et Colonienſibus, ſi vltra latrare volent, ceu rixoſis et anno-

ſis feminis, vltimum verbum relinquemus, vt Germani in prouerbio dicimus. Quæ in tuo libro, cuius autorem ſedulo tegimus, ne qua eius notitia ad alios pertingat, obiter vel omiſimus vel interſeruimus, ea, quæſo, boni conſule. Eo enim velut noſtro proprio vſi ſumus, conceſſu tuo. Vale, mi æſtimatiſſime amice. Partus *Titii*, *Calixti* iunioris, *Hahnii*, *Eichelii* et id genus aliorum Veſtratium gratiſſimi quoque mihi ſunt, eoſque emere perinde cogito.

LVIII.

BOINEBVRGIVS mittit *Conringio Petri Streithagii* ſcriptum confutandum.

Mogontiæ d. 5. Aug. 1656.

Feſtinato ſcribo, vt mittam *Streithagii* hoc flagitioſiſſimum commentum, multo ſcommate abſurde refertum. Ecce id! Eminentiſſimus te peramanter ſalutat, ſperatque, te tuo nomini bonæque cauſæ non defuturum, ſed eo alloboraturum, vt hic ſannio nundinis proximis digne pectatur et vapulet, vti homines eiuſmodi merentur. Potes dicere, te non ceu Aduocatum Moguntinum ſcribere, ſcripſiſſeue; ſed pro veritate ex penu

eru-

eruditionis, et prout historiæ ratio efflagitat. Quæso fac quoque, ne pelluceat, te esse autorem *Examinis.* De Pontifice quam mitissime loquere, amabo Te. Plus ad te inde gloriæ et infinitum probrum in *Streibagium* eiusque similes recidet. Nos hoc pacto terminare litem constituimus, quicquid porro litigatores illi molituri et calumniaturi sint. Prodibit cis paucas hebdomades scriptum etiam vernaculum pro nostris partibus, forensi stilo compositum. Eo finire certamen cogitamus. Vellemus, si tibi ita videtur, vt aliis videatur, te non esse rogatum a nobis sententiam. Dissimulandum enim id nobis est ex graui causa. Nosti nequitias mundi. Inuidiam nobis præsertim vero mihi, concitare student. Perge vero tu nos defensare. Elector se gratum et memorem præclari huius officii ostendet reipsa largiter. Aristotelica tua et imprimis residuas plagulas scripti de Ciuili prudentia a *p. 152.* et alia tua omnia, et *Calixti* apparatum cum cauda, et eius posteriorum seculorum historiam, appetentissime exspecto. Si quid pro *posta*, reddemus. Quæso, scribe mihi, quid lectis his omnibus censeas maxime vrgendum esse vltimo, hoc est, vernaculo libello? Eo enim certamen terminamus. Festi-

na quoque tuam defenſionem, quam illi adiungemus quoque vna cum adſertione ad Cæſarem. Germanicæ noſtræ gerræ non opponuntur niſi Colonienſibus Germanicis inaniis. Stultus eſt hic Colonienſis. Putat, te ex diſſertatore deſumpſiſſe aliquid, neſcius, quod ſcripſeritis vterque vnus alterum ne eminus quidem tum conſpicati.

LIX.

CONRINGIVS mittit *Boineburgio* caſtigationem ſuam, eumque meticuloſum arguit.

Helmſt. d. 9. Aug. 1656.

Ex quo exſpectare me iuſſiſti duo exempla editi *Examinis*, ſperaui profecto indies, fore, vt traderentur, idque maxime vt intelligerem, quidnam mutandum iudicaueritis, vt in Reſponſione ad *Anticonringianam defenſionem* eo rectius cauerem, ne in eundem ſcopulum impingerem. Sed hactenus fruſtra fuit omne deſiderium meum. Senſi ex adverſo, et cauſſæ Moguntinæ et meæ famæ intereſſe, vt proximis nundinis aliquid exſtet in publico, iſti Defenſioni oppoſitum. Cum itaque nundinas quaſi præ foribus iam eſſe intelligerem, non amplius morandum ratus, quam-

quamuis occupatiſſimus, ante hoc quatriduum calamo arrepto horas ſucciſiuas aliquot Defenſioni confutandæ impendi. Ita natum mihi. eſt hoc, quod mitto, opuſculum, ſed nondum typis publicatum. Nec vero conſultum duxi nomen meum præfigere, idque, quoniam infra dignitatem meam eſſe duxi, cum homine ignoto et laruato fronte retecta congredi; tum quia inſcitia et malitia aduerſarii meruit eam calami acrimoniam, qua ſi vtar aperte, factionem illam alteram iam tum mihi infeſtam facile in caput et vitam meam incitauero. Perſonam itaque indui, et quidem hominis *Romanenſis*. Certe talem aliquem omnino velim haberi opuſculi auctorem. Itaque Te rogo etiam atque etiam, diligenti cura omnia eius facias expendi, quo caueatur, ne quid reliquum ſit, quod calamum referat *Proteſtantem*: itaque mutandi omnia, quæ ſiniſtram queant ſuſpicionem mouere, liberrimam facio poteſtatem. Acrimoniam calami non cenſeo temperandam. Non debent leones aut apri ſubula excipi. Et omnino frenanda eſt hominum illorum indocta ferocia ac malitia, ne ſibi ſapere et quiduis in poſterum licere exiſtiment. Exigit profecto hoc ipſum ipſa Moguntina cauſſa et S. Sedis Moguntinæ

tinæ dignitas, cui adeo proterue laruati isti insultant. Frustra certe etiam lenissime scribi, et *Blumii* Dissertatio et mea *Assertio* experiuntur. Id hesterno die cum primis didici, quando abs te *Streithagii* insanus liber mihi curatus est. Potestne illo quidquam fingi magis rabiosum? Non dubito vero, pari modo ab illa bellua exceptum iri *Blumium.* Opportune vero aduenit liber, quod sub finem mihi licuerit hominis rabiem et malitiam Coloniensium, qui non dubitant talia Bonnæ publicare, non nihil perstringere. Si enim paulo serius aduenisset, omnis occasio in scelus illud animaduertendi intercepta fuisset: nec enim prudens quis calamum aperte stringat aduersus rabiosum canem. Cogites vero, Amice, cum qualibus bestiis res sit Moguntinæ caussæ. Proximum est iam autem, vt cures opusculum meum typis publicari, idque ante imminentes nundinas. Certe interest, non mea duntaxat: quamquam mea vehementer intersit: sed ipsius quoque Moguntinæ caussæ, imo ipsius Eminentissimi Domini Electoris, ne de *Assertione* mea prostrata aduersarii glorientur. Vtinam vero emendate et non nimis scabra charta prodeat in lucem! Nisi fallor potest hoc a vobis caueri,

pe-

perinde vt video fieri in ſcriptis *Blumii.* Ne vſquam legatur, me ab ipſo Eminentiſſimo Domino Electore rogatum ſententiam dixiſſe, ſtudioſe, prout par eſt, vitaui. At diſſimulare, rogatum me ſententiam dixiſſe, neque integrum amplius eſt, neque meæ famæ non pernicioſum fuerit. Si id enim diſſimuletur, iam pateo ego calumniæ, quod ingeſſerim me negotio alieno. Nec ego video, qui poſſit vitio verti Eminentiſſimo Principi, etiamſi crederetur, hominem *Proteſtantem* in cauſſa, ad ſacra Eccleſiaſtica nihil pertinente, iuſſum eſſe tutelam iuris Moguntini ſuſcipere. Si hoc nefas eſt, actum eſt de republica Imperii. Scio aliquid indulgendum hominum malitiæ et opinionibus inueteratis; at non omne; non illud, quod tollit communem, quæ inter nos eſt ſocietatem. Generoſior certe eſt animus Eminentiſſimi Domini Electoris, quam vt inſanis quibuſque vulgi voculis moueri ſe patiatur, præſertim cum in Imperio nil ſit familiarius, quam nullo religionis diſcrimine mutuas nobis operas præſtare, et Aduocatis palam vti diuerſæ de religione ſententiæ. *Nouitii vos* videmini præ aliis meticuloſi, ne habeamini non ſerio ſacris nouis initiati. At fruſtra

hanc opinionem effugitis, nisi cum insanis Zelotis velitis insanire. Absit vero vt placandis ineptis et malis quis a veritatis et recti abeat via. Absit sane a generoso Tuo animo, vt illum submittas cultui stultorum aut imperitorum hominum. Vanæ populi voces curandæ non sunt viro prudenti et bene sibi conscio. *Blumiana* DIssertatio iterata perplacet, nisi quod illa timidum auctoris animum nimis præ sese ferat. Mihi ab eiusmodi tyrannide toleranda animus est alienissimus. De toto vero negotio Moguntino-Coloniensi omnino placet consilium, quod cepistis, abrumpendum nempe illud esse. Neque vero video quidquam ab vtraque parte adferri amplius posse, quod ad rem faciat, nisi forte possit *Rupertinum* illud, cuius meminit *Hartmannus Maurus*, privilegium alicunde promi in lucem. vtpote cum illud sit idoneum ipsimet *Aureæ Bullæ* iustam dare interpretationem. De reliquo nihil arbitror dici posse, quod non dictum sit prius. Vehementer tamen vereor, ne exacerbatis vtrinque scriptorum animis moueantur nouæ et turbulentæ controuersiæ. Eiusmodi est profecto illa a Coloniensibus mota de *Primatu Moguntino*. Et vero de hoc argumento sunt mihi ad manum pro

cau-

causa Moguntina haud pauca. Iudicaui autem ex bono publico futurum, si parce illam nouam litem tangam, prout etiam obseruabis a me factum esse, paratus alioquin iusta disputatione * dignitatem illam antiquam Sedis Moguntinæ defendere. In libello Germanico, quem placet adiungere, non suaserim de nouo institui de omni caussa disputationem. Vereor enim, ne illius auctor forte non sit adsecutus vim omnium argumentorum, atque ita quadam sua non satis solida argumentatione aduersæ parti det calumniandi ansam. Nosti ingenium et doctrinam id genus hominum. Me certe terrent vestri primi libelli Germanici: quibus nisi noua auxilia accessissent, facile succubuisset Moguntina caussa. Fortassis igitur satis fuerit, si libellus Germanicus tantum breuiter confutet ea, quæ in Coloniensi habentur; remittat vero Lectorem ad libellos Latine editos. Hac ratione simul euitabitur, ne Colonienses prolixo aliquo scripto respondentes noua mouendi habeant occasionem. Sed hæc pro ea, qua vales, pruden-

* Mirum qui *Conringius* talia promittere potuerit, qui supra *p. 136.* fassus est, ne quidem *Serarii* Moguntina penes se esse. Nos olim de hoc argumento libellum triuimus, paucorum in manibus versantem.

dentia præſens negotio me longe rectius expendes. Obſecutus vero conſilio Tuo conſecraui ego Eminentiſſimo Domino Electori nouam meam *Politicorum Ariſtotelis* editionem. Omnia quidem iam ſunt edita; conſtitui tamen non niſi proximis nundinis exemplaria operis tranſmittere, cum in tantillo moræ nihil ſit periculi. Dabunt eædem nundinæ et *Veram Iuriſprudentiam Hopperi* cum prolixo meo procemio. Præter hæc vero nihil nomen meum præ ſe feret. Librum *de ciuili prudentia* animus iam eſt proxime aggredi. Et vero ſi mihi viuam per dies quatuordecim, facile imponam libello finem. Sed quid ego promittam tot et tam variis occupationibus impeditus? Nihilominus operam Deo volente dabo, vt breui libellus publicetur. Interea non eſt quod eius quidquam deſideres. *Calixti* apparatui et ſeculorum aliquot hiſtoriæ nihil acceſſit: ſunt itaque imperfecta omnia, et eorum nihil Tibi deeſt. Eminentiſſimo Domino Electori me meaque ſtudia vt et operam fidelem commendabis de nota optima. De vino, cuius ſpem feciſti, velim in arcano me doceas, quid conſtitutum ſit, vt domi poſſim eo rectius rebus meis diſponere.

LX.

LX.

BOINEBURGIUS ſpondet curam ſuam in diuulganda *Caſtigatione*, et tamen cauto opus eſſe monet

Maguntiæ d. 1. Sept. 1656.

Miror et doleo plurimum, illa bina *Examinis* exempla, quæ eopſe, quo operæ abſoluerant, die ad te Francofurto curaui, idque diligentiſſime, nondum iſtuc perlata eſſe. In ſupplementem igitur mitto aliud, proximis nundinis curaturus pluſcula. Ægerrime ipſe fero editionis mendoſitatem et ſpurcitiem. Speramus tamen, omnia tua noſtraque iunctim editum deinceps iri et nitidiuſcule. *Caſtigatio* iam edetur quoque, mutatis inibi quæ videbuntur in rem et tuam et noſtram. *Streithagii* ſcabioſum centonem ſub finem egregie depectemus, et nos iuxta liberabimus a neceſſitate illum refellendi; etſi nihil quoque contineat refutatione maximopere dignum. Eminentiſſimus Elector non inficiabitur vnquam, ſe tuum iudicium per me exquiſiiſſe. At oportet nos tamen cautim incedere. Non potes ſatis noſſe, quam opus nobis ſit præcauto in omnem euentum. Ideo nobis non indigne improperabis nimium timorem. Eminentiſſimus te ex animo

mo diligit, et eruditionem fidamque tuam pro nobis curam maximi exſtimat, et repenſabit eam ſane gratiſſimo animo reque apſe. Vnum autem adhuc abs te contendimus, vt quæ habes in parato pro *Moguntino primatu* nobiſcum priuatim communicare velis; item quæ porro habes contra *Carolinam* illam *fictitiam pragmaticam.* Tuum enim nomen vt vltra exponas conuitiis beluarum iſtarum litigatoriarum, nolim a te mihi ſtipulari. *Ariſtoteles* tuus erit longe acceptiſſimus, et iucundiſſimum Electori munus. *Hopperianum* tuum proœmium auidiſſime etiam exſpectabo, imo omnia redimemus. Sed per Deum immortalem! quidni tuum de *prudentia Ciuili* maturas mihique ſaltem ſeorſum mittis, quæ edita eius ſunt? Et vbi manent tua de *Comitiis* et de *Regalibus* ſeu *Fiſci iuribus*? Quæſo iuua me iſtis talibus. Secula *Calixti* non habeo; neque omnia *Apparatus.* Amabo, copiam fac eorum. Omnia emam quantocunque voletis. De vinis propediem certiora ſcribam, vt et de imagine picta Electoris. Vtrumque fiet crede. Res ipſa proxime ſequutura eſt ſiue in vino, ſiue in aurea torque. Num qua ſpes ſuperat editionis ſecundæ libri de *Germanorum Romano Imperio*, et aliorum

tuo-

tuorum, quæ affecta habes, et infinitos premis in annos? Sæpius ſcripſi. An acceperis meas ſcire aueo.

LXI.

Idem politicorum Ariſtotelis exempla accepiſſe ſe teſtatur, et *Caſtigationem* mittit typis expreſſam.

Francofurti d. 20. Sept. 1656.

Lætus accepi opus *Politicum* Ariſtotelis geminum. Vnum continuo miſi Eminentiſſimo Electori; alterum Hopperiano operi adiungi a bibliopego curaui rem in meam. Gratiſſimus munus illud veneror, neque Eminentiſſimus id ingratus accipiet, ſcio. Vnum ſane miror, te pene dubitare, an *politicen Ariſtotelis* magni faciat Eminentiſſimus. Vtique maximi facit, et pro eo, ac debemus omnes. Certus quoque ſum, id, prout edidiſti ſecundum, Electori in cubiculo ſuo indiuulſum fore comitem. Tua enim perlibenter legit. Spero *Caſtigationes* gerrarum Colonienſium ad te recte perlatas. Epilogus an placiturus ſit, non auſim certus vſquequaque eſſe. non autem feres indigne, ita ſummutata nonnulla et aſſuta. Tempori namque et circumſtantiarum rationi ſeruiendum fuit, tum et tuo voto vt qui *Romanenſem* autorem te credi poſtules.

Mi-

Mirum quam ſæui in nos ſint inde tumultus incubituri. Noſti Zelotas noſtros. *Examen* nondum aduenisſe, quidni mirer? Doleo profecto meam induſtriam adeo luſam. Plus ſemel curaui ad te: ſtatim atque prodierat primum hinc miſi. Nuper denuo. Et ne ſic quidem redditum tibi? Vel ideo ſum ſollicitus de hoc veredarii velut deliquio, quod hinc tibi forſan ego videri queam æquo omiſſior in accurandis rebus tuis, imo noſtratibus. Num qua vero ſpes tui libri integri de *Ciuili prudentia*? Quid cunctaris? Elector et illius multum appetens eſt. Neque tibi gratitudinem de *Ariſtotelis* Philoſophia *politica* debet oſtendere prius, quam ille ad nos quoque liber peruenerit. Promiſſis manebo, vt alias ſemper, ita hic perinde. Ad reliqua, quæ nuper te petii, reſponſum exſpecto. Quæſo te, fac hoc. Non habes ingratum diſcipulum.

LXII.

CONRINGIUS ſciſcitatur, vt Electori placuerit dedicatum Politicorum Ariſtotelis opus, et Gallorum diſſenſionem a principiis Curiæ Romanæ miratur.

Helmſt. d. 15. Octobr. 1656.

Libellum *caſtigatorium* accepi. Placet editio, etſi

etsi nimis effuse fortassis me laudaueris. Risi suauiter, legens desiderari in me fidem *catholicam*, eamque mihi abs te optari. Non dubito tamen erga te eodem esse animo, simulque nunquam non paria tibi precor, illum diem faustissimum habiturus, qui te et *Blumium* in pristinum restituet. In catalogo nundinali legi titulum libelli Germanici pro caussa Moguntina; sed hactenus eius nihil vidi. Si vno opere omnia Moguntina debeant recudi, mittam meorum exempla emendata. Certe interest vt a fœdis illis mendis libelli liberentur, Ex *Scheffero* nostro intelligo, in *Politico* opere tres plagulas deficere: eas proinde nunc mitto. Vtinam probem tibi impensam abs me operam in vtilissimi scripti editionem. *Hopperus* indubie tibi placebit, si attente legeris: omnino enim ille requirit lectorem attentum. Eminentissimus Princeps Elector quemadmodum acceptauerit consecratum sibi librum, rogo me doceas absque omni dissimulatione pro veteri candore tuo. Scio, plurima deesse operi ad perfectam doctrinam Politicam, eoque vereor, ne vel hoc nomine minus sit acceptum: ne nunc dicam, quod abstrusa illa docendi ratio Aristotelica soleat amœnioribus assueto esse tristior et mo-

lesta. Inciderunt cis paucos dies libri aliquot Gallice scripti de *Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, auctoritate Regia editi, quorum auctorem scio esse *Petrum Puteanum*. Mirifice illi me affecerunt non tantum eximia doctrina, sed cumprimis illa sententiæ proferendæ libertate. Toto cœlo sane illa Aulæ Gallicanæ dogmata differunt a placitis Romanæ Curiæ. Idem iudicabis, scio, vbi legeris. Legere autem omnino debes ob eximium in omni vita vsum. Ego vero non video, quo iure possit communio Eccesiastica superesse inter tam diuersa sentientes de ipsis Fidei atque Ecclesiæ fundamentis. Non miror tamen eam superesse, haud ignarus, quanta sit vis studiorum circa res huius mundi, siue ad concordiam, siue ad discordiam.

LXIII.

Boineburgius per iocum demonstrat, *Conringium* esse *Catholicum*, et cuius generis *Catholicus* ipse sit, exponit.

Francofurti d. 1. Nov. 1656.

Plagulas politici operis Aristotelici, quæ deerant, recte reddidit mihi *Schefferus* noster. Vt placeat Eminentissimo Electori tuus in publica studia ad-

fectus, non est cur dicam. Viro prudenti, qualis est ille, displicere nequit id genus commentatio. Cubiculi Electoralis praecipua pars iam est tua politicorum illa editio. Quin magni ea faciat Princeps ac Herus meus; quin curatorem illorum multo pluris: non est dubitandum. Neque immemor erit tui, cum et suapte sponte tua amet, et meis monelis commonefieri subinde consueuerit: quibus tamen nihil opus. *Castigationum* libellus quod tuo accurato palato non displiceat, gaudeo. Cur *Catholicam* illo quidem loco in te *fidem* desiderauerim, facile coniectu est, si voles. An sis *Catholicus*, quare tecum contenderim tantillo pignore? Tuo sensu es, vt suo *Catholici* sunt segreges a *Catholica*. Hac autem super re disputare cum quoquam non est mei consilii, vtpote qui omnibus salutem illam precor, quae bonos ac pios Catholicos ex Dei gratia per infinita merita Christi manet, Tibi in specie optans ex toto corde Sancti Spiritus opem diuinam, qua fretus explicare te quoque possis ab omnibus implicamentis, quibus a vera Ecclesia seiungimini; etsi nolitis fortassean. Sed de religionis negotio inter te ac me vltra pax sit. Sis *Catholicus* tuo more; ego meo, Amici fideles inuicem permanebi-

mus vſque ad mortem. Quantopere ac quam ſincere te diligam, ſpero ipſemet noueris, et teſtari id deinceps conabor luculentioribus adhuc argumentis, quam quibus vti vitæ meæ ratio hactenus ſiuit. Neque diſſimulauerim, me malle eruditionis tuæ felicitatem impendi ſtudiis Politicis, Hiſtoricis, Philoſophicis et ceteræ polymathiæ illuſtrandæ; fidei quæſtionibus tantiſper, dum prudenter ſperari inde aliquis fructus potuerit, ſemotis et turbæ rixantium relictis, Ecquando autem prodibit ciuilis prudentiæ liber tuus? Rogo peramanter, communica mecum vel vnum modo exemplum illius, viciſſim grato futuro tum, ſicuti nunc impedituro Electoris quoque in te gratitudinem, donec liber ille meas in manus peruenerit. Nec eſſet nullum operæ pretium, ſi iteraretur cum auctario liber tuus de *Germanorum Imperio Romano*. Poſſet inibi annotari, quod *Blondellus* de eodem in Apologetica præfatione doctiſſima, quam *Genealogiis Francicis* contra *Chifletium* præfixit, recte et ſolide explicuit. Quæſo te, iſtic orbem eruditum illuſtramentis peritiæ tuæ porro adiuua. *Petri Puteani* libertates Gallicanæ Eccleſiæ maximam partem habeo, et legi, vt et reliqua eius potiſſimum quæ ſuperiore demum

anno

anno Lutetiæ prodiere de iuribus prætensionibusque Regis Christianissimi. Per mihi placent eius omnia, cumprimis Ecclesiastica illa. Neque ignoras, me etiam in plerisque amplecti sententiam Gallicanæ Ecclesiæ, nec magni facere vulgi circa *primatum in Ecclesia* problematicas assertiones; quin imo reiicere. Quid ergo amplius requiris? Scio etiam, vbi procul affectibus consideraueris, problematica ista, quæ licet a nonnullis multum exacuantur, intra priuatorum tamen subsellia tantum subsistunt, a nullo Concilio vnquam pro fidei articulis venditata esse, te continuo esse animaduersurum, vnitatem quoque cum iis consistere posse, qui vel admittunt vel abiiciunt problematicas et audaces eiusmodi opiniones. De scriptione vernacula *coronatoria* hactenus nihil prodiit in publicum. Et deliberamus adhuc, an velimus edere. Simulac copia eius rei mihi facta fuerit, ad te exemplum miserol ubentissime. Interim quæso te mone, si qua obseruanda porro ad dilucidationem controuersiæ nostræ iudicaueris, et communica mecum, quæ in promptu habes de *primatu Moguntino* et contra Carolinam commentitiam *pragmaticam* Aquensibus datam. Ad hoc festinatum

tuum responsum exspecto. Te operæ et opis mihi latæ non pœnitebit, crede mihi. Vale.

LXIV.

Conringius haud obscure dedicationis suæ præmium postulat, et cur a controuersiis sacris calamum abstinere non possit, indicat.

Helmst. d. 29. Dec. 1656.

Ante hosce aliquot dies accepi literas tuas plenas humanissimi fauoris ac beneuolentiæ, ac proinde vt suauissimas, ita gratissimas; vt pene fuerim indignatus, longa illa absentia factum, quod tam accepto munere caruerim. Cumprimis vero me delectasti illo Eminentissimi Domini Electoris erga Politica mea Aristotelica gratioso affectu nunciato. Nec enim diffiteri possum, nonnihil sinistri me subueritum, quoniam hactenus nulla epistola ipsemet Princeps animum illum explicauit; quod tamen fieri solet illico, et, si fiat sine mora, animum offerentis solet securum lætumque reddere, tanquam fructum iam ceperit bene gestæ rei. Et vero nisi scirem alienum te esse ab illis fucatis aulicorum blanditiis, eoque posse me tibi tuto credere, etiamnum aliquid metuerem

rem tantum ob diuturnum illud ſilentium, præſertim cum pro *Aſſertione* tranſmiſſa actutum mihi gratiæ ſint actæ mora plane nulla interpoſita. Nec enim dubito iocari te, quando ſignificas, Te ipſum hactenus fuiſſe in mora, idque vt extorqueas librum de ciuili prudentia. Quid enim Eminentiſſimo Principi aut conſecratis Politicis cum libello illo rei eſt? Aut ſi ego impediar librum illum abſoluere, num propterea offenderim ego Dominum Electorem, aut in caſſum Ariſtotelica Politica in nomen Principis ediderim? Certe non quidem temere quidquam amplius metuo aduerſi; omni tamen metu vix ſolutum me præſtabis, niſi ipſiuſmet Eminentiſſimi literis redditis. Quas proinde vti mihi primo quoque tempore cures, etiam te atque etiam rogo, quo tandem animo ſim ab omni ſiniſtra ſuſpicione vacuo. Nec enim nunc vetus illud in memoriam reuocabo.

Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt gratia: namque
Cum fieri properat gratia grata magis.

De libro interim, quo ciuilem prudentiam adumbraui, ſancte polliceor, modo mihi Deus vires conceſſerit, breui te integrum habiturum. Animus certe eſt aggredi dudum neglectum labo-

rem, ſimulac ſacris hiſce feriis et nonnullis negotiis fuerit impoſitus finis, vt ſperem proximis nundinis librum denique proditurum. Colonienſibus iam obturatum os autumo, nec eos facile quidquam auſuros, niſi forte quid mouerit *Streithagius* aliquis. De libello Germanico, quem forte Eminentiſſimus Elector eſt editurus, denuo ſuadeo, ſit breuis nec occupetur in cauſſæ rationibus ſiue explicandis ſiue confutandis, ne nouis controuerſiis per incuriam detur occaſio aut prætextus. Hactenus nihil video, quod poſſit addi pro Moguntino iure. Si quid inuenero, ſtatim indicabo. Ratiſbona mihi motum eſt dubium de coronatione *Rudolphi*: hanc enim non a Moguntino, ſed Archiepiſcopo Saliſburgenſi eſſe peractam: idque poſſe probari fide dignis monumentis. Ego abſtineo me, nec tamen habeo, quo firmiter tale quid aſſerenti queam occurrere. Itaque ex re fuerit, hac de re conſuli Acta manuſcripta Electionis Rudolphi: qualia indubie ſaltim in tabulario Imperii ſuperſunt. Eſto hoc *Blumio* noſtro curæ. Quod aberratum ſit in tranſmittendis plagulis, quæ deſunt operi Politico, non mea ſed *Schefferi* culpa factum eſt, qui has ipſas petiit. Nunc alias mitto, ne amplius deſideres:

mit-

mitto vero iterum illas, quas *Schefferus* deficere significauit.

Uicariatum diuinum, quem sibi arrogat Papa, abs te improbari plurimum gaudeo. At O optime! num tanta arrogantia, quæ vtique vniuersum orbem in sacris pariter ac profanis summe turbat, apud Deum non aliam notam meretur quam audacis afferti? Num is, qui tale quid in republica fuerit ausus, inter ciues qui toleretur dignus est, aut vsquam terrarum a Regibus ac Principibus tolerabitur? Num propterea, quod Ecclesia Romana hactenus non dixerit anathema Vicariatui isti, ab illa condemnatione in iudicio cælesti est itidem liber? Num Ecclesiæ isti Romanæ talis data cœlitus potestas, vt eius censura vnice stent cadantque Christianæ Fdei dogmata? Num de illa potestate verbulum aliquod reperitur in sacro codice? Num Ecclesia Catholica prisca tale principium Fidei suæ professa est? Imo vero, num vel aliquis vnus Scriptorum primi æui disertis aut perspicuis verbis id asseruit? Non sperauerim, hasce interrogationes auditu tibi molestas esse, vtpote cum pertineant ad fundamentum veræ Fidei Christianæ: quod nisi fuerit iactum, quicquid superstructum est facile corruit.

Vt abstineam operam ab omni sacro argumento, eamque solis Politicis impendam, quod suades, vtinam liceat! Nec vero me latet, si consilio tuo obsequar, posse me in multorum amicitia viuere, qui sacris illis disputationibus offenduntur: nec adeo sum imprudens, vt sciens volensque gratis mihi ipsi damnum creem: nec ex illa opera est, vel nomen exspectem vel lucrum, cum vtrumque aliunde longe mihi rectius queat parari, imo paretur, hinc nec teruncio factus ditior. At vero, O optime! conscius mihi sum, quid a Deo sim nactus prae multis, quidque vicissim in officio meo sit, quamue poenam merear, si illi desum, intentus vnice seculi huius desideriis. Vnum illud, iuro tibi, me adigit ad illa sacra certamina non omnino deserenda. Animus est dare denuo *Wicelii* Viam Regiam, remotis tamen iis quae priori editioni adieceram, inque illum recepta locum *Cassandri* consultatione a quamplurimis mendis liberata atque aucta ope optimi codicis hactenus non visi in vulgus. Forte addam et *Wicelii* Methodum. Vt haec curem, vrgeor quoque a quammultis, quorum non potest non apud me magna esse autoritas. Nouam et longe locupletiorem editionem libri de

Ger.

Germanorum Imperio dare itidem conſtitui; ſed hac hyeme aggredi non patiuntur negotia. Nunc ad calamum interea dicto indies, ſed ſolius memoriæ auxilio, animaduerſiones et commentarium ad *Lampadianum* libellum *de Imperii republica*, quæ aliquando forte edentur recenſita per otium, vtpote cum illa, quæ ad communem Imperii rempublicam attinent, fere omnia breuiter comprehendant, ac proinde poſſint eſſe vſui. Sed quid te moror, Vir Generoſe, et res tuas meis hiſce narrationibus? Deum obſecro, vti te hoc proximo anno et plurimis ſecuturis publico bono ſoſpitem omnique parte felicem ſeruet ac tueatur, quo liceat etiam mihi tam illuſtri gaudere amicitia. Ita ex animo voueo.

LXV.

Conringius pictam Electoris imaginem deſiderat, et ſui memoriam commendat *Boineburgio* apud Eundem.

Helmſt. d. 16. Febr. 1657.

Ante hoſce quatuor dies literæ Francofurto miſſæ ab illo *Samuele Rachelio*, quem nuper iſthuc in ſcholæ vſum laudaui, turbauerunt me haud parum, nunciantes conqueſtum te de ſilen-

tio

tio meo. Ex eo enim cœpi vereri, periisse fortassis vltimas meas, quas vna cum plagulis, quæ in opere Politico desideratæ sunt, ipso statim anni huius exordio ad te pariter et *Blumium* nostrum transmisi. Qua ratione ego non tantum illas plapulas perdiderim, sed simul etiam haud iniuria abs te accuser neglecti officii literarii. Cum vero commodum in manus inciderit apographum istarum prorsus mearum ad te literarum, quod amanuensis seruauerat, visum est denuo illud descriptum mittere. Idque in id maxime, vt videas, nullam in silentio meam culpam esse, sed quæcunque illa fuerit alteri adscribendam, simul tamen vti in tempore possis significare, num quæ adhuc plagulæ tibi desint. Proximis nundinis mittam exemplar *Apparatus* pariter et *Seculorum* aliquot Historiæ, in quantum vtrumque hactenus prodiit, curante priores aliquot plagulas *Calixto* Filio: mittam fortassis et alia nonnulla. Vicissim vero non dubito, fore te mei memorem apud Eminentissimum Principem Electorem, simulque daturum operam, vt compos fiam pictæ imaginis tanti Mæcenatis.

LXVI.

LXVI.

Boineburgius mittit *Conringio* Electoris literas, refutat fabulam de Rudolpho II. Imp. a Salisburgensi coronato, et quo sensu Vicariatum diuinum admittat, explicat.

Wirceburgi ex arce d. 1. Mart. 1657.

Doleo mirifice, Eminentissimum Electorem tam diu literas scribere ad te distulisse, quibus significaret, gratum sibi fuisse, vt certe fuit, quod ipsi *politica Aristotelis* inscripseris. Scire autem debes, optime amice, moram hancce natam non aliunde, quam quia me diu absente a nemine Princeps fuit eo nomine monitus. Iam postquam heri huc redii, inter primas id meas curas esse mihi praestitui. Et ecce! illas, prout moris est. Ne, quaeso, dubita de prolixo erga te Principis adfectu, quem vtique breui ostendet luculento indicio, vnde peruidebis, et te ipsi per esse gratum, et eum plurimi facere praeclarum a te operi Aristotelico impensum atque nunquam satis laudandum laborem. Proximis nundinis et ciuilis prudentiae librum auide exspectat prudentissimus Elector, ac alia, quae hoc semestri proxime elapso edidisti. Nosti et meum priuatum quo omnia

innia tua legendi flagro desiderium: quod si quamprimum sedare tandem voles, vt potes, crede mihi, gratiæ eius mihi factæ te non pœnitebit. Neque tamen inficior, me non nihil effecisse, vt necdum Eminentissimus animum suum reapse erga te testatus fuerit. Speraui enim, sic extortum fere iri commentationem integram tuam de ciuili prudentia. Sed hæc ioculo. Scis tamen, quam seuerus sim librorum id genus cumprimis tuorum, exactor ac efflagitator. Amabo te igitur, mane iteratis promissis tuis, et libri tui de ciuili prudentia me ocius fac domi meæ compotem. Tum exsoluam me quoque nexu eo facilius, quo tibi obstrictus teneor ex multo, quem Eminentissimo præstitisti, officio atque honore. De lite *coronaria* iam omnes silemus. Fui nuper Bonnæ in aliis fortuitis occupatus; at rei parca tum mentio vtrinque. Forte non difficulter componi posset.

Quod quis a Salisburgensi *Rudolfum II.* consecratum scripsit, manifestus sane error est, conuinci facillimus. Acta illius Coronationis præsto sunt Moguntiæ, et factum ipsum adeo patet, vt mirer, quei cuiquam in mentem contrarium venire possit. Credo, si Ratisbonensis vrbis ipsius di-

diaria inſpiciantur, apertum fore, Moguntinum, *Danielem a Brendel*, vt Maximilianum II. Francofurti, ita et Rudolfum II. Ratiſbonæ coronaſſe. Quin ne quidem ſando auditum fuit vnquam, Saliſburgenſem ſibi quid eius dignitatis petiiſſe. Ne ergo hac de re ſollicitus ſis, mi amice. *Wiceliana* te denuo meditari edere, libens intelligo. Methodum *Wicelii* memini mittere tibi Ratiſbona. Adiici illis omnino meretur. De Germanorum Romano Imperio obſecro ne dubita reliquas tuas cogitationes, quæ Reipublicæ noſtræ germana erunt illuſtramenta, in publicum edere, quandoquidem *Blondelli* de hoc argumento laboribus affectis carere cogimur. Vtinam et Lampadiana tua mihi videre liceret quamprimum!

De Vicariatu Sedis Apoſtolicæ diuino me non videris recte aſſequi, dum ais, mihi eum improbari. Si autem intelligis hoc ita, quod eum non ſecus, nec vltra approbem, quam Gallicana hodieque eccleſia facit, tum recte me capis. Porro non eundum eſt circa irritabilem hanc Philoſophiam. *Petri Puteani*, *Petri Marcani*, *Nicolai* olim *Rigaltii* et aliorum huius ordinis eruditorum in Galliis de hoc capite Theologiæ Catholicæ pia

et

et antiquis agnitiſſima ſententia eſt tutiſſima. Qui volet pluſculum cum quibuſdam ſeuerioribus diſputationum fidei tractatoribus aſſerere, næ! is pluribus quoque et maioribus difficultatibus implicetur oportet; etſi ideo non continuo habendus pro *intolerabili inter mortales*. Sed temperandus hac in tenerrima re ſtilus, et peritioribus relinquendus eſt. Vale, mi optime æſtimatiſſimeque Amice.

LXVII.

Conringius commendat *Boineburgio* Ludgeriani cœnobii *Priorem*.

Helmſt. d. 26. Febr. 1657.

Præcedente ſeptimana literas ad te exaraui, quas recte curatum iri non dubito. Vt haſce mittam, facit cœnobii noſtri Helmſtadienſis *Pater Prior*, amicus meus: is quem non ſemel iam commendaui. Quid ad illum ſcripſerit *Blumius* noſter, docent adiunctæ literæ. Iis ille motus ex meo conſilio ſuas ad te exarauit. Nec enim audet ſtatim in viam ſe dare, quod ſuaſit *Blumius*, ne forte fruſtratus ſuis ſit odio et riſui. Iam antehac Abbates illum voluerunt *Coadiutorem* conſtituere cœnobii Erfordienſis; at veritus offenſam Eminentiſſimi Electo-

ris,

ris, cuius obſequiis ſeſe totum deuouit, noluit niſi accedente Electorali conſenſu conſtitui. Vir eſt doctus, probus, ingenioſus et dexter: itaque et meretur munus aliquod eximium, et ſimul gratiam Eminentiſſimi Domini Electoris. Nec vero ab illo eſt quod Epiſcopalibus iuribus quidquam metuatur, vtpote qui et ipſe probet vetera inſtituta dioeceſana, quibus coenobia Epiſcopali iuriſdictioni prudenter ſubiecta ſunt. Quod ſi itaque ita poſſit negotium omne componi, vt Erfordiam hinc auctoritate Domini Electoris vocetur, et quaſi abſens eligatur ſiue Coadiutor ſiue Abbas, poterit et pudori illius et exiſtimationi omnium optime conſuli. Non dubito, omnia prudenter abs te iri conſtitutum, me præſertim rogante.

LXVIII.

Conringius mittit *Boineburgio* hiſtoriam *Conclauium* non ſine ſale.

Helmſt. d. 28. Febr. 1656.

Haſce adferet bibliopola noſter, et quidem cum exemplo duorum libellorum, quos feſtinata opera edere ex aula noſtra inductus ſum et propemodum iuſſus. Neutrum ſpero opuſculum diſ-

O pli-

plicebit. Etsi enim malis fortasse *Conclauis* vitia dissimulata; in hoc tamen vnice illa a me vrgentur, vt appareat, quam sit alienus ab omni verisimilitudine *Vicariatus diuinus*, quem sibi Romana Sedes arrogat: quod nequaquam dissimulandum est illi, qui ecclesiam et rempublicam velit saluam. In præfatione rogo attendas primo, qualem vicariatum ipsi papæ a temporibus *Hildenbrandi* sibi arrogauerint? Secundo quanti sit momenti, quidnam huius credant homines, et quid non credant? Quod sane cum *Perronio* aliquamdiu persuasum tibi fuit, quæstionem illam esse *problematicam*, illud neque rei ipsi, neque Paparum decretis, neque communi Theologorum Romauensium sententiæ esse consentaneum, liquido, nisi fallor, in præfatione probaui. Vtinam etiam hoc persuadeas tibi, quemadmodum adhuc veritatem tenes in Vicariatu improbando! Deus mihi sit testis, quam ego de salute tua sim sollicitus, præsertim cum existimem, magno illam in periculo versari. Nihil equidem laboris subterfugiam, vt reducaris in viam, et ex solis sacris literis salutis rationem petere denuo assuescas, relictis illis riuulis cœnosis, quos humana auctoritas fodit. Libelli Germanici auctor forte

non

non est ignotus tibi. Quisquis sit, argumentum profecto est vtilissimum, et tractatum illud est, quantum arbitror, optime. Liber de ciuili prudentia iam iterum moueri cœpit: faxo vt propediem habeas integrum. Velim ergo mihi significes, quæ tibi plagula sit vltima. Quod negotium meum attinet apud Eminentissimum Dominum Principem Electorem, de illo non addo verbum, ne videar diffidere tuo erga me affectui, quodque sim certus, si etiam nunc non respondeat exspectationi promissa abs te gratia, oleum me et operam perdidisse. Si quid Colonienses ediderint, quæso mitte, simulque effice, vt exemplar aliquod *Examinis* et *Castigationis* nanciscar, cum vtriusque non nisi vnicum mihi sit curatum, quod a me iam est nonnihil maculatum. Causam *R. P. Prioris* nostri denuo commendo. Haud facile, scio, aptiorem monasterio regendo inuenietis. Omnium certe Benedictinorum, quos ego hactenus noui, deprehendi illum doctissimum, et in curandis rebus dexterrimum.

LXIX.

Boineburgius mittit *Conringio* plenas fellis *Gryphiandri* epistolas, olim ad *Nihusium* scriptas.

Moguntiæ d. 5. Mai. 1657.

Noli indigne ferre, quod tam lenta sumus hic ne-

nomina. Debitum agnoſcimus, tarditatem gratæ demonſtrationis certo operis fide tanto maiore penſare aſſoliti. Eminentiſſimus vtique tui meminens eſt et peramans. Quæſo interea, matura ſupplementum libri de ciuili prudentia, cuius numerus vltimus eſt in *pag.* 152. Si qua hactenus vel edidiſti vel dictaſti, ſodes tranſmitte. Ex animo et continuo tum vecturæ pretium tum deſcriptionis præſtabo. Ceterum nolui quoque officio amici deeſſe, dum iter ſchediaſmata *Nibuſii* noſtri reperi treis iſtas *Gryphiandri* epiſtolas, in nomen præclarum tuum, mihique ſincere æſtumatiſſimum, admodum duras diraſque, quin eas illico ad te tranſmitterem *, quo apud te conquiniſcant, vel exſtingui poſſint, omni hominum memoria indiguiſſimæ **. Sancte teſtor, ne-

* Scilicet obierat hoc tempore *Nibuſius*; obierat etiam *Gryhiander*: a quorum obitu *Boineburgius* ſine offenſa cum amico communicari poſſe credidit, quæ profeſſus ille Academiæ Iuliæ hoſtis paſſim diſſeminauerat; immo iam olim ipſe *Gryphiander*, vt *Conringio* ægre faceret, ad *Calixtum* miſerat.

** Sunt tamen in iis quædam ad vitam Academicam cum ipſius *Nibuſii*, tum *Gryphiandri*

nemini eas visas vnquam, ex quo in meum conspectum inciderunt. Amabo, quid dignitatis subest *Weichbildicis* illis libris *Gryphiandri*? Antehac eas vidi quidem et pellustraui; at minus aduorti quae tum legerem, vt solet rebus ignotis. Vale et rescribe sis quantocissime, si me amas. Vbi iam latet *Feldius*? An *Grotii* ius belli et pacis adhuc fodicat?

LXX.

Conringius Gryphiandrina illa sibi dudum nota significat, et *Boineburgio* suspiciones circa electionem noui Imperatoris iniicit.

Helmstad. d. $\frac{21}{11}$ *Mai. 1657.*

Agnosco veteris amicitiae affectum, quod volueris mihi mittere *Gryphiandri* literas. Iam ante hos decem et quod excurrit annos vidi similes hominis calumnias ad *Calixtum* perscriptas, quibus

dri pertinentia vulgo incognita. *Conringii* autem fama tam bene constituta est, vt luminibus eius nihil officere possint huiusmodi epistolae; etiamsi vulgarentur. Quod quidem hic sine piaculo faceremus, ni chartae parcentibus ad alia, eaque maiora et vtiliora, properandum esset.

bus illico oppoſui prolixam epiſtolam *, cuius ille partem *Nibuſio* recitat. Cum ne ſic quidem quieſcere illum intelligerem, volui publicare illam apologiam meam; ſed diſſuaſerunt amici. Feci tamen illam a plurimis deſcribi et paſſim circumferri, ipſo haud ignorante, tacente tamen; etſi ſciret ſeſe traduci et accuſari abs me tanquam mendaciſſimum et ſuperbiſſimum Sycophantam. Inde mortuus eſt homo; nec ego in mortuum vel voculam aliquam vt iactarem impetrare abs me potui. Occaſio ſycophantiæ enata eſt, quod ego viſus ſim in libro meo *de Origine Iuris Germanici* nonnulla docere ſimilia iis, quæ ipſe tradiderat libro *de Coloſſis Rulandinis*; illa credidit homo ridiculus non potuiſſe me non ex illo ſuo libro petere; quod tamen cum diſſimulaſſem, plagii me poſtulare non verecundatus eſt. Quaſi vero illa monumenta, quibus ipſe fuerat vſus, non ſint in manibus omnium, et qui valet iudicio rerumque veterum aliqua peritia, non ſtatim nullo magiſtro in noſtram ſententiam trahatur. Ego vero Deum teſtor, me libri illius Gryphiandrini

* Data ea eſt *propridie Kal. April. 1647.* ſed prolixior, quam vt commode hic inſeri poſſit.

drini nihil omnino legiſſe, nulla eius libri excerpta voluiſſe, cum mea de iure Germanico commentarer. Et vero demum ſuperiore anno perluſtraui librum illum, cum eo me donaſſet nonnemo amicorum. Perluſtrans vero non potui ſatis mirari hominis impudentiam, auſi in accuſationis ſuæ teſtimonium prouocare ad aliquot capitum vtriuſque libri collationem; cum non dubitem ego ab illa vna petete apud omnem æquum iudicem innocentiæ meæ vindicias. Pene conſilium mihi eſt, in præfatione ad tertiam libri mei editionem tangere hanc ſycophantiam; mitius tamen, quoniam mihi cum defuncto res iam eſt, et fere quieſcam in illa ipſa, ad quam prouocauit, collatione. Velim tamen ſignifices verbo, placeat, nec ne, hoc inſtitutum. Contigit mihi profecto iſthoc in argumento, quod *Blumio* mihique in *Aſſertione* Iuris Moguntini nupera. Verum hæc non ſunt tanti, vt me crucient, dudum contempta ab animo integro ſceleriſque puro.

Multo magis me turbant publica Imperii negotia; etſi forte debeant illa mihi vmbratico homini minus eſſe curæ. Tu vero nouiſti ingenium meum, Domine, quam illud ab otio alienum, et

publici commodi, nulla spe lucri invitante, sit studiosum. Cum nimirum orbata sit Respublica suo capite, nonumque aliquod denuo sit eligendum, de persona quidem non multum dubito, aut animi angor. Id me cruciat, quemadmodum caueri possit, ne illa persona Germaniæ tranquillitatem nequeat vel nolit turbare. Non me etenim latet quidem, suspicari nonnullos, fore vt Electorum quorundam suffragia sint inclinatura in *Bauarum*; mihi vero non fit probabile quemquam hoc tentaturum, aut hunc eam dignitatem ambiturum. Certe quietis publicæ, vt alia taceam, interest, ne fiat. Nec vero Potentissima domus Austriaca patietur sibi temere eripi tam diu possessam dignitatem, præsertim hodie cum milite est instructa valido et numeroso. Non vtique vetat annaria quædam lex, adolescentem legi Imperatorem: nulla enim vnquam est lata. Et olim *Otto III. Henricus IV.* admoti sunt gubernaculo reipublicæ multo iuniores *Leopoldo*, vt qui 9. Iunii proximo ingressurus sit annum ætatis decimum octauum. Et vero quantum ex iis, quæ narrat ad annum MLXV. *Lambertus Schafnaburgensis*, liquet, decimus quartus annus habitus olim fuit idoneus administrando Imperio, perinde atque is

mo-

ribus Regni Gallici censetur Regibus sufficere. Et tamen olim, nondum in morem nostrum a. stricta Cæsarum potentia et auctoritate, longe erat maius ab annis immaturis reipublicæ periculum, quam possit nunc metui. Quis porro Electorum vel ausit temere de Austriaca domo alienum animum ostendere? Vtque vnus et alter id fecerit; non dubito tamen potiorem partem *Leopoldo* accessuram. Quin itaque *Leopoldus* sit eligendus equidem nullus dubito. Verum non vacat profecto res periculo. Quid enim si ille vel nunc statim eo, quo instructus est, milite abutatur ad bella Polonica, aut Hispano-Gallica, vel deinceps contracto forte cum Hispanica Infante matrimonio vires Hispanicas Austriacis iungat? Si nunc sane Hispanum iuuerit, et quidem cumprimis si in Belgio iuuerit; verendum est, ne Gallus ex aduerso inuadat Germaniam, saltem illam sibi maxime vicinam, vestram, inquam, illam Transrhenanam, atque ita bello difficillimo, si non vniuersa, saltem Transrhenana Germania implicetur. Pene idem metuendum est, si in Polonia arma mouerit. Metuet enim sibi Gallus, ne forte Austriaci occupent Poloniæ regnum, atque adeo viribus illis nouis auctus Austriacorum

impetus in se fiat validior solito: ac proinde dabit operam, vt nouæ illi surgenti fortunæ per arma in tempore repagulum iniiciatur. Multo maxime verebitur Gallus, ne aliquando Cæsar Germanus potiatur simul rerum per Hispaniam. Gallo autem socii non desunt, illi cumprimis, quibus idem a potentia Austriaca periculum imminet. Si Gallus autem vel alii quidquam mouerint aduersus Austriacos, non poterit non simul inuolui et vniuersa Germania: certe non poterit non affici ea pars, quæ Gallo eiusque sociis est propior. Sed et plurimum refert libertatis omnium omnino Imperii Ordinum, ne externa aliqua maior potentia Cæsaribus suis accrescat, qua libertas Principum queat opprimi. Itaque magnum periculum subesse, si Cæsar creetur *Leopoldus*, nemo forte prudens diffitebitur. Quid consilii vero, dixeris, si ille non possit non eligi? Hic Te, Generose Domine Baro, et si quos habes similes, audire vtique peruelim. Vt tamen in sinum tuum meas quoque cogitationes deponam solita ingenuitate, ita accipe. Primum videtur ex re fore, vt ne electio maturetur. Idque primum, vt ita explorari queant eo rectius Austriacæ domus decreta atque intentiones, num sci-

ſcilicet bellis illis vicinis velit, nec ne, ſeſe ingerere. Secundo, vt ſaltem præſens periculum, aut certe id, quod præ foribus eſt, caueatur aliquamdiu, donec inter beilantes partes pace vel induciis omnia componantur; quod vtique propediem fore ſperamus. Nec enim fortaſſis, interim dum ſuſpenſa eſt electio, *Leopoldus* militem ſuum extra Imperium deducet, et Germaniam turbabit. Electione autem iam facta minus quidquam poterit illis conatibus obſtare. At maturare iubet electionem lex *Aureæ bullæ*, et conuentum Electorum iam indixit ſecundum Imperii leges Eminentiſſimus Dominus Elector? Atenimuero legibus *poſitiuis*, qualis eſt illa *Aurea*, vis omnis perit per ſalutem publicam, ſi illa aliud iubeat. Et facile quid poſſit iniici, quod conuentum rite indictum remoretur, aut iam factum in longum protrahat. Nec vero ab interregno aliquo paulo longiore quidquam Imperio imminet damni, cum non deſint Vicarii, in promptu ſint Deputati Ordinum, Comitia Electoralia facile coëant, et denique ea hodie ſit Imperii ratio, vt, modo Iudiciis communibus ſuus honos maneat, de cetero Cæſaris præſentia non perinde vt olim ſit neceſſaria. In præſens itaque paci publi-

cæ

cæ consulere non fortassis adeo est difficile. Quid vero, si *Leopoldus* ducta Hispanica Infante, aut arrepta Polonica corona fiat terribilis? Indubie magis arduum est cauere, ne externa potentia Cæsarem faciat terribilem. Memoria rerum *Caroli V.* etiam imprudentem quemque commonefacere latentis periculi idonea sane est. Et tamen quam longe hodie maior est vis Austriaca, sub iugum missis Bohemis, Silesiis, Morauis et Austriacis, fauentibus item Hungaris, atque erat illa Caroli ævo, diuisa scilicet tum, ac *Carolo* et *Ferdinando* subdita, Principem etiam suum magis comiter veneraus, quam mandanti quidquam obtemperans! An consultum fuerit, in illam legem eligere imposterum Cæsarem, vt si quod nouum regnum ipsi accesserit, Electoribus liberum sit, alium sibi Cæsarem creare? An et illud addendum, vt imposterum haud sit fas Cæsari, nisi de consensu Ordinum Imperii, militem cogere in exteras terras ducendum? Ordinum dico consensum; non solorum Electorum: tantum vt repagulo illi maior sit vis, cum maiorem Electorum numerum in assensum flectere facilius sit effectu per varias artes, quam Ordinum quoque reliquorum assensionem impetrare. Ne vero externa poten-

tentia fretus Cæsar aliquando opprimat Principum libertatem, remedia in promptu sunt: cum vicinis nimirum Regnis arctior quædam amicitia, vtpote quæ non temere patientur Germaniam opprimi, proprii periculi causa, et domi studium publicæ salutis et tranquillitatis. Certe illo Ordinum studio caueri item poterit, ne quid temere ausit vel possit Cæsar contra leges, quas modo dixi fore vtiles in futurum, præsertim si iidem dent operam, vt robur aliquod bellicum semper sit ad manum, quod qua ratione meo iudicio possit comparari, alias forte significabo. Sed quid ego? Vide, quantum valeat et fiducia amicitiæ tuæ, Generose Domine, et amor boni publici! Nec vero non sim demens, si apud quenquam talia edisseram, nisi de cuius amico affectu mihi certe constat. Et sane nullus dubito, non alio te animo hæc accepturum, quam quo soles mea omnia, in partem nempe optimam, eoque breui abs te responsum aliquod benignum exspecto. Interea vero me meamque causam apud Eminentissimum Dominum Electorem perges agere. Perinde atque ego pergam esse, qui fui hactenus.

Gryphiandri liber probæ est notæ et varia referre-

fertus eruditione; multa tamen aliena miſcens in vnum corpus, quæ hodie eſt plerorumque ſcribillantium conſuetudo.

LXXI.

Boineburgius viciſſim *Conringium* de Vicariatu Imperii Rhenenſi conſulit, hortaturque, vt pro Bauaro calamum ſtringat.

Francofurti d. 1. Iun. 1657.

Tuæ d. 21. Maii exaratæ mihi ſane fuere longe acceptiſſimæ, cumprimis quod continerent præclaras cogitationes tuas de præſente rerum poſitu et Electionis futuræ implicamentis: quæ ſuperatum denique iri feliciter in Deo ſperamus. Interim feſtinato certiorem te facere per haſce literulas volui, huc ad nos perlatum incerto tamen rumore, in nouo certamine ſuper *Vicariatu* te etiam ad partes inuitatum, idque a *Palatino* Domino Electore. Id numquid veri habeat, necne, relinquo in medium. Ego tamen, quia amicus et ſum tibi et eſſe perſeuerabo ſemper, rogare te operæ duxi, vt mihi tuum ſuper omni hoc argumento iudicium pandas quamprimum, neue te implicari illa controuerſia per *Palatinos*

ſinas

finas. Egerunt mecum summæ dignationis viri, vt te permoueam ad stilum pro *Bauaro* * capessendum, idque tuopte nutu, ac alieno impulsu dissimulato. Certus sum, si scriptum mihi quoddam eam in rem breui transmiseris, te ingens curæ et laboris pretium esse facturum. Fidem ecce! in id tibi do satisdato. Bauarus et habet et volet, vnde tibi Principalem liberalitatem suam reapse ostendat. Cis paucos dies mittam quoque catenam Moguntinam. Noli de ea ambigere ex interlapsa mora. Præstabo, quod consponsum. Vale et mox rescribe, meque toties cupitis tuis libris de ciuili prudentia et ceteri argumenti, vt et de Vicariatibus, exhilara.

LXXII.

Conringius aperit *Boineburgio* quæ sua sit de Vicariatu Imperii in partibus Rheni sententia, quippe Saxonico longe potiori.

Helmst. prid. Kl. Iun. 1657.

De Vicariatu illo Imperii ingenue fateor tibi, me non videre hactenus, illum arcto nexu cum *Da-*

---

* Qui historiam electionis Cæsaris *Leopoldi* probe cognitam habent, non indigent hic et in sequentibus commentariis nostris.

Dapiferatu fuiſſe coniunctum, ſiue ſuapte natura, ſiue poſitiua quadam lege publica; ex aduerſo verbis diſertis in Aurea Bulla Carolina Vicariale illud ius tribui, tanquam proprium quid, Comitatui Palatino, idque totidem verbis ab aliis Cæſaribus, imo Ordinibus omnibus Imperii etiam deinceps ſæpius repetitum eſſe, imo a Bauaricis Scriptoribus, qui Electorale ius Bauaro ante bellum nuperum aſſeruerunt, eſſe vltro agnitum. Cum in tabulis itaque pacis ſolius Electoralis dignitatis ſiue Dapiferatus in Bauarum tranſlati fiat mentio; Comitatus autem Palatinus cum omnibus iuribus Palatino ſit redditus: equidem nihil video hactenus, quo Bauari cauſſa poſſit reddi probabilis. Nec enim forte tabulæ Cæſareæ, quibus et Vicariatum Ferdinandus in Bauarum tranſtulit, poſſunt conſtituere contra vim Aureæ Bullæ, hoc eſt, Legis publicæ Comitiorum Imperii, et tabularum pacis. Scio, cum ante hoſce quadraginta amplius annos de Vicariatus Palatini auctoritate quæſtio eſſet mota, hinc inde a Palatinis et Bauaris ſcripta quædam eſſe edita; ſed nihil illorum mihi ad manum præter duos Palatinos Libellos titulo: *Bericht und Rettung des Churpfältziſchen Vicariats*. Rem gratiſſimam ſe-

ce-

ceris, ſi et Bauaricos tractatus, vt et quidquid aliud ad hoc argumentum attinet, poſſis curare. Interim dum aliter inſtitutus non ſum, vides, Domine, ſalua conſcientia non poſſe me Bauaricam cauſſam propugnare. Statui, ne quidem inuitatus, alterutram in partem quidquam publicare, niſi iuſſerint illi, quibus in me eſt imperium. Terret me, quod *Aſſertio* iuris Moguntini, modeſtiſſime licet ſcripta, tamen conciliauerit mihi Colonienſium et Bauaricorum omnium odia; ne quid dicam de calumniis et ſycophantiis indoctorum hominum. Velim interim absque amore et odio per te diligenter expendi, num reipublicæ expediat, Vicariatum illum Bauaro committi. Noſti vtique domus illius potentiam et ingenium imperandi cupidum, æmulum reapſe familiæ Auſtriacæ; quicquid diſſimuletur interdum. Iam vero inter ſcita vtique prudentiæ ciuilis eſt, non temere addendam potentiam potentiæ. Vicariatus vero ille Palatinus longe eſt præſtantior Saxonico, vtpote qui non interregni tantum tempore vim habeat, ſed, ſi quando extra Germaniam abeſt Cæſar, multa etiam alia ſibi arroget. Et vero etſi Bauarici Scriptores olim multum reſtringere eius auctoritatem haud dubitauerint; non

credo tamen idem et hodie probari, mutatis nimirum cum fortuna ſententiis. Quid ſi Bauarus ſibi quoque tribuat, quod Palatino in ipſa Aurea Bulla adſcribitur, facultatem de ipſo Cæſare iudicandi? Nihil quidem tale potuit fere Palatina domus ob potentiam Auſtriacam et ſuam imbecillitatem; at Bauarica poterit, quod altera illa non potuit; forte et audebit, quo eſt magno animo. Audit, ſcio, ex aduerſo Palatinus non optime, et turbulentior creditur. Sed non videndum id duntaxat, quod nunc præ oculis eſt, ſed proſpiciendum in futurum. Ipſa Domus Palatinæ imbecillitas videtur ſuadere, vt Vicariatus illi maneat integer. Vtut ſit, vereor equidem nouas turbas. Indubie enim lis ad Comitia publica trahetur, cum illa omnis verſetur potiſſimum circa interpretationem rectam Aureæ Bullæ et tabularum Pacis, atque adeo Legum publicarum Imperii, quarum conſtitutio vti eſt Comitiorum, ita et interpretatio. Hanc meam ſententiam, rogo, Generoſe Domine, ne temere cuiquam communices, ſed etiam atque etiam diſſimules. Nec vero niſi in vnius tui ſinum hactenus illam effudi. Bauaricis itaque hoc vnum velim reſpondeas, nolle me ingerere illi negotio, nec quidquam aude-

re,

re, non impetrato ante consensu Serenissimorum meorum Principum. Interim tamen non dubitaui hasce, quas vides, literas supplices ad Serenissimum Bauariae Ducem exarare. Obnixe autem rogo, nisi graue fuerit, vti iuues, quo desiderii mei * fiam compos, perinde atque ab Electore Saxonico factum est. Rem certe mihi praestiteris longe acceptissimam. De catena quod spem feceris, habeo gratias tibi maximas: tibi, inquam, quod non dubitem, te vno parario illam me nacturum. *Blumium* saluere plurimum opto, ab illo et literas et nummos Romanos aliquot exspectans.

LXXIII.

Boineburgius in caussa Gryphiandrina consilium suppeditat *Conringio*, eiusque scripta affecta, tum aliquid pro Vicariatu Bauarico postulat, lauto praemio promisso, et litem *coronariam* compositum iri significat.

Moguntiae d. 18. Iun. 1657.

Relegens tuas suauissimas, quae mihi iam ante tres hebdomades fuerunt redditae et quod excurrit, reperi

* Desiderauit autem priuilegium Vicariale de non recudendis a quoquam libris suis.

reperi inibi, te meam mentem desiderare nosse, num in tertiæ Commentarii *de Orig. Iur. Germanici* editionis præfatione *Gryphiandri* mentionem faciendam esse censeam? Ad id nuper, cum postremum scripsi, respondere oblitus, iam inquio, re satis appensitata, me omnino satius ducere, vt tangas rem illam ipse, quam vt alienam inuidiam, quæ forte aliquando in eam incidere quiuerit, destomachari inde contra te sinas. Etsi enim mea opera literas *Gryphiandri* domi tuæ teneas; scis tamen, quam facile soleant talia euulgari in conscientiam maleuolentium, qui postea ex musca Elephantum. Ad ceterum gratissimarum mihique longe iucundissimarum literarum tuarum, quas auro contra caras et in deliciis sane habeo, quarumque consimiles vtinam plusculas identidem nancisci abs te possem, tenorem proxime rescribam, idque vberrime. Interim rogo te, fac vt sciam, num qua spes superet, fore, vt Consultatio tua aliquando legi a me possit *de caussis corruptæ reipublicæ Germanicæ* et *remediis*; tum et *de autoritate humani testimonii; de vniuersæ eruditionis ambitu, connexu, sensu, cultu, vsu; de omnium denique seculorum scriptoribus:* qualia te pridem affecta habere, immo ad

ple-

plenam ſui abſolutionem perduxiſſe, non raro recordor. Amabo te, exhilara me eiuſmodi cimeliorum participatione, imprimis vero libri de ciuili prudentia et dictatorum ad *Lampadium* miſſu cito et certo me lætifica. Nulla re me magis potes tibi oſtringere tuiſue. Ceterum quoad reliqua me ad *Scheferi* noſtri literas refero, et tibi ſemper candide teſtabor atque reapſe, me tibi eſſe ex toto animo dicatiſſimum. Eminentiſſimus Princeps Elector iam tum iuſſit ſui memoriam in manus tuas aliquam conſignare. Quod et faxo mox fiat. Noli ambigere. Tuæ enim res mihi perinde cordi ſunt atque meæmetipſius. Coronaria controuerſia eſt in eo, vt componatur. Quæſo, ſcribe, quid ſentias nos indulgere Colonienſibus poſſe. Rem enim in publicam remittere aliquid ſtatuimus. *Blumius* iam eſt Viennæ, Monachii re optime effecta. De Vicariatibus an nihil ad me vis? Quæſo, reſponde. Non pœnitebit. Bauarus erit vtique gratiſſimus. Nil eſt, quo eum tibi poſſis obligatiorem reddere. Nec neceſſe, vt edas quicquam. Mitte modo exaratas manu tuas ſententias. Faxo vt et noſtri et alterius illius Electoris gratitudinem ipſo opere experiaris. De meo Electore res eſt debitiſſima,

et ego ſum in id fideiuſſor. Rem meam in hoc fecero, ſi hic fiat tibi, quod iuſtum eſt. De Bauaria perinde ſis, obſecro, certus perſuaſiſſimuſque. Non eris fruſtra.

LXXIV.

Conringius in cauſa Vicariali fluctuare incipit, diſſuadens *Boineburgio* litis coronariæ compoſitionem; vrgens contra vectigalium diminutionem, et militis mercenarii dimiſſionem.

Helmſt. d. 25. Iun. 1657.

De Vicariatu libere et ingenue dixi ſententiam decimo iam Iunii Gregoriani. Ex eo inciderunt quidem nonnulla, quæ Bauari cauſam queant nonnihil plauſibilem reddere; ſunt tamen forte leuiora. Si daretur inſpicere libellos, qui a Bauaris circa annum 14. huius ſeculi prodierunt in lucem de Vicariatu, forte liceat reperire quædam, aliis quoque præteruiſa. Itaque operæ fuerit pretium, ſi per noſtrorum Principum Legatos cures aliquid huius huc deferri. Si iuſtum æquumque viſum fuerit, non deero Bauaricæ cauſſæ; modo nomen meum diſſimuletur: nec enim placet illud diſcrimen iterum ſubire: adeo me terrent, quæ *Aſſertionis* cauſſa perpeſſus ſum. Propoſui vero nuper perpendendum etiam hoc, num expediat

ma-

magis Vicariatum Palatino, an Bauaro deferri; inclinantibus tunc argumentis in partes Palatini. Pro Bauaro tamen videatur posse facere, quod fortassis ex re Imperii sit, nimiae Austriacorum potentiae aemulam obiicere Bauaricam auctoritatem, iure Vicariatus, quod profecto longe est amplius Saxonico, munitam. Certe haud leuiter nocere Austriacis poterit Vicariatus in Bauarum collatus. Possem fortasse de his aliisque consulere quaedam in medium, si coram adessem; sed chartae non licet satis tuto omnia credere.

Coronariam controuersiam compositum iri, gaudeo. Sed quid Moguntinus concedere possit, haud satis apparet. Si extra dioecesin suam et Coloniensem velit admittere etiam Coloniensem, vehementer vereor, ne Salisburgensis aliquis argutior moueat turbas, praetendens totum hoc coronandi ius esse ius dioecesanum; quod in Gallia quondam nonnulli disputarunt, quoue praetextu quondam Coloniensis id, quod vnice antehac competierat Moguntino ratione Primatus, in sese transtulit. Et vero quod Coloniensis quondam, id inposterum quidni possit aliquis Salisburgensis, si fuerit potentior? praesertim si fuerit forte Austriaca vel Bauarica domo oriundus; quanquam haud

nesciam, quam sedulo ab illis eligendis sibi caueant Canonici. Quod si vero simul Salisburgensi aliquid indultum fuerit; actum erit de coronationibus Moguntinis pariter et Coloniensibus, domo Austriaca et coronationem et alia Imperii negotia trahente potius in suam viciniam. Equidem videtur ex re esse, vrgere potius, vti coronatio proxima quidem vice committatur Coloniensi, intra tamen diœcesin suam, quam vt Moguntinus patiatur detrahi quidquam ab illo, quod sibi deberi iure Primatus iam ante hosce septingentos annos strenue asseruit. Nec vero video vllam necessitatem, aut eximiam vtilitatem, qua induci Eminentissimus Elector nunc quidem debeat, vt antiquissimum ius sedis suæ infringi patiatur.

Ceterum in illo coronario negotio non sita est salus Imperii; quocunque tandem modo illud componatur. Optarim potius, prudenter et probe componi illas, quæ Eminentissimo Domino Electori sunt cum vicinis, de vectigalibus lites. Super his etenim vertitur haud leuiter fortuna Germaniæ. Et vero ita sentio: nisi in vniversum circa vectigalia aliter fuerit constitutum, quam est receptus Germaniæ mos, ad summam pauper-

ta-

tatem res Imperii peruenturas, atque adeo rem publicam ruituram præ summa omnium egestate. Iisdem vobiscum et nos laboramus vitiis, eoque apud nos de commerciis, vnde neruus agendarum rerum quam maxime accipitur, fere iam tum actum est. Ne idem vobis contingat, multum vereor. Singulari libello Germanico in aulas nostras misso demonstraui nuper, vix aliquam spem esse de restituendis in integrum commerciis frumenti, quæ heic locorum sunt potissima. Non difficile autem forte fuerit, idem de vestris commerciis ostendere; quanquam apud vos omnia facilius queant restitui per commodam vectigalium rationem.

Id vehementer me exhilarauit, quod *Nouellæ* retulerunt de Eminentissimo Domino Electore, quod nimirum armauerit subditos, et his velit vti pro milite. Neque vero, me quidem iudice, libertas Germaniæ et respublica salua esse poterit, nisi *mercenaria* illa *militia*, quæ centum quinquaginta circiter annos contra mores maiorum cœpit, et tanquam tabe conficit Germaniam, reiecta, ad mores priscos, quibus salua fuit Germania contra ipsos Romanos, hostes longe potentissimos et perpetuos, reuertamur. Si iusserit per li-

teras Eminentiſſimus Dominus Elector, conſultationem aliquam de hiſee negotiis conſcribam et transmittam. Interim non dubito, ſaltem nunc aliquando me accepturum, cuius mihi toties feciſti certam exſpectationem. Et vero commodiſſime fortaſſis per noſtrorum Ducum Legatos poſſit mitti, quicquid illud fuerit. Si certe vlterius moram nexueris, vereor, ne omnem operam perdiderim. Et vero cum tu vnicus mihi ſis curator, ſi vel tibi vel mihi eueniat humanitus quid (quod quam facile fieri queat haud vtique ignoras) et tua promiſſa et mea exſpectatio fruſtrabuntur. Certe in gratiis referendis omnis mora eſt periculoſa. Pro conſilio ad Gryphiandrinas calumnias eradicandas habeo gratias. Placet illud, eoque ſequar. De libris et ſcriptis meis, quorum meminiſti, ero et ipſe memor, non deſuturus expectationi, ſimulac potero. Nunc cum alia, tum quædam publico *de Pace Germaniæ*, idque omne inuitatus a Magnis Principibus. Breui videbis. Erit mihi propediem ſimul in Friſiam eundum componendæ reipublicæ cauſſa. A Principe enim euocatus ſum iam alteris literis. Ibi indubie aliquot hebdomades erunt impendendæ.

LXXV.

LXXV.

Boineburgius, quid circa compoſitionem litis *coronariæ* acciderit, *Conringio* narrat, ſuppetiaſque flagitat.

Moguntiæ d. 26. Iun. 1657.

Accepi, quæ pridie Kal. Iun. ad me ſcripſiſti, nec parum luminis mihi inde affulſit in controuerſo de Vicariatu negotio: cui ne aliquod præiudicium immature iam attuliſſe videar, ſuſpendere volo tantiſper plenum aſſenſum meum, donec plura a te edoctus deponere potero, quæ e re eſſe putauero. Deſiderium vero tuum ad aulam Bauaricam non ſine ſuffragio melioris notæ per me delatum, crede mihi, prolixa gratificatione excipietur, nec te operæ eius pœnitebit. Interea torques, quo te noſtras Elector honeſtare voluit, penes me eſt, cis triduum tradendus *Scheffero*, vt tibi porro mittatur. Lis coronationis compoſita demum eſt æquis vtrinque conditionibus, nec indecoro nobis reique publicæ noxio euentu. Sic quidem ſopita omnia eſſe poterant. Sed cum Colonienſes in ipſo momento tranſactionis typis deſcribi curauerint collationem quandam vtriuſque partis argumentorum, ita vt e pugna hac ac gla-

di-

diatoria arena vltimi discessisse videri possint, præsertim si intra priuata cuiusque tabularia scriptum hoc affernetur; visum nobis est, e collatione ea, etiamsi promiscue euulganda nunc non fiet, ita tamen exemplum aliquod in Archiuo nostro condere, vt in margine notis et necessariis animaduersionibus distinctum documento posteris aliquando esse possit, caussam nostram non inanibus aut iniquis fundamentis nixam fuisse. Id quidem nemo te felicius promptiusque præstare nouerit. Ideo pro veteri amicitia in hoc quoque operam tuam requiro, exemplumque illud censuris notisque tuis, vbi opus erit, confixum remitti postulo. Liberum tamen tibi relinquo, an velis seorsim aliquid commentari, quod huic opponi possit, atque sic melius apparebit vis confutationis iis in locis, vbi Colonienses nihil concludunt. Opus autem hoc excudi cœptum est cum iam tum lis ista adhuc flagraret: nunc in hoc tantum sumus, ne posteris inde aliqua dubitandi ratio relinquatur.

LXXVI.

Idem eidem compositionis exemplum mittit.

Moguntiæ d. 27. Iun. 1657.

Quando significaui, transactum esse Coronationis

tionis negotium, oblitus fui ipſum compoſitionis exemplum aliquod, vnde conditiones tibi pateſcerent, ſimul tranſmittere. Id nunc facio, rogans tamen, vt intra tuam tantum notitiam maneat, nec cum aliis communicetur prius, quam id commodum nobis erit. Ad heſternas tamen meas plena iuuamina ſpero. Eorum certo te non pœnitebit.

LXXVII.

Boineburgius inſtat pro Vicariatu Bauarico, et pro notis ad vltimum ſcriptum Colonienſe in Archiuo deponendum.

Geuſenhemii in Ringauia d. 4. Iul. 1657.

Cum heri Heidelberga a Domino *Camerario*, Ludouici filio, acceperim hanc pro Vicariatu Palatino ſcriptionem Gallicam, nolui committere, quin eius te continuo participem facerem. Magnum vtique feceris operæ pretium, ſi quid ſaltem manu exarandum, non edendum publicis typis, conareris in rem Bauarici Vicariatus. Proxime ſpero te ab aula Bauari habiturum expetitum priuilegium. Ad eam enim literas tuas tum extemplo permiſi. Ceterum ſalute te plurima impertit Eminentiſſimus Princeps Elector, et rogat,

vt cogitata et enucleamenta tua ſuper iſtoc Coloniensſe poſtremum (fuit enim iamtum prælo et ſubiectum et fere abſolutum, cum noſtra lis nuper componeretur) ſcriptum coronarium manu tantum perſcripta nobiſcum communicare digneris, reponenda enimuero in tabulariis noſtris non modo Moguntinis, ſed et in Cæſaris propediem aulæ Imperialibus. *D. D. Schefero* torquem auream proxime tradam, vt ad te commodum accuret. Vale, Vir optime, meque viciſſim in rem tuam confidenter vtere.

LXXVIII.

Schefferus ſignificat *Conringio*, ſe in manibus habere donum Electorale ipſi curandum.

Francofurti d. 6. Iul. 1657.

Hiſce ſignifico, me elegantem habere auream torquem cum imagine noua aurea, quibus Eminentiſſimus Elector Moguntinus ſingularis beneuolentiæ et memoriæ cauſſa te donauit. Maiora exſpectabis et forſitan ab *alio* Electore, vti virtus et doctrina tua merebit. Optarem, vt nobiſcum per aliquod tempus inſtante die Electorali viueres. Dies erit multis difficultatibus implicitus; DEO tamen fauente, omnia ad bonum vergent

gent finem. *Expeditionem* pro libris tuis ab aliis non recudendis ab Sereniſſimo Electore Bauaro breui habebis, tamquam Romani Imperii Vicario. Optime et prudentiſſime a te hoc factum ob multas cauſſas. Filius meus, luſtrato Belgio et Gallia, mitra doctorali a Baſileenſibus inſignitus breui huc redibit. Magno cum fructu hoc iter perfecit. Iucundiſſima vtimur conuerſatione Cancellarii *Swartzkopfii*, *Ottonis*, *Wittii*, *Heilandi* et aliorum, lubentiſſime iam hic viuentium. Ni alia breui ſecura appareat occaſio tranſmittendi tuam torquem et imaginem, Domino *Schwartzkopfio* tradam, qui poſt reditum tibi optime reddet.

Tuus

Wilhelm. Ernſt. Scheffer.

LXXIX.

Mittit *Boineburgius* ſcripta quædam in cauſſa Vicariatus.

Maguntiæ d. 13. Iul. 1657.

Promiſeram nuper, me, quæ circa Vicariatus controuerſiam reperirem, miſſurum tibi eſſe. Id nunc præſtare volui, ea quidem intentione, vt ſcriptis iis vtaris in propoſitum tibi finem. Quæ a parte Palatina edita ſunt, iam puto habebis. Ex-

Exſpecto autem tuum ſuper omni re iudicium. Nec dubito, quin id inſigni cum emolumento tuo prolaturus ſis. Si quid porro in manus meas inciderit, protinus ſubmittam.

LXXX.

Conringius notas ad ſcriptum Colonienſe promittit; in cauſſa Vicariali tamen calamum recuſat ſtringere ante, quam *Boineburgius* mentem et argumenta ſua aperuerit.

Helmſt. d. 15. Iul. 1657.

Et literas aliquot tuas, et ſimul libellos, manuſcriptos pariter et excuſos, hiſce proximis diebus accepi. Quæ coronationis negotium attinent, gaudeo equidem rem inter partes amice compoſitam eſſe; at conditiones Moguntinæ dignitati nimis ſunt iniquæ, forte aliquando vtrique etiam parti noxiæ. Cum rem adhuc integram crederem, prolixius ſententiam expoſui, eoque nihil nunc repeto, præſertim re omni iam confecta et compoſita. Libellus Colonienſis antiquum ſapit, prodens magis magiſque imperitiam et iniquitatem ſui auctoris. Breues animaduerſiunculas margini libri adſcribam, ſimulac paulo plus otii, cuius hodie nihil omnino mihi ſuppetit, nactus fuero.

ro. Non abs re tamen forte fuerit, a *Blumio* nostro, quem petit, paucis saltem etiam publice homini responderi, et edi illam, quam misisti, historiam omnium coronationum. Ita sane posteritati magis magisque constabit Eminentissimi Electoris Moguntini concordiæ studium, quod nimirum tam liquido iure non dubitauerit cedere tranquillitatis publicæ caussa. Imo vero hoc saltem verbulo vno et altero innui, in rem fuerit et gloriam Principis perpetuam. Historiæ illius auctorem videor mihi deprehendere *Vorburgium*. Non credo obstare quicquam, quo minus per te auctor mihi innotescat. Si vero et Coloniensem illum *Vindicem* nouisti, ne me celes, peto. Nisi graue etiam fuerit, mittas quæso omnium, quæ pro causa Moguntina prodierunt, vnum alterumque exemplum: Meum enim vsu maculatum ita est, vt in bibliothecam tuto reponi nequeat. Mittas vero per nostrorum Principum Legatos, aut Generosum Dominum *Kanstenium*, Brandenburgicum Legatum; non per *postam* aut nuncios illos celeres. Ea enim hominum illorum in exigendo pretio vecturæ iniquitas est, vt modum omnem excedat. Quare nihil per illos imposterum exspectare malim, Et vero nostri Legati

hanc operam haud denegabunt. Quæ de Vicariatu hinc inde prodierunt in lucem, ne quid apud te dissimulem, videntur per esse leuia. Vtrinque certe suppetunt et argumenta et responsa longe grauiora. Si mihi fides fieret, nomen meum dissimulatum iri, haud difficile forte fuerit conscribere aliquid de hoc argumento pro Bauaro haud paulo firmius. Velim tamen ante abs te prudenter expendi, quid sit Reipublicæ vtilius, an scilicet penes Bauarum, an penes Palatinum dignitatem illam esse. In vtramque partem audiuisti ratiunculas meas. Ego vero malim te vicissim audire, Imperii negotiis expediendis vnice intentum. Hac de quæstione vbi animum nudaueris, longe promptior ego fuero in libro edendo. Quid enim? Si Reipublicæ noxium fuerit, Bauarum Vicarium agere, an fas mihi fuerit, eius caussam suscipere et orbi persuadere? Interim tamen rem feceris longe gratissimam, si mihi ex Aula isthac priuilegium, quod petii, impetraueris.

Ex literis *Schefferi* nostri intelligo, torquem aureum mihi mittendum iam tum eius in manibus esse. Quo nomine equidem tibi ingentes ago gratias. Velim vero expendas, an non sit ex dignitate ipsiusmet Eminentissimi Principis, simul

literas

literas adiici. Ego ſane optarim id fieri, vt ſint apud poſteritatem meam perpetuum teſtimonium gratiæ. Potero vero ita commodius etiam gratiarum actionem inſtituere. Vt ad Vicariatus negotium autem redeam, nunc duntaxat libellus mihi adhuc deeſt, qui nempe anno 1626. a Bauarica parte eſt oppoſitus libro illi Palatino: *Rettung des Chur-Pfältziſchen Vicariats.* Itaque et hunc, ſi potes alicunde emere, mihi rogo communices. Paucis poſt diebus in Friſiam patriam ibo, euocatus iſthuc a Principe reipublicæ componendæ cauſſa, et erunt mihi indubie ibi aliquot hebdomades inſumendæ. Itaque aliis negotiis interea nihil temporis potero concedere. Deum vero rogabo, vt vobis, qui clauo Imperii propiores eſtis, ſalutaria conſilia ſuggerat. In magno certe diſcrimine verſatur pax et ſalus Germaniæ. Certe niſi probe cautum fuerit, habebimus breui nouum bellum, non niſi extremo Reipublicæ excidio finiendum. Frenanda profecto eſt potentiorum ambitio, aut pereundum.

LXXXI.

Inſtat *Boineburgius* pro Vicariatu Bauarico, miſſa ab Electore epiſtola; mentem tamen ſuam non

 niſi

nisi præsenti *Conringio* plene aperiendam nunc paucis aperit.

Sualbaci d. 8. Aug. 1657.

Ex acidulis, queis tamen vti nunc ob negotiorum spissos nimbos prohibeor, scribo, ideoque paucis defungi cogor. Mitto ecce! literas ab Electore Bauariæ ad te datas, per quas spero tibi patere, quanti te faciant boni omnes, eosque inter Princeps ille clarissimus, quicum de te mihi vberrima fuit et honestissima colloquutio, *Monachii* cum forem ante decendium et quod excurrit. Te rogat ipse Serenissimus Elector, vt in eius gratiam quid conscribas pro Vicariatu Bauarico, mihique mittas. Fidem en! damus dextramque, id omne in arcano custoditum iri, et in neminis mortalium conscientiam peruenturum esse. Ita tuo nomini otioque inde nil penitus incommodi saxo accidat. Vide hic adiunctam Legati Bauarici ad me chartulam, et agnosce, quod res est. Ceterum de vniuerso negotio Vicariali malim loqui tecum, quam quicquam stilo concredere. Paucis: Bauaro hunc honorem deberi ex instrumento pacis, eumque illi relinqui vtiliter, censemus. Rationibus eam rem affirmare non erit aliquando difficile. Neque hoc opus tam difficiles explicatus

tus habere poteſt, ſi affectibus modus ſit. A te omnia circa illud optime compoſitum iri, ſperamus. At vbi hæret liber de ciuili prudentia? Vale et reſcribe.

LXXXII.

Conringius iniuſſus *Boineburgii* ſuſpiciones circa electionem *Leopoldi* Imperatoris vſque eo auget, vt *Capitulationem* clauſula commiſſoria muniendam exiſtimet.

Helmſtad. d. $\frac{2}{12}$ *Aug. 1657.*

Cum immineat dies Comitiis dictus Imperialibus, ſpero te iam domum ex Bauaria rediiſſe, idque priuato pariter et publico nomine. Spero etenim iam abs te poſſe me Bauaricum priuilegium, cuius ſpem feciſti, impetrare, vtpote cum non dubitem, abs te in aula Bauarica coram quoque negotium meum actum eſſe. Si certe coram nihil effeciſti, non etiam illius deſiderio me amplius afficiam. Et vero illud meum priuatum bonum non me adeo multum ſollicitat. Magis crucior nomine publico, quanquam ſperem a tua prudentia et dexteritate haud parum commodi. Quis me maceret metus, iam tum antehac ingenue tibi ſum faſſus, nempe, ne iterum implice-

mur bello cum potentibus vicinis, qualis cumprimis est Gallus; aut vero aliquo ciuili bello cum Austriacis, si in alium forte dignitas Cæsarea deferatur. Hic metus profecto apud me magis magisque crescit, præsertim cum Austriaci iam tum non dubitauerint Polonicis sese negotiis immergere, et ausint iura publica gentium Galli Legatis denegare. Qui enim hoc iam tum audent, quid non ausuri sunt, vbi Cæsaream dignitatem fuerint consecuti, imo vero vbi Hispaniæ vires sibi hæreditarias et proprias fecerint? Quemnam illi Germaniæ Principum æstimabunt, qui non dubitant adeo aperte iam tum et Gallo et Sueco sese hostes quasi profiteri? An non illi, vbi rerum plene fuerint potiti, etiam hoc audebunt, quod minitatus quondam est *Ognatus*, Hispaniæ Orator, resecare nimirum nimis prolixas Archiepiscoporum et Episcoporum togas. Quæ vero hinc turbæ, qui motus sunt metuendi? o Optime! Certe Germaniæ salus, si vnquam, nunc dependet ex filo tenui. Et vero nisi hæc comitia prudenter fuerint instituta, vereor ne de Imperio sit actum. Quo remedio censeam ego posse quodammodo occurri imminentibus malis, libere alias indicaui. Manet eadem sententia. Nempe non discedendum

te-

temere ab Auſtriaca domo, modo illa æquas leges admittat. Inter illas leges etiam hanc locandam, vt liberum ſit Imperii Electoribus nouum Regem eligere, ſi ille alia regna in ſuam poteſtatem redegerit. Et vero obtentui poſſit eſſe, quod Germaniæ res præſentiam Cæſaris perpetuam exigant, atque adeo ſalus Imperii non ferat, Cæſarem alibi locorum hærere: quod vitari tamen nequeat, ſi Cæſar etiam alibi rerum potiatur. Omnino vero exiſtimo, nulla lege arctius poſſe vinciri nimis creſcentem Cæſaris potentiam, ſimulque plurimis malis occurri, quam ſi in *Capitulatione* diſertis verbis permittatur omnibus et ſingulis Ordinibus libertas recedendi a Cæſare, et iuramenti fidelitatis ſolutio, ſi Cæſar non ſteterit pactis conuentis. Imo hac lege exiſtimo poſſe mitigari nonnihil ſuſpiciones iam natas in *Gallo* et *Succo*, vtpote qui, viſa iſthac lege vtraque, ſentient ſibi ſic ſatis cautum eſſe. Si has leges nolint admittere Auſtriaci, habeant ſibi res ſuas, vtpote cum abſque illis Germaniæ ſalus conſtare nequeat. Forte et ipſis Electoribus erit graue, leges eiuſmodi proponere. Verum illi facile poterunt declinare offenſam, ſi *Capitulationem* faciant auctoritate Ordinum, vel ſaltim in conſilium vo-

catis reliquis Ordinibus promulgari. Et vero hoc ipſum fieri iubet ipſa lex pacis verbis diſertis: imo ex re eſt ipſorummet Electorum: quippe qui ſoli non ſunt pares retinendo in officio potentiori Cæſari, aut etiam iuſto deſiderio Ordinum reſiſtendo, præſertim ſi idem et *Gallus* et *Suecus* vrgeat. Sed nec Te latet, Generoſe Domine, quam ſint recentia illa oligarchica Electorum inſtituta, quodque illa potiſſimum cœperint artibus Aulæ Auſtriacæ, tempore Ferdinandi II. cum nimirum ille Monarchiam ſtrueret, callide ratus, ſtrui illam non poſſe niſi remotis ſenſim Ordinibus Imperii a reipublicæ cura, primum quidem non niſi ſolis Electoribus admiſſis, vti et hi denique poſſint remoueri. Vt ſolent per gradus Monarchiæ ſurgere. Nec vero etiam hoc fugiebat Ferdinandum, illa arte ſeri diſſidium ingens inter Electores et reliquos Ordines, magno Monarchiæ commodo. Et vero ſeruandæ libertati ipſorummet Electorum nihil eſt vtilius, quam Ordinum Imperii reliquorum arcta amicitia cum Electoribus in communem ſalutem conſpirans. Noua illa inſtituta non niſi callida ſunt ſophiſmata ad euertendam Ordinum libertatem: ne quid apud te diſſimulem, quod me iudice idoneum eſt pu-

blicæ

blicæ ſaluti. Hoc ſane animo omnia hæc me ſcribere, ſcio etiam tibi perſuaſum eſſe, alioquin profecto ne verbulum quidem effudiſſem. Vbi aduenerit Legatus Brandenburgicus, ſaxo vt accipias exemplar ſcripti mei recentiſſimi *de Pace perpetua inter Imperii Germanici Ordines religione diſſidentes.* Iam tum enim tradidi illud eius miniſtro cum literis ad te exaratis. Perendie in Friſiam ibo. Si quid tamen me velis, poterunt literæ tuæ curari Bremam ad viduam Ottonis Vtthoffi. Non deero et in Friſia tuo deſiderio, aut meo officio.

LXXXIII.

Boineburgius mittit Vicariale diploma, dilata reſponſione ad monita circa Electionem Cæſaream.

Francofurti d. 23. Aug. 1657.

Eodem tempore, quo de electione Cæſarea exactiſſimum iudicium tuum in tranſmiſſis mihi literis videre contigit, traditum mihi quoque fuit Diploma Bauaricum pro libris tuis in publicum editis. Id protinus ad te deſtinare volui, dilato in tempus magis commodum atque otioſum reſponſionis officio ad ea, quæ prudenter admo-

dum de præsenti rerum statu in medium attulisti. Sane enim per molem negotiorum ea attingere non vacat, et propediem fôrte alia in id occasio se offeret. Interea felix in Frisios iter tibi comprecatus, tuæ semper et amiciciæ et memoriæ inhærere cupio.

LXXXIV.

Boineburgius mittit *Conringio* librum *Honorati Fabri*, veritus tamen ne rursum vapulet.

Francofurti d. 25. Aug. 1657.

Libellum hunc *de indifferentismi funere* Dillinga mihi transmissum non indignum iudicaui oculis tuis, quod neruose complectatur defensionem vnicæ fidei et veritatis Christianæ, quæ non est nisi in vna Ecclesia, quæ *Romana* audit. Non ignoro, sed doleo, magno te flagrare desiderio oppugnandi antiquam Religionem, expertus quoque, quam ingeniosus sis nouitatis defensor, vt hoc nomine præripias palmam plerisque tui similium. Boni, quæso, consule hoc meum de te iudicium, idque eo quia heic te æstimaui non qua parte es maximus, cum sis cetera omnis antiquæ, hoc est, veræ eruditionis atque doctrinæ et apprime sciens et felix vtique promuscondns; quod citra

citra blandimoniam dico. Et vt non es in negotio eruditionis *indifferens*, ſed antiquitati vnicæ inſiſtis; ita vellem perinde eſſes comparatus circa religionem, quam dum tibi vendicas ceu veterem, eo ipſo in *indifferentiſmum* lapſus videris, ſiquidem pluſculas fides concinnando non vnam facis inde, ſed fidem multiplicem; non vnitatem, ſed turbam. Tuum de pace inter Catholicos et Proteſtantes librum exſpecto, certam in ſpem veniens, fore, vt inibi non tam religionum quam pacis negotium agas. Vt verum enim dicam tibi iterum, melior es *ciuis*, quam *Chriſtianus*, qui *Patribus* dicitur *Catholicus*. Optem igitur potius tuum librum de ciuili prudentia et alia id genus quamprimum videre, quam ea, quæ fidei opus quoquo modo ſpectent. Videmini enim Helmſtadii ab obitu *Calixti* priſtinam animi moderationem magnopere dediſcere. Et vtinam eius rei indicium non mihi nouum appareat ex libro, quem promittis, *de pace perpetua!* Ceterum rogo, vt me certiorem facias, an meas acceperis nuperas cum eo, quod deſideraſti, priuilegio Bauarico, et credas, obſecro, me eſſe tui amantiſſimum.

LXXXV.

LXXXV.

Boineburgius electionem Cæsaris in ver sequentis anni dilatum iri significat, et quare.

Francofurti d. 10. Octobr. 1657.

Spero, te et Bauaricum priuilegium, et librum contra *adiaphoros* recte accepisse. Ego si quid porro præstare valeam, quæ tibi sint suauia, faxo id quam lubentissime. Tuas Auricæ datas cum voluptate legi, quod inde perciperem, benignum erga me Principis Ostfrisiæ animum, quem officiis debitis promereri deinceps enixissime conabor: de quo Eum meo nomine certum ac securum reddere potes, mi amice. Dominus *Lindenspurius* hic ex quartana hactenus decubuit, et modo reualescit. De Electione Regis equidem vix est id fiat ante ver, negotio pacis et publicæ securitatis ante stabiliendo. Quisnam enim hoc rerum difficili et ærumnoso positu eligetur, statu præsente et pacato non iuxta quassato? Deus his implicamentis medelam ponat, et Christianis mitiora consilia adspiret, detque tempora molliora! Liber de ciuili prudentia ecquando prodibit demum? Cetera tua quando? Principi tuo me quam humillime iterum atque iterum commendo.

LXXXVI.

LXXXVI.

Conringius e Frisia redux, repertis Electoris literis, operam suam spondet pro Vicariatu Bauarico defendendo.

In Sisbequiano meo d. 27. Octob. 1657.

Pridie, quam in Frisicam aulam proficiscerer, non dubitaui literis te meis compellare, quas indubie recte accepisti. Nunc domum redeunti etsi aduersa multa occurrant, postquam disiectam Academiam et meos propemodum in exilio, nec ita quidem a pestilente lue satis tutos deprehendo, nihil propemodum gratum adeo accidit, quam quod oblatae sint literae tuae, pristinam benignitatem spirantes, et quas indubie vni tibi debeo, Bauaricae illae Electorales, cum *extracto* literarum Nobilissimi Bauarici Legati. Et vero plurimum profecto debeo tibi, Illustris Domine, quod adeo luculenter ostenderis insignem fauorem nulla ratione mobilem. Num ex eo tempore secutum sit ex aula Bauarica diploma illud clementer promissum, auide scire desidero. Hoc scio, nisi tua auctoritas negotium promouerit, etiam sic frustra me fore, eoque etiam atque etiam contendo abs te in hoc publico negotiorum aestu, ne graueris etiam huius meminisse. Nobilissimo Domi-

mi-

mino Legato Bauarico omnia officia ſi meo nomine obtuleris, rem item feceris longe gratiſſimam. De Vicariatus controuerſia totis tribus menſibus, quibus in Friſia hæſi, accepi nihil, eoque neſcio, quo hodie res illa ſit loco. Quid abs me fieri cupias, quidque exiſtimes publice profuturum, vbi docueris, faxo, ne quid in me quidem iure deſideres. Loquor vero non tam de Vicariatus controuerſia leuiore, quam aliis maioris momenti et magis neceſſariis. Et vero, etſi procul remotus, video tamen in quanto periculo verſetur Imperii publicus ſtatus. Deus te ſeruet, Illuſtris ac Generoſe Domine!

LXXXVII.

Boineburgius, ex principio æqualitatis inter vtriusque religionis ſocios nupera Pace ſtabilitæ, Bauaro Vicariatum deberi innuit.

Francofurti d. 17. Nov. 1657.

Accepi tuas, quas redux e Friſia ad me exaraſti. Doleo vtique ex toto animo diſiectam metu luis peſtiferæ Academiam veſtram; doleo et tui cauſſa. Deum precor, vt omnia breui in integrum reponat, et patriam noſtram ſeruet et a peſte, et a bellis et aliis a malis immunem illæſamque. Bauaricum priuilegium dudum tibi tranſ-

miſi,

misi, cura nostri *Schwartzcopfii*, summi vtique viri mihique longe aestimatissimi. Is asseuerat, tibi id interea recte datum iri, praestare culpam polliticus, si qua interuenerit. Praestabo et ego sarciamque iacturam, si Electori Bauaro te iurium suorum Vicarialium sistere queam, vt speramus, interpretem. Noli ex me quaerere, num id vel e re tua, vel e publica rear. Aequalitas, pace nuper Germaniae salus credita, quid poscat, non est in obscuro. An opportunum, Protestantes duos solos esse Vicarios et Interreges? Non opus hic demonstratione vlla. Ipsa res, quod sentio, affirmat; imo clamat. Praestabo etiam, vt tuae te operae neutiquam poeniteat. Nobilissimus legatus Bauariae, *Oxelius*, iterum et iterum me certissimum facit, fore, vt luculentum te mansurum sit redhostimentum et praemium. Edetur nunquem, quod de Vicariatu mihi miseris, quin dissimulato nomine tuo. Iube modo, quid de eo factum velis. Tua de ciuili prudentia, de *regno*, de *caussis corruptae Germaniae et remediis*, et cetera, quae habes affecta, annon tandem, et quando prodibunt? Vale et me ama. Deus te incolumem seruet reipublicae, tuis, mihi!

LXXXVIII.

LXXXVIII.

Conringius de æqualitate illa et de libro Dillingensi indicat, ſcriptum pro Vicariatu Bauarico adornat, et *Boineburgio* donum a Principe Friſico deſtinatum ſignificat, ſimulac Vice-Cancellariatum Imperii fuerit auſpicatus.

In Siſbequiano meo d. 16. Nov. 1657.

Heri binas abs te literas accepi, curante Magnifico D. *Schwartzkopfio*, non eiuſdem quidem ætatis ambas; ſumme tamen acceptas vtraſque, ſaltem quod triſtitia, quam ex hoc capio exilio, mitigetur fauoris tui perpetuitate, quam ſane literæ abunde produnt. Priuilegium Bauaricum reperi tandem aliquando inter res meas, idque ferme forte fortuna, quoniam mea omnia ſunt conuaſata, hærentque hic et alibi nullo ordine, nec mihi ſuppetit ſpatium, etiam quæ ad manum ſunt, commode explicandi. Ego vero pro hoc tuo beneficio, tibi enim vni debeo, gratias ago immortales; nec enim mihi tantum; ſed et poſteritati meæ profuiſti. De Vicariatu omnino tecum conſentio, facere ad tranquillitatem publicam, vt magnum hoc munus vtrique parti religioſæ ſit commune. Et vero eo res noſtræ redierunt, vt in æqualitate quadam vtriuſque partis

pax

pax ſit publica conſtituta, ne ſcilicet altera alteri temere noceat mutuo metu coërcita. Nam vt altera alteram ſincero affectu, quemadmodum par erat inter vnius Reipublicæ ciues, amet, forte ſperare non licet, ſaltem non hac tempeſtate, quamdiu ſcilicet in pretio fuerint illa placita Romanæ Curiæ de Hæreticorum ciuilibus pœnis. Erunt vero, donec *Erbermannus* et ſocii ſapere credentur Imperii magnis Proceribus. Eſt vero eiuſdem plane ſententiæ ille, quem miſiſti, *Indifferentiſmi* oppugnator *Honoratus:* nec aliud homini illi fuit propoſitum, quam gliſcentem inter partes concordiam euertere, vtpote qua Romanæ Curiæ nihil perinde eſt inuiſum. Si ſane nihil aliud obſtet, eſt vtique *Indifferentiſmus* ille, quem ita appellat, perquam vtilis in publicum ciuitatis noſtræ ſtatum, vtpote quo ingens illud animorum diuortium, quod inconditus partium Zelus peperit, funditus tollatur, nulla ſcilicet amplius ſuperſtite inter partes, quæ ſit alicuius momenti, ſacra controuerſia. Summa certe cum voluptate ex libro illo percepi, paſſim terrarum *Indifferentiſmum* gliſcere, imo pleriſque, ita ait, arridere. Nec vero quod librum illum Romanus ſocius Eminentiſſimo Domino

K Ele-

Electori inscripserit, aliter accipio, quam aulam vestram *Indifferentissimi* Romae iam esse suspectam redditam per *Erbermanni* delationes, cui itidem nihil est *Indifferentissimo* illo inuisius, quantum vel ex vltimo eius libello apparet. Ceterum librum illum *Honoratianum* errante duntaxat oculo perlustraui, diligentius perpensurus simulac a bibliopego recepero. Ne quid dissimulem vero, quae hactenus legi, visa fuerunt notae vulgaris Papisticae, procul a solida tractatione. Nec tu forte aliter iudicas; etsi aliter prae te feras. Qui sane tu probaueris, placitum illud de *Vicariatu diuino* Paparum pertinere ad summam Catholicae fidei? aut Graecae Ecclesiae dogmata quaedam esse haeretica? Certe ne hoc quidem admiseris, si persuasit tibi *Allatius* suum illud grande paradoxum de Concordia Ecclesiae Orientalis et Occidentalis, a quo *Honoratiana* illa toto, quod aiunt, coelo dissident. Alias forte plura scribam de libro illo, et simul ostendam, in quantum displiceat mihi quoque *Indifferentissimus*, qualem quidem *Honoratus* depinxit; quamquam isthuc quae faciant prolixius propediem sim ad *Cassandrum* et *Wicelium* publice praefaturus. Nec vero, Domine, licet mihi per conscientiae leges abstinere ab omni sacra scriptio-

ptio-

ptione; quantumuis diſſuadeas. Ne quid dicam, quod in Eccleſia tacere me vetet ipſa etiam bonæ famæ meæ ſalus, poſteaquam non Socii tantum illi, ſed etiam *Allatius* admordere me cœperunt. Turpe ſilere *Iſocratem* dicere, dicebat quondam *Ariſtoteles*. Multo minus id mihi vitio verti merito poteſt, quoniam argumentum nullum tango, niſi quod ſimul ciuilem ſocietatem tranquillitatemque noſtram ſeruare, aut reſtituere eſt idoneum. Vtique enim huius ſunt ordinis, quæ diſputaui hoc anno de *mentito Vicariatu Pontificum*, quem nulla Reſpublica agnoſcere poterit, ſi ſeſe et ſua velit ſalua: vt nulla etiam agnoſcit; quanquam Papas colat in ſpeciem. Politici itidem eſt argumenti vtique illa *de Pace* diſputatio; quamuis Pontifici, et qui eius voculas adorant, oppoſita. Nec crediderim etiam talia tibi non probari, quia Pontificem petunt. Quaſi vero Pontifex ſit tanti. Abſit vero vt ego omne otium meum velim poſthac ſolis illis impendere. Imo vero perſtat ille animus, ſimul redire licuerit ad meas Muſas, totum me Politicis elucubrandis dedere. Simul, inquam, illud licuerit. Nunc enim qui poſſim quæſo, tale quidquam vel conari, quale tu deſideras, cum et libris et omnibus aliis ad ſcribendum

necessariis sim destitutus? De Vicariatu tamen Bauarico forte prima quaque occasione aliquid transmittam: non prolixum quidem; idoneum tamen caussam reddere peruerisimilem. Interea Nobilissimo Domino *Oxelio* perges me commendare.

Interregnum nonnihil solito esse diuturnius, spero fore commodum reipublicæ, siue ea, quæ domi sunt, spectemus, siue quæ foris. Multum autem vereor, ne non hic tantum annus, sed sequens etiam interregno sit impendendus. Certe nisi et illæ Capitulationis leges fuerint latæ communi Ordinum consensu, quæ omnem metum et ab Ordinibus et a vicinis auerterint, et simul Austriaca domus consilia mutauerit; habebimus interregnum omni exspectatione diuturnius, nec est quare vel in proximum annum Cæsarem nobis polliceamur. Bis terue, nisi fallor, super nonnullis, quæ isthuc pertinent, animi sententiam exposui procul omni affectu; paratus idem porro agere. Sed quoniam hactenus ad ea omnia nihil reddidisti, ne porro sim molestus, in posterum vlcus hoc non tangam. Nobilissimum *Lindenspurium* conualescere gaudeo. Periucunda mihi fuit eius conuersatio; sed vtrique nocuerunt for-

te

te intermiſſa pocula. Mihi animus eſt impoſterum cautius bibere: vt et ille idem faciat, per equidem optauerim, ne ſcilicet breui illum amittere cogamur. Fecit Vir Nobiliſſimus mihi ſpem ſcriptorum Fratris: nec fortaſſis oblitus eſt promiſſi. Rem gratam tamen feceris, ſi et ipſe meo nomine officioſe ſalutatum facti promiſſi memorem reddideris. Quæ Principi meo præſtitiſti, indubie per erunt grata. Ego non deſinam laudare illa, donec reapſe gratitudinem illius experiare. Et vero, ille iam tum munus aliquod deſtinauit, ſimul *Vicecancellariatum Imperii* fueris auſpicatus: quod finito interregno futurum iuxta mecum haud dubitat, ſed calidis votis Deum obſecrat. Faxo vero, ſi illa ſpes nos aliquamdiu ſuſpenſos teneat, vt ne interea gratia ſit tarditate ſua minus accepta, ſed anticipet. *Blumius* noſter neſcio an memoriam mei exuerit. Ego tamen ſatis ſum memor, et literas mihi ab illo deberi, et nummos Romanos, ex ruderibus Moguntinis erutos. Precor illi ſalutem plurimam.

LXXXIX.

Boineburgius, ad libros ſcribendos animans *Conringium*, refugit diſputationem de inferendis Capitulationi.

Francofurti d. 8. Febr. 1658.

Inter mille curas et occupationes en pauca! Coronaria ſcripta omnia tibi bis mittam, vt et Vicarialia, quæcumque a Bauaricis obtinere quiuero. D. *Oxelius* te amanter reſalutat, et pro ſuo Electore tuum Apologema adhuc opperitur auidiſſime, præclarum pro eo redhoſtimentum conſpondens. Quæſo, ne deſtituas me ſic precantem et intercedentem. Omnia ſub ſummo ſilentio cuſtodientur fideliſſime. Parallela a Colonienſibus emendicabo et pro te, et pro me. Nam ne ipſe quidem ea poſſideo in præſens. Rogo, fac veſtri hic Brunſuicenſes mihi occaſionem omnia ad te tuto curandi ſuppeditent, ne impendia conduplicentur. De *Honoratiano* libro plura a te exſpecto. *Indifferentiſſimum* tuo ſenſu diligo quoque; ſenſu *Fabriano* non item. De eo, *ſub hoc ſenſu*, amabote, explica porro. Per erit pulcra in id occaſio, vbi edideris *Caſſandrina* et *Wiceliana* ſecundum. Sodes, tum ſis *Grotianns*, ſi nondum in ſolidum *Catholicus*. Vtinam in eo cœtu fores, in quo deceſſere *Caſſander* et *Wicelius* et *Eraſmus* et *Marcus Autonius de Dominis* et *Paulus Sarpius* Venetus et *Franciſcus* olim *Balduinus* et *Iuſtus Lipſius*: in quo viuit hodie *Milleterius*, grande olim in *Indifferentibus* nomen.

Nihilo

Nihilo plus cogeris tum credere, quam illi et iſte. Non diſſuadeo, ſed rogo et hortor te, vt hunc laborem edendi *Conciliatores* illos quam primum ſuſcipias. Optem interim tamen, vt expolias edaſque ocius, quæ de Iuris ciuilique prudentia deque patriæ Hiſtoria et publico eius ſtatu affecta habes. Eo enim pacto demum, germanis harum diſquiſitionum fundamentis commonſtratis, Or recte proderis communi paci omnique ſociali Ordini. Quæ de Interregno hoc et de in futurum prouiſu neceſſariarum mali multum metuendi præcautionum ſcribis, vtique per mihi ſunt iucunda et grata. Quæſo, ſæpius mecum pro tua prudentia de iis philoſophare. Quod non diſtrictim ad omnia reſcribo, adſcribe et otii penuriæ, et formidini meæ. Multa enim video recta, imo et molior, quæ tamen ad opus conferri non ſinit huius temporis et tot inſciorum veræ doctrinæ, queis circumſidemur, malignitas plane ſtupenda. Intelligenti ſatis. *Lindenſpurius* fratris ſui libellos certo mittet, ſimulac Viennam redierit. Principi Oſtfriſio ſicubi vtilis eſſe quiuero, et ipſius cauſa et tui, ſemper ex animo ero paratus. Vale.

Memini audire ex te, Ariſtotelis laudationem vna cum annotatis a te editum iri, iiſdemque te eru-

eruditionis præcipua delibaturum esse. Cogitaui sæpius ego, non forc abs re, id si fieret: neque perperam ei operi adiectum iri tua de Scriptoribus nonnihil locupletata, et ad hæc tempora extensa. Optem *Vossii* librum edi quoque, quo, vt ipse *de vitiis sermonis* ait, tractat de ortu, auctu', connexu vsuque doctrinarum omnium eruditionumque. Tuis illis opusculis, eruditionis in vniuersum consideratæ illustramentis, subiungi vellim libellos de ciuili prudentia; de politices, Physices ac Medicinæ optimis autoribus, quæ sunt totidem bibliographiæ. Non inepte iis addi possent prolegomena ad *Hopperum*, insertis optimis Iurisprudentiæ perpetuæ interpretibus, cuiusmodi fuit *Grotius*, *Seldenus* etc.

XC.

Exempla tamen clausulæ commissoriæ Capitulationibus insertæ a *Conringio* fide silentii exposcit.

Francofurti d. 12. Febr. 1658.

Scribo pauca, idque cita penna et sub sigillo intimæ confidentiæ secretique perpetui. Priuationem regni seu depositionem a Principatu in formulis seu Capitulis regiminum, qualia ab Ordinibus

nibus Electis praescribi solent, non semel poni ceu ex stipulatu solitam memini, deque ea bonae frugis sunt, quae legimus apud GROTIVM *de Iure Bell. et Pac. lib. 1. c. 4. n. 12.* ibique notatis. Quaeso, mi amice, significa, si qua id genus plusculа nosti, vt nosti, puta exempla promissionum, quas fecere Reges Principesque Statibus et Electoribus suis, eo casu, si non seruent, quae hi stipulati sibi ab illis sunt, se ipso iure factoque existimari velle omni imperio potestateque regnandi excidisse. Ad haec a te responsum quamprimum opperior. Dominus *Oxelius* iam hic mecum est, appetens vtique legere, quae pro heri sui Vicariatu scripto complexus es. Certe multam gratiam a Bauaro Electore inibis eo opere, gratitudinem eius reapse experturus. Scripta *coronaria* et *Vicarialia* ad vnum omnia breui habebis. Spero vicissim, tua mox redditum mihi iri, quae ad plenam sui absolutionem vt perducas, rogo, mecumque rogitant multi boni et amicissimi tibi viri. Vale sic, meque ama, simulque illumina, quei putes paci communi et publico statui quam optime consuli per Capitulationem posse, si fortean corona in Austriacam domum recidat, et quid porro illi firmandae adiicere oporteat? quo deni-

que pacto Electores inter et ceterum Statuum ordinem solidus amor seruari et mutua fiducia possit? Scribebam, ceu in aurem tibi loquens, Francofurti etc.

XCI.

Conringius arreptâ hac occasione rem ab ouo repetit, omnesque ciuilis suæ prudentiæ diuitias *Boineburgio* explicat.

Helmstad. d. $\frac{6}{16}$ *Febr. 1658.*

Binæ tuæ, alteræ octauo, alteræ duodecimo Februarii exaratæ hoc ipso momento mihi ex Serenissimi Ducis ac Domini mei aula Wolffenbuttelensi mittuntur per celerem: quem ne detineam, vtque saltem id nunc agam, quod vt quantocius a me expediatur videtur publice interesse, ad vltimas tuas statim respondeo; alias responsurus etiam ad priores. Quin expediat Imperio, non temere alium quam Austriacum Cæsarem eligere, equidem haud dubito; idque cumprimis propter eximiam illius potentiam, quam reipublicæ habere aduersantem summe noxium fuerit; contra habere coniunctam reliquis Germaniæ viribus, alioquin sic satis imbecillibus, non potest non esse vtile. Indubie vero auerso ille fuerit ani-

animo ab Imperio, ſi dignitate iam ducentos annos per familiam propagata deiectus fuerit. Duo tamen etiam atque etiam cauenda erunt circa potentiam illam: primum, ne illius abuſus excitet Imperio ceteroquin innoxio formidabiles hoſtes: alterum, ne Ordines Imperii ipſimet illa ſenſim opprimantur. Vtrumque, quantum arbitror, caueri vnice poteſt, ſi in vniuerſum prohibeatur Cæſar arma in Imperio cogere, aut coactis vti aliter quam ex arbitrio eorum, quos penes eſt ius belli ac pacis, hoc eſt, ex ſententia Comitiorum Imperii publicorum. Scio, nonnullos arbitrari, ſufficere, ſi Cæſari haud liceat, etiam ratione prouinciarum, quas extra Imperii limites poſſidet, inire fœdera, aut mouere arma Imperio detrimentoſa. At vero primum videtur iniquum, Cæſari velle leges præſcribere in ditionibus Imperio haud ſubiectis; deinde manet etiam ſic incertum, quænam arma et quænam fœdera Imperio ſint noxia, nec ne? Quid enim, ſi Cæſar vel exiſtimet vel prætendat fœdera et arma ſua, quantumuis Imperio reapſe ſint noxia, vtilia eſſe Imperio? Hoc modo certe Ferdinandus II. ſua in Mantuanum et Batauum arma ſuaque Polonica auxilia Electorali Collegio probauit; certe eſt probare

bare conatus. Nec Ferdinandus III. voluit videri ſuis cum Polono, Ruſſo, Dano fœderibus aduerſus Suecum obfuiſſe Imperii ſaluti; profuiſſe vltro iactauit. Niſi aliter igitur fuerit cautum, equidem non video, qui ſecuri poſſint eſſe Ordines Imperii, vt ne vel domi opprimantur, vel implicentur grauiſſimis bellis cum exteris prætextu vtilium fœdorum armorumque. At vero obuiam iri huic periculo poterit, ſi addas Capitulationi, nullo modo nulloque prætextu fas Cæſari eſſe intra Imperii limites vel militem conducere, vel ea, quæ ad apparatum bellicum pertinent, comparare, niſi ante Ordinum Imperii iudicio fœdera vel arma fuerint probata. Hac ratione ſanę manet Cæſari arbitrium Belli ac Pacis in locis extra Imperium collocatis. Attamen nec exteri poſſunt conqueri de Imperio, quamdiu Imperium non conſenſerit in bellum, nec habent iuſtam metuendi cauſam ab Imperio quidem. Similiter nec armis ciuilibus ipſimet Ordines facile queunt opprimi. Abſque tali quadam lege equidem haud video, qui poſſit Imperium eſſe tranquillum ſiue a ciuilibus, ſiue ab externis armis. Quorum hæc longe magis hodie ſunt metuenda, quam olim, quia olim vicinorum potentia erat exigua, noſtræ autem vires

res

res pares erant noſtris defendendis; cum ex aduerſo hodie vires Imperii perquam ſint tenues (ne quid enim diſſimulem, in fœderibus noſtris parum, me iudice, præſidii eſt collocatum) quamdiu quidem perrexerimus in milite mercenario vim omnem collocare; exteri autem vicini in formidabilem potentiam excreuerint. Ceterum Imperii profecto quieti plurimum conduceret, ſi in Capitulationem Auſtriacam aliquid etiam recipiatur de Bohemia, Sileſia, Morauia, imo Auſtria ipſamet. Non dubitant ſcilicet Auſtriaci pertendere, Bohemiam cum Morauia et Sileſia extra Imperii limites eſſe poſitam: id quod a me valide eſt oppugnatum in opere *de Finibus Imperii.* Iidem prope regiam quoque liberamque ſibi autoritatem adſcribunt per vniuerſas prouincias Auſtriacas: nec enim has teneri legibus aut oneribus Imperii, niſi ſponte velint. Et tamen non dubitant in Electorali pariter et Principum Collegiis ratione regionum illarum primarium aliquod ius ſibi attribuere. Certe in rem fuerit diſerte addi Capitulationi, Regiones illas Imperii eſſe Prouincias, ac proinde nec in illis ea, quæ ad militiam faciunt, niſi ex Ordinum Imperii communi conſenſu, mouenda eſſe. Vereor autem, vt

poſſit

possit hoc ab Austriacis impetrari, nisi forte Ordines Imperii vicissim sancte promiserint, si illæ regiones armis petantur, quæ Ordinum iudicio sint iniqua, tum earum defensionem communibus Imperii viribus institui debere. Quale quid *Carolum V.* mouit Circulum Burgundicum reliquis circulis addere. Sed frustra laboratur in legibus Cæsari præscribendis, nisi adsit quo etiam inuitus possit in officio contineri. Inuenio autem ne nunc quidem remedium in id promptius, quam illud iam antehac a me laudatum, nempe vt disertis verbis in Capitulatione Ordinibus libertas concedatur desciscendi a Cæsare, aliumque sibi eligendi, si pactis conuentis non steterit. Huius exemplum non est quod ex sola Arragonia petas cum *Hugone Grotio.* Diserte in hanc legem receptus est is, qui hodie regnat Danis, *Fridericus*. Poloni *Stephanum* in hanc legem iurare adegerunt: *Si in aliquibus iuramentum meum violauero, nullam mihi incolæ Regni omniumque dominiorum vniuscuiusque gentis obedientiam præstare debebunt, imo ipso facto eos ab omni fide et obedientia Regibus debita liberos facio.* Similiter apud Vngaros iam olim Rex *Andreas* subditis potestatem fecit a sese et successoribus suis desciscendi, si ille actus suos

ſuos legibus regni minus conuenienter inſtituerit, vt diſerte legitur in Decretis *Andreæ* Regis in fine §. *Statuimus igitur.* Omnes autem Hungariæ Reges iurant in Decreta *Andreæ* etiamnum hodie. Idem in *Flandria* et *Brabantia* olim obtinuiſſe, liquet ex iis, que narrat *Meierus* in Hiſtoria *añni 1339.* Imo, ſi credimus iis, quæ narrat *Agylæus* libro de Inauguratione Philippi *p. 148.* hiſce verbis *Philippus II.* Hiſpanus Ordinibus prouinciarum illarum cauit: „ Et ſi nos, aut ipſi, aut per „ alium quemuis, aut etiam hæredes poſteriue „ noſtri contra hæc aut vniuerſa aut ſingula quocunque modo fecerimus; conſentimus volentique animo permittimus iiſdem noſtris Prælatis, „ Baronibus, Equitibus, Ciuitatibus, municipiis, omnibuſque aliis noſtris iam dictis ſubditis, vt nobis noſtriſue hæredibus aut poſteris „ nullum omnino obſequium præſtent, neque in „ vlla re, qua nobis opus ſit, quamuis ab ipſis petimus aut requirimus, pareant, donec quod „ ita commiſſum fuerit, correxerimus, conſtituerimus, ab eoque plane deſtiterimus ac renunciauerimus. „ Paulo mitior quidem eſt, ſi verba ſpectes, vetuſtiſſima iuramenti Regii ratio in *Suecia* vſque huc vſitati; pene tamen eodem

recidit.

recidit. Sed et in vniuerſum apud omnes olim Germanicos populos, ſaltem tacite, Reges quoque ea conditione ad Regiam dignitatem euecti ſunt: quod alibi latius venit oſtendendum. Non eſt itaque, Domine, quod credas, rem noui exempli fore, ſi et Auſtriacus non alia lege creetur Cæſar, perinde atque hoc ipſo quam optime metus omnis exteris Regibus in futurum poteſt excuti. Vtinam vero tam facile poſſit eripi exteris illis iuſta conquerendi cauſſa de Auſtriaco, quam in futurum illa caueri per optimas leges poteſt? Qui placabitur vero et Gallus et Suecus? hic cumprimis, quîcum Auſtriaco aperta iam eſt hoſtilitas? Aut vero, quemadmodum prohiberi poteſt, ne hoſtilitas illa ſimul Imperium vniuerſum inuoluat? Equidem haud video, quomodo prius quidem ſperari poſſit, niſi Auſtriacus renunciauerit ſuis fœderibus, contra Suecum et Gallum initis, interque hos firma rurſum pax coëat; aut obtineri poſſit poſterius, niſi obſeruata ſancte illa lege de armis per Germaniam non cogendis, niſi ex Ordinum conſenſu. Fortaſſis vero exteri illi contenti erunt, modo poſterius fiat. Si prius tamen itidem poſſet obtineri, indubie tranquillitati id publicæ plurimum prodeſſet. Faxit Deus, vt

omnia ita dirigantur aganturque, vt saltem quies publica nihil capiat detrimenti! In prudentia sane Eminentissimi Domini Electoris Moguntini magnum præsidium Germaniæ rebus est collocatum, exterorum quoque omnium iudicio. Neque dubito, nihil te etiam neglecturum, quod ad bonum publicum obtinendum queat facere. Quod vt possis præstare, opto tibi et in hunc et in secuturos annos plurimos firmam valetudinem, atque magnis gerendis rebus idoneas animi facultates.

XCII.

Boineburgius vrget responsionem.

Francofurti d. 20. Febr. 1658.

Scripsi crebro hactenus. Spero, recte omnes meas tibi redditum iri. De responso ad eas non dubito. D. *Heilando* dedi coronariorum nostratium libellorum exempla cuiusque gemina. Ea se curaturum ad te spopondit. Vicarialia D. *Oxelius* suscepit recta ad te transmittere. Quid si ei literulas vel paruulas exarares? Non obesset opera. Rogo librum de ciuili prudentia absoluas tandem, et mittas mihi plagulas excusas omnes. Quæ nuper te rogaui, in iis perinde spero exaudiri. Vale, et me dilige.

XCIII.

Conringii vlterior reſponſio, in qua paradoxon de origine Electorum.

Helmſtadii d. $\frac{18}{28}$ *Febr. 1658.*

Cum nuperrimæ tuæ traderentur, ad ea, quæ quam maximi videbantur momenti citamque exigebant reſponſionem, ſatis prolixa epiſtola candide regeſſi, quicquid in mentem venit. Illam epiſtolam indubie iam accepiſti, vt proinde noua admonitione non fuiſſet opus. Vnum neglexi attingere de concordia recte conſtituenda inter Electores reliquosque Imperii Principes. Eſt autem et in ea poſita haud leuiter Imperii ſalus. Incredibile ſane dictu eſt, quantum hactenus nocuerit illa ſimultas, qua nunc laboramus, neque dubito longe hinc maiora damna reipublicæ imminere, niſi ſopiatur diſſidium. Poteſt autem non aliter ſopiri, quam ſi vtrique Ordini ſua iura tribuantur. Equidem, ne quid diſſimulem apud te hac etiam in re, hoc quidem ex diligente lectione rerum veterum Imperii deprehendi, *Principes Imperii vniuerſos ſeculo decimo tertio ius eligendi, quod hactenus omnibus fuerat commune, in ſeptem Officiales, qui appellabantur, Imperii, et honore*

honore quidem aliquo eminebant præ aliis, nulla autem re alia, communi consensu transtulisse *. Deprehendi etiam, seculo decimo quarto Electores illos seorsim sæpe de Republica consultasse: cumprimis vero multum illis additum dignitatis per Bullam auream *Caroli IV.* ex communi Procerum omnium sententia latam. Non inueni tamen Electores illos vnquam ausos leges condere, aut in pacis bellique negotiis quidquam constituere, priusquam *Carolus V.* ex Hispania ad Cæsaream dignitatem fuit euocatus. Hactenus scilicet per omnia secula obtinuerat vna aliqua generalis lex, in quam iurabant nouiter electi Cæsares. *Caroli V.* demum nouo exemplo præscriptæ sunt leges quædam *Capitulares*. Ex eo denique soli Electores cœperunt Leges Capitulares conscribere ceterorum Principum *conniuentia* ** potius, quam

S 2 vllo

* Vtinam testes huius rei coæuos nominasset, aut ipsum translationis eius instrumentum laudasset *Conringius!* Quousque enim neutrum horum fit, in obscuro permanebunt Electorum incunabula. Non credimus viris quasi e tripode pronuntiantibus.

** Annon latius, huic quoque Principum Electorum originem adscribere, quam *mandatum* aliquod ceterorum Ordinum fingere, quod exhiberi non potest?

vllo aperto conſenſu. Illi rei nouiſti contradictum eſſe, cum Pax conſtitueretur. Nouiſti etiam, diſerte aliter in futurum eſſe ordinatum, et ab ipſis Electoribus probatum in Legem publicam Imperii tranſiiſſe. Vtique ergo ſumma eſt cum Principum iniuria coniunctum, id quod nonnulli Electorales hodieque machinari non deſinunt. Non tantum vero eſt iniurioſum, ſed etiam in publicum alias ſumme noxium. Frangitur ſcilicet autoritas conſtitutæ pacis, quæ debet eſſe Imperii Palladium, et Legum publicarum Imperii; offenduntur vicini Reges, qui Pacem conſtituerunt, et Legibus Capitularibus vis omnis detrahitur. Nec enim Cæſar poterit ſancte vinciri, quamdiu non conuenit in Imperio de auctoritate Capitularium Legum. Quam facile eſt iſthoc prætextu violare omnes Capitulares Leges? Atqui ſumme eſt vtile, vt Cæſares teneantur Capitularia inſtituta ſtrictiſſime obſeruare. Hac vice profecto niſi Leges Capitulares ſimul auctoritate aliqua Ordinum omnium conſtituantur, non video quomodo et Electores ipſimet recte ſibi queant conſulere. Si certe nouas duraſque Leges præſcribere velint, laborabunt inuidia et odio etiam apud ipſum Cæſarem, nec poterunt iis legibus iuſtam

ad-

addere auctoritatem. Ex aduerso si Cæsar nouerit, Leges illas, in quas admittendus est, omnium Imperii Ordinum consensu esse latas, et cogetur maiore reuerentia illas obseruare, et cessabunt caussæ odii erga Electores. Equidem haud dubito, non passuros Principes, vt hac quidem vice ex solorum Electorum sententia Capitulatio conficiatur, nec passuros Gallos et Suecos. Si Electores itaque sibi solis hoc negotium datum esse pertendere perrexerint, quæ turbæ, quæso, quæ mala orientur! Non equidem dubito, fauere Austriacos Electoralibus illis consiliis. Faciunt autem hoc suo priuato commodo. Primum enim ab Electoribus solis norunt adeo duras leges non temere exspectari posse. Secundo norunt, hoc dissidio posse se abuti in rem suam secundum illud: *Diuide et imperabis.* Tertio norunt, longe facilius strui posse monarchica, si reipublicæ summa stet penes paucos, quam penes omnes. Et vero hac arte Ferdinandus II. a Comitiis vniuersalibus alienissimus, solos Electorales conuentus admisit, eosdem dudum sublaturus, si ex voto fortuna bellica arrisisset. Omnino itaque arbitror, etiam atque etiam cauendum esse, ne Principes iustam habeant caussam siue protestandi, siue

conquerendi de iam iam futura capitulatione. Id certe nisi caueatur, vereor, ne tota respublica vergat in interitum, præsertim cum illa iam tum summe sit debilis. Si Principibus vero suum ius maneat integrum, magna erit animorum coniunctio imposterum ad bonum publicum promouendum. Vide, mi Illustris Domine, quam ego sine fuco tecum agam, quoniam hoc a me exspectasti. Nec enim dubito, haud laturum te ægre, si forte dissentire fuerit visum. Nobilissimo *Oxelio* non desines me commendare; nunc quidquam ad illum exarare non vacat. Et vero hasce scribo eopse momento, quo tuas accipio, vrgente tabellario responsum. Librum de Ciuili Prudentia denuo propediem aggredi animus est, et absoluere. Ex quo Helmestadium redii, vix cum bibliotheca, quæ tota fuit conuasata, potui in gratiam redire; et schedæ etiam nunc huc illuc dispersæ sunt, vt proinde hactenus vix tale quid licuerit cogitare. Sed et macerant me curæ ex perturbatissimo Imperii statu enatæ. Quantum enim imminet discriminis, vbi Cæsarem acceperimus, qui iam hostem se Suecorum Gallorumque profitetur! Sed vale, Illustris Domine, et porro faue. Tædet enim animo mala publica voluere.

XCIV.

XCIV.

Boineburgio non plene ſatisfaciunt exempla clauſulæ commiſſoriæ a *Conringio* adducta.

Francofurti d. 22. Febr. 1658.

Inſigni me lætiiia perfudit epiſtola tua XVI. Februarii ſcripta ad me perliberaliter. Per eam me vtique multum edocuiſti et colluſtraſti, neque id nullius frugis affore credendum eſt. Exempla adactorum in aſperas regnandi formulas Regum, qualia tu memoras, omnia mihi cognita erant, excepto Danico de hodierno *Frederico III.* Eius formulam legere gaudebo, ſi tuo eam beneficio detur conſequi. De Philippo II. quæ narrat *Agylæus*, ſi et aliis memorata eſſent, commode eo exemplo vti poſſemus. Exemplum de *Arragonia* fabulæ ſimillimum eſt, vt ipſe *Mariana* ſubindicat. Apprime videre hauebo pluſcula de more gentium Germanicarum, quo ſuos ſemper Reges vinxerunt. Quæſo, vt me horum et ſimilium indicio docuiſti, ita pluribus me eorundem illuſtramentis firmare velis, additis etiam, ſi ſuppetunt, exemplis in id pluribus. De reliquis, quorum in poſtremis meis mentio, proxime exſpectabo. *Grotii* occaſione memini te notas an-

tehac in ius Belli fecisse, cumprimis ad librum medium. Quæso ne illarum obliuiscare, neue *Feldium* ei insultare viro sinas. De stricturis *Grasswinkelii* super illum quid censes? Mihi videntur nimis aridæ et tenebricosæ. Res hic indies magis maturescunt, vtinam in bonum! Hispanicus Orator *Peneranda* iam hæret *Wirceburgi*, cui *Blumium* obuiam misimus. Faxit Deus, vt conseruemus rem maximam, pacem Imperii! Vale, et celeriter rescribe.

XCV.

Conringius, suæ sententiæ tenax, populos omnes originis Germanicæ *tacite* saltem Reges suos per clausulam commissoriam obstrinxisse contendit, nulla specie veri.

Helmstad. d. 28. Febr. 1658.

Formula Legum, in quas Rex Daniæ *Fridericus III.* acceptus est, non est quidem mihi ad manum; non est tamen quod dubites de eo, quod dixi, nempe, *si leges regni violet, ius esse Ordinibus nouum Regem creare.* Nec satis scio, quare censeas de Arragoniæ regno id fabulosum esse. Imo vero morem illum etiam Philippo II. Rege adhuc obtinuisse, liquet ex iis, quæ narrat *Thuanus*

nus l. 105. de motibus Cæſar Auguſtanis. Apud gentes Germanicas vniuerſas ſaltem tacite in eam conditionem Reges olim eſſe acceptatos, argumento eſt, quod nulla gens Germanica dubitauerit Reges ſuos legum patriarum violatores non tantum armis petere, ſed etiam dignitate exuere *. Exempla plurima reperies in hiſtoriis Gothorum, Wandalorum, Longobardorum, Anglo Saxonum, Danorum, Suecorum et Francorum. Quo alio prætextu, etiam in Germania noſtra, communi conſenſu Henricus IV. Otto IV. Fridericus II. aliique Regia ſunt dignitate pulſi, et in ordinem priuatum redacti? ne quid nunc dicam de Carolo Craſſo. Prætextu, inquam. Nonnullos enim horum per iniuriam accuſatos, tanquam violauerint ſacras reipublicæ leges, haud negauerim. Certe nullum exſtat indicium, perſuaſum olim fuiſſe Ordinibus Imperii, nefas eſſe, Regem, ſi rempublicam euerſum eat, Regno pellere, nouo

* Ex hoc non ſequitur, Reges conditionem *admiſiſſe iurato*, vt regno cedant, ſi quid contra leges auderent. Vnius rei plures poſſunt eſſe cauſſæ. Et quis inter Regem et Ordines iudex erit quæſtionis, num lex violata ſit. Nulla ſane patentior bellis ciuilibus ianua hoc Conringiano conſilio.

Rege creato. Quod diserte non in pacta regia receptum hoc fuerit, factum arbitror, quia ius hoc omnibus iam notum erat. A qua sententia quoniam hodie recessum est, videtur summa Imperii salus, vt ius pristinum disertis verbis reuocetur, exigere. Ego sane non video, quemadmodum hodie recte Imperio queat consuli, nisi diserte in leges id fuerit receptum. Indubie et hæc, et quæ nuper addidi de non cogendo milite aut armis intra Imperii limites, nisi de Ordinum consensu, si probe expenderis (quod et iam fecisse te gaudeo, et porro facturum te haud dubito) ansam occasionemque dabunt auertendi multa mala, quæ Imperium in tanta vicinorum potentia facile ceteroquin sint euersura. Etiam vero, mi Domine, atque etiam rogo, des operam, vt gliscens illud inter Electores reliquosque Imperii Principes dissidium, quod carcinomatis instar est, in tempore tollatur. Ante hosce octo dies prolixe hac de re scripsi: eoque nunc nihil eorum repeto. Audio, Eminentissimum herum tuum sic satis æque ea in re se gerere. Scio etiam Brandenburgicum non multum diffidere. Hæc lis autem præ omnibus aliis erit componenda, si qua debet autoritas esse Capitularium Legum. Perquam

quam enim vereor, ne vel Reges, quorum consensu Pacis instrumentum est confectum, vel reliqui Ordines publica protestatione eneruent vim Capitularium Legum, si quas Electorale Collegium sola sua auctoritate velit condere. Si vnquam, certe nunc maxime danda est opera, vt inter omnes Ordines bene conueniat, cum Imperium sit vndique cinctum potentissimis vicinis, quos vires Imperii imbecilles et ciuilia dissidia non latent. Quanquam vires sic satis nostris tuendis crediderim pares esse posse, si priscis moribus militiam institueremus. Quod nunc ostendere alienum est. In *Grótii* librum secundum de Iure Belli a me nihil laboratum est; fortasse tamen aliquando hoc agam. Fortassis, inquam: certo enim haud promiserim, iam tum plus nimio occupatus. Vt Comitia feliciter succedant, opto: cumprimis Deum oro, vt prudente consilio labascens Imperium velit erigere. Experieris sane hæc Comitia opinione grauiora et difficiliora.

XCVI.

Idem prioribus exemplis addit supplementum.

Helmstad. d. 24. Mart. 1658.

Erat animus post nuperrimas nullis te amplius

literis

literis meis in hoc negotiorum mari turbare, cum forte fortuna explicanti Tomum primum Historiæ *Famiani Stradæ* occurrunt hæc verba *l. 2. pag. 52. editionis Batauicæ*: *meminisse deberet Princeps* (Rex scilicet Philippus) *in eodem diplomate* (Brabantini Ducatus priuilegiorum, quod confici curauerat a Carolo V. patre Brabantiæ Dux creatus) *consentire se, vt sibi nulla obsequii, clientelæ ac obedientiæ officia deferantur a populis, queis ipse præstare nolit integra, quæ solemni religione spoponderat.* In margine notatur *Articulo V.* Vnde discere est, vera esse, quæ scripsit *Agylæus* de lege, in quam Philippus est receptus in Brabantiæ Ducem, eaque reperiri art. V. tabularum istarum. Hæc ideo visum addere, ne credas, deesse exempla eius, quod censeo esse vnicum remedium tuendæ nunc Germanicæ cum libertatis, tum tranquillitatis. Etsi enim haud nesciam, quam sit difficile futurum, Regem rumpentem promissi fidem abdicare; in facili tamen scio esse, hac ratione maiorem solito promissis religionem addere, saltem metu, ne, si non omnes, aliqui tamen, iique apti nouandis rebus, sint soluti fidelitatis sacramento. Sed nolo tua grauissima negotia amplius morari. Deum non desi-

desinam venerari, vt bonis consiliis addat pectus robustum et felicem successum, teque commodo publico diu saluum praestet. Summa consiliorum nunc sane esse debet conseruatio pacis et amolitio belli externi, idque quoniam Germania est impar bello externo excipiendo. Si hoc obtineri nunc potest, satis est. Imposterum danda erit opera, vt iis sese Germania modis armet, quibus possit vim externam pariter et internam auerruncare. Quod, quemadmodum fieri possit, alias exponam.

XCVII.

Boineburgius inclinat in *Conringii* sententiam.

Francofurti d. 27. April. 1658.

Nihil sane mihi iucundius, nihil gratius accidit literis tuis. Quod dico paucis verbis, vt scias, quod sim constans tui cultor et amantissimus omnium eorum, quae a te veniunt. Debeo responsum tibi ad ternas, ni fallor. Iis instructus et edoctus sum multa bonae frugis plena. Crede mihi, me in negotio, quod iam est prae manibus, toto animo tecum sentire, et in id allaborare, vt haec Electio sit Imperio vtilis, et saltem non noxia. Neque parum respublica tibi debet, quod

quod me commonefactionibus tuis prudentiæ plenis informas. Forte non ſum infelix organon in rem conferendi, quæ diu effici non potuere. Magnas perpetimur certe oppoſitiones, et tricis implicamur incredibilibus. Facile id omne cogitare tute potes. De inuidiis, odiis et periculis, quæ mihi imminent, nil dicam. Te rogo tantum, vt ſæpe ad me ſcribere cogitata tua omnia velis. Nihil profecto literis et libris mihi tuis ſuauius; acceptius nihil eſt. Vale et me ama, Vir ſumme.

XCVIII.

Conringius hortatur *Boineburgium* ad videndum, nequid ex Electione detrimenti capiat Reſpublica.

Helmſtad. d. 21. April. 1658.

Plurimum lætor, idem te mecum ſentire, eſſeque adeo tibi firmiter propoſitum, operam omnem impendere, ſaltem ne quid Electio tranquillitati publicæ noceat. Vtrinque ſcilicet imminent Germaniæ reges valido inſtructi exercitu, qui proinde omnino nobis placandi nunc ſunt, cum Imperium vſque adeo diſſidiis laboret, et nudum latus vbique oſtendat. Quod ſi eſſet Reſpublica, prout par eſt, milite inſtructa, facile

vtrum-

vtrumque Regem etiam coniuratum contemneret. At heu! quanta nunc noſtra eſt imbecillitas! Quanto viuimus in periculo, cum imbecillitas noſtra omnibus eſt nota! Fruſtra certe blandimur nobis priſcis et Imperii viribus et vicinorum impotentia. Plurimum mutauere omnia, eoque omnia ſolito cautius nobis et prudentius agenda ſunt. Eo delapſi ſumus, vt ſuetam ſocordiam et ignauiam ruina Imperii non poſſit non excipere. Remedia duplicis ſunt ordinis; alia ſcilicet iis, quæ præ foribus ſunt, malis auertendis apta; alia in futurum reipublicæ conſulere idonea. Illa arbitror conſiſtere in prudente Electione et cauenda omni offenſa armatorum Regum: hæc cum ex aliis, tum præcipue cenſeo ex bene compoſita re militari Imperii Procerum eſſe petenda. Scio, non expetere te abs me hoc quidem tempore ſententiam meam de remediis illis poſterioris generis. Vbi defunctus fueris hiſce negotiis, non eam petenti tibi denegabo. Quanquam forte ex re magis fuerit, ſi ipſemet Elector ſententiam in arcano promere iubeat. Ita ſane dabitur mihi occaſio iuſta prolixitate rem omnem perſequendi, et, ſi perſuadeam, minus laborandum tibi fuerit in perſuadendo, reſque eo forte maturius poterit

pera-

peragi. Verum hifce cogitationibus nolo diffindere nunc, quas pro Imperii falute fuftines, curas. Macte vero fis etiam impofterum illo generofo animo, Illuftris Domine, omnique fpreta inuidia id age, quod te tam fublimi loco pofitum Deus iuffit agere, hoc eft, perge, ceu præclare cœpifti, procul amore, procul odio, procul quæftu, curare, ne quid ex Electione detrimenti capiat refpublica. Ego Deum veneror, tibi vires fuggerat, tantis conatibus pares.

XCIX.

Boineburgius mittit *Conringio* obiectiones quafdam Nuntii Apoftolici diluendas.

Francofurti d. 14. Mai. 1658.

Literulæ tuæ me fumme exhilararunt. Nulla enim inibi linea, quin inftruat me, et nouis fubinde luminibus in præfentium rerum iudicatione colluftret. Circa confcriptionem Kapitularium legum multa me et docuifti, et multis fimul monelis animos mihi addidifti. Sumus quippe nunc in eo, vt eas præfcribamus Eligendo quam huic tempori congruentiffimas. Sumus quoque occupati in difquifitione vinculi, per quod obligatio Pollicentis, ac ftipulantium auctoritas, et tota pa-

ctionis

ctionis in publicum fructuosæ sanctitudo firmetur. Sed agimur studiis partium, factionibus et simultatibus, cum nonnulli nimium indulgeant libidini exterorum; alii Imperaturi potentiam æquo plus reformident; quidam denique aptare omnia, vt bonos viros et bonos ciues decet, eo studeant, quo vocat præsens status patriæ. Adeoque solliciti iam sumus, quei præcaueri possint Austriaca in Belgium etiam sub obtentu noui belli Cronwelliani mittenda forte auxilia, per quæ vtpote primum nobis Rhenensibus, dein et toti Germaniæ noua ceu postliminio bella, et cum externis, cum hostibus tum amicis, implicamenta exoriri et superuenire possent. In hoc dum allaboratur, non potest credi, quot, quantis quamue diris calumniis exagitemur, prout ex parte videre est in adiunctis hic foliis, quæ Moguntino et Coloniensi tradi curauit, qui hic est, *Nuncius*. Quæso te per Deum immortalem, caue in cuiusquam conscientiam deueniat hæc scriptio; sed fac, vt tuum de ea iudicium quamprimum noscere queam, tum et si qua insuper monenda duxeris. Nihil vtique in mundo mihi gratius accidere tuis literis potest. Inde enim multo leuamine et solatio adiuuor inter tot, queis affligimur, cu-

ras et fastidia. Volebam plura modo scribere; sed subito auocor ad alia fortuita negotia. Proxime, vbi tuas ante fuero nactus, ero vberior. Rogo autem iterato cures, ne hoc *Nunciale* schediasma tibi vel nomine notum esse prodas cuiquam. Si stricturis tuis interstinxeris, et refutaueris illas nænias, rem mihi gratissimam effeceris. Vale, optime amice. *Blumius* adhuc est in Aula Regis Christianissimi. Spero tamen eius reditum breui. Si qua penes vos eduntur, mitti huc cum veredis idonea, ea, quæso, mecum communica.

C.

Conringii iudicium de illis obiectionibus.

Helmstadii d. $\frac{17}{27}$ *Maii 1658.*

Serius nonnihil iusto tuæ traditæ sunt, eoque tardius respondeo. Nuntium video duo agere: primum scilicet conatur persuadere, non aduersari Pacis legibus, si Eligendus suppetias mittat Hispano contra Cromwellum; alterum est, honestati et Catholicæ fidei aduersari, adstringere velle Eligendum, id ne faciat. De primo, ne quid dissimulem, haud ego etiam multum pugnauerim. Bellum enim, quod iam infert Cromwellus, etsi subsidio sit armis Gallicis, reapse

ta-

tamen ab illis eſt diuerſum, et Pacis legibus non tactum. In altero probando operam ludit. Si enim ita eſt, vti ille vult; et honeſtas et Fides Catholica ſuppetias iſtas citra controuerſiam exigeret. Quod enim non ſimpliciter iubet ius naturæ aut diuinum, illud omitti poteſt, præſertim boni eximii conſequendi gratia. Iam vero ſimpliciter quidem non exigi illas ſuppetias ab honeſtate et catholica fide, argumento eſt, quoniam exigerentur ab omnibus, qui poſſunt iuuare, atque adeo et ab ipſo Sanctiſſimo Domino. Ab illo autem non exiguntur: neque enim vllas mittit ſuppetias, cum tamen præ aliis mittere poſſit, vt omnium opulentiſſimus. Eſt hoc argumentum illius ordinis, quæ *ad hominem* ſolent appellari, maximamque habent vim contra aduerſarium, præſertim ſi ſit indoctior aut iniquior. Eoque hoc maxime vtendum cenſeo aduerſus Nuncii importunitatem. Eſt autem idem etiam ideo non admittendum, quoniam nulla ratione poteſt reddi veriſimile, teneri quenquam ea, quæ honeſtati aut veræ fidei repugnant, armis vindicare extra limites ſuæ reipublicæ. Nec vero hactenus, quod ſciam, quiſquam hoc aſſeruit. Licere armis talia vindicare, verum eſt. Sed ad ea omnia,

quæ licent, non tenemur. Esto igitur, Catholicæ fidei periculum imminere ab armis Cromwellianis; sequitur hinc, licere arma illis opponere: at non sequitur, teneri Germaniæ Principes ad vindictam, præsertim cum Flandria non sit pars Imperii. Id quod licet porro, potest illicitum reddi, maiore periculo imminente. Imminet autem periculum Germaniæ vtique haud paruum a Gallo, si consensu Imperii procerum Austriaci Cromwellio sese opponant. Non dico, iure agere Gallum. Sit ita Galli postulatio iniqua; periculum tamen est certum. Eoque ad certum illud periculum euitandum poterit vtique consensu procerum vetari id, quod alias licebat. Imo grauiter in rempublicam peccarint Electores, si permittant illud, vnde certum Imperio periculum creabitur. Moueat auctoritate sua, si potest, Gallum Papa, ne ad iniuriam suam credat ille pertinere suppetias Hispano aduersus Cromwellum latas. Si non poterit, vt non poterit; vtique nec diffiteri Nuncius debet periculum illud, quod a Gallo impendet. Sed et reapse arma Cromwellica ipsam *fidem* Catholicam nullo afficient malo; *opibus* tantum nocebunt, si fuerint felicia. Potest autem fides florere accisis, imo et perditis.

Scio

Scio, ſecus vulgo iudicari; ſed contra praxin veteris Eccleſiæ. Verum illa poſteriora non ferunt Nunciorum aures: itaque prudentius diſſimulantur. Ceterum illis Nuncii obiectionibus facile quidem ita quis reſponderit. Quid ſit autem de ipſa Pace publica? Inſpexi equidem *Memoriale* Suecicum *5 Maii* exhibitum, et intellexi, decretam ad Regem ab Electorali Collegio legationem. Sed quia hactenus Auſtriaci vſque adeo ſpe certa Poloniam ſibi deſponderunt, vt nec ipſi voluerint pacis conſilia cum Sueco admittere, nec Polonos non ab omni pacifica tractatione remouere; de pace inter Auſtriacos et Polonos iam conclamatum eſſe arbitror. Et vero poſtquam nihil effici potuit, ne dubites Auſtriacis breui id iri repoſitum, quod Pomeraniæ ſunt minitati. Ne et Imperii reliqui Ordines implicentur illi bello, nullum ſupereſt remedium, ſi procedat Electio. Non dico, vacaturum periculo Imperium, modo Electio non procedat. Superfore etiam ſic illud, fateor; damnum tamen præſens non adeo eſt, atque ſi eligatur ille, qui eſt hoſtis, et quidem eligatur contra tot Suecicas proteſtationes. Sed et poterit forte inueniri remedium tranquillitati reliquorum Ordinum ſeruandæ; modo cauſſam Au-

 ſtriaci

ſtriaci per electionem non fecerint ſuam. Quo de remedio dicam fortaſſis alias. Interim quæſo, Domine, expende animo pertinacia Auſtriacorum conſilia in Polonia acquirenda. Quid cenſes illos non tentaturos aduerſus imbecilles Imperii Ordines, vbi dignitate Cæſarea fuerint circumdati? Actum profecto fuerit de Germaniæ priſca libertate, ſi Auſtriaco ceſſerit ex voto nouum hoc contra Suecos bellum. Si tamen et Suecus vicerit, erimus in periculo haud leui. Vide Domine, quam libere et candide apud te loquar. Loquor vero ita, quoniam * ſcio, ſumme tibi cordi eſſe Imperii ſalutem. Quem animum vt in te Deus corroboret, et felici beet ſucceſſu, ſanctum illud Numen oro obſecroque. Publice ad calamum nunc dictito animaduerſiones politicas in *Machiauelli* Principem. Ante octiduum prolixam habui diſputationem de ortu, interitu et mutationibus Regnorum, plane alio filo, quam procurrunt vulgo, quæ ſunt eius argumenti.

CI.

* Quin potius: *loquor ita, quoniam Suecis operam meam addixi; et ad ita loquendum Suecicis ſtipendiis auctoratus ſum.* Vid. Cyriacus Thraſymachus.

CI.

Probat *Conringii* indicium *Boineburgius.*
Francofurti d. 5. Iun. 1658.

Quas 27. Maii dedisti, recte accepi ante biduum. Inde multum, vt ex omnibus tuis soleo, profeci. *Nuncialia* argumenta explicuisti ita, vt eorum exiguitas ac leuitas vndiquaque pelluceat ad oculum. Quae subiicis de Electione et impendentibus hinc nouis Germaniae turbis, omnium prudentum calculum vtique merentur. Nos facimus, quantum in nobis est; at parum adiumamur, collegarum studiis in omnia alia deuergentibus. *Coloniensis* et *Palatinus* non male tamen in hoc se negotio comparant. *Brandenburgicus*, cum non sit suae spontis, et in diuersum praesentium suarum rerum incertitudine abripiatur, minus auxilio nobis est, quam esset futurus, si a Suedis nihil metuendum haberet. Dissertationem tuam de ortu et mutationibus regnorum cur non misisti per veredarium? Scio, Serenissimum Ducem *Augustum* cum suo perlibenter omnia tua mihi transmitti curaturum esse. Animaduersiones in *Machiauelli* Principem si describeret aliquis, mihique mox mitteret, facturus id esset non ingrato. Tuus de ciuili prudentia liber an proditurus est tandem? Vale, mi optime amice!

CII.

Boineburgius ſententiam *Conringii* exquirit, quomodo bellum euitari, et litem de Vicariatu inter Palatinum et Bauarum componi poſſe putet.

Francofurti d. 16. Iun. 1658.

Acceptiſſimum mihi, vt omnia tua, fuit nuperum reſponſum, et iudicium tuum ſuper Nuncii, qui hic eſt, commonefactionibus. Ipſa illa dulcedo deſiderium mouit eius quoque, quod bellariorum loco oppoſuiſti, ſciendi rationem conſilii, quo Germania præſtari tuta poſſit a bello, quod imminere de proximo videtur, ſiue procedat Electio, ſiue nonnihil vltra retardetur. Nil diffido ingenii et iudicii tui redundantiſſimis copiis. Sed cum et tempus, et fatum iam nos vrgere inceptent, vt vel boni ſucceſſus ex illo Electionis tranſitu ſperandi ſint, vel metuenda mali diſcrimina; peramanter te rogo et obſecro, vt haud grauate tua ſenſa animi circa præſentes negotiorum tricas vberius exponere mihi velis. Huic rei non minoris difficultatis negotium accedit, tentanda compoſitio litis de vnius Vicariatus duos inter Electores prærogatiua, quorum quiſque ſibi eum integrum ac in ſolidum tribui poſtulat, quorumque animi cotidie magis magiſque in obtinendi

di ſpes niſuſque efferueſcunt, poſt perinde loco et tempore intempeſtiuum ac improuiſum iſtum effuſi atramenti impetum *; vtinam non in atri ſanguinis fundendi fatale præludium! Quod malum vt auertant Electores, ne vel inde tam quæſita cura et acri ſtudio hactenus defenſæ et porro defendendæ tranquillitati turbæ permiſceantur: plerumque enim

. . . . *tractata notam labemque remittunt*
Atramenta.

Prouiſu itaque nihilo ſegniore ſollertium conſiliorum opus eſt nunc, quo nempe modo ardores illi reſtinguantur, vel ſaltem temperentur, ne in nocentiſſima publico incendia erumpant. Cuius temperaturæ, ceu rei haut cuilibet facilis repertu, rationem a tua quoque prudentia exſpecto, oroque, vt tua pro Vicariatu Palatino, prout ea nunc legi voles, mecum communices. Minus enim inde nunc periculi impendet, animis erga veritatem paullatim miteſcentibus. De reliquo tua de Regno, et de ciuili prudentia, omniaque, inquam, tua edita ſcriptaue auidiſſime exſpecto. Vale.

T 5 CIII.

* Cui hæc obſcura videbuntur, is euoluat LONDORP. *Actor. Publ. T. VIII. c. 221. p. 232. ſeq.*

CIII.

Conringius Electionem Imperatoris rebus sic stantibus differendam suadet, minus in diuturno interregno, quam in Electione praecipitata periculi esse contendens.

Helmstad. d. $\frac{2}{12}$ *Iun. 1658.*

Doleo equidem, tantam rem, in qua cardo vertitur salutis Germaniae, tam leuiter expendi, et imprudenter agi. Si processerit sane Electio Suecis plane inuitis; equidem non video, quomodo tranquillitas Germaniae sibi possit constare. Multum sane vereor, ne Saxo sui intempestiui et inconsulti affectus ingens damnum breui faciat. Summe profecto periculosum Germaniae erit Sueco-Austriacum bellum, quaecunque etiam pars victrix fuerit. Si neutra; altera vero alteram egregie attriuerit: fuerit quidem hoc in rem Germaniae. Sed optare hoc licet; non autem certo sperare. Vt nunc sunt res Germaniae, videtur nihil esse vtilius, quam vt Electio de die in diem differatur; donec Sueci aduentu, qui tamen in mensem Iulium forte demum incidet, si non serius, res Austriacae turbatae, vt et forte Saxonicae, vtrumque domum euocauerint, frustrata hactenus Electione, et in pacatiora tempora translata. A lon-

longiore interregno, vt nunc eſt Germaniæ ſtatus; parum periculi eſt; ab intempeſtiua autem Electione plurimum. Prætextui dilationis queat eſſe ſpes componendæ pacis inter Gallum et Hiſpanum alioſque, aut tardior capitularium legum confectio, aut ſimile quid. Modo hac vice liberetur Germania ab imminenti bello, ſatis eſt actum. Proximum vero fuerit rectius componere rem Imperii ſingulorumque Ordinum militarem, vt etſi non acquirendis nouis, ſaltem noſtris defendendis pares ſimus. Quod effectu non adeo eſt difficile, vt alias oſtendam. Theſes *de Ortu Regnorum* mitto. Iam tum habes, niſi fallor, alias *de Regnorum differentiis.* Vtrumque niſi probe fuerit intellectum, non poteſt recte conſtitui, quomodo Regna ſiue Principatus prudenter componi queant, atque ab interitu et mutationibus præſeruari. Vt autem etiam hæc vltima doctrina exacte tradatur; inſtituo nunc animaduerſiones ad *Machiauelli* de Principe librum, quo ſcilicet paratior ſim impoſterum meo modo et more rationem conſeruandorum et conſtituendorum Principatuum conſcribere. Omnino enim mihi eſt propoſitum, nobiliſſimum hoc argumentum meo calamo illuſtrare. Quæ hactenus ad *Machiauellum*

dictaui

dictaui, plagulis duntaxat quatuor constant, vtpote qui post ferias Paschales demum hunc laborem sim aggressus. Non videtur fore operae pretium dictata illa mittere, nisi opere iam perfecto, praesertim cum per negotia non liceat Excellentiae tuae illa nunc accurate expendere, qualem tamen lectorem *Machiauellica* illa vnice desiderant. Sed et perendie mihi in Frisiam erit proficiscendum, ibique per quinque minus septimanas commorandum, vt proinde, quamuis velim, nunc tamen impediar illas meas animaduersiones curare. Quamuis vero absuero domo, si tamen citam responsionem necessitas quae exegerit, curatis Bremam ad *Arnoldum a Bopart*, Agentem Ostfrisicum, literis tuis, ocius faxo vt respondeatur.

CIV.

Conringius quid in Capitulatione Leopoldina desideret Boineburgio indicat, aegre ferens ante omnia, clausulam commissoriam omissam. De Vicariali autem lite aliter sentit ac olim.

Helmstad. d. 20. Aug. 1658.

Vltimas ego accepi pariter et dedi, cum in Ostfrisica aula adhuc versarer. Post illa impeditus sum quidquam dare fere perpetua absentia, euocatus scilicet cum a Serenissimo Rege Sueciae, tum

a Principibus meis Brunſuico Luneburgicis: vnde me demum heri expedii. Quæ ratio viuendi eſt quidem moleſtior illi, qui malit frui tranquillo otio literario. Solatio tamen eſt, quod bono publico impendatur. Interea temporis facta eſt et apud vos magna rerum plerarumque mutatio, quæ indubie nec Illuſtri Veſtræ Excellentiæ permiſit multum quieſcere. Deum veneror, vt et illa omnia cedant in ſalutem ac tranquillitatem Imperii. Si quid ſane boni ſperare licet, debetur illud Eminentiſſimi Domini Electoris Moguntini atque adeo et tuæ prudentiæ pariter ac dexteritati agendarum rerum. Id doleo etiam atque etiam, mihi tot itineribus totque occupationibus præter omnem exſpectationem ereptum eſſe omne tempus, quod impendendum erat, certe impendi poterat, perficiendis quibuſdam ſcriptis meis, quæ iam dudum vltimam manum meam deſiderant. Et vero impedimenta hæc effecerunt, quare ne nunc quidem Nundinæ Francofurtenſes exhibeant librum meum de *ciuili prudentia,* imo ne quidem *Caſſandri* nouam illam et omnium limatiſſimam editionem; cuius tamen nihil reliquum eſt quod edatur, præter præfationem. Vtinam vero ſaltem poſt hac liceat mihi nonnihil maiore otio frui, et qui-

quidem domi inter literas! Vereor tamen, ne denuo mihi ſit proficiſcendum ad Suam Regiam Maieſtatem Sueciæ, et quidem ſimulac in Dania res fuerunt confectæ: quod ſpero fore propediem. Ceteroquin ſane non ſperauerim turbatum iri literarium meum otium armis per Germaniam motis, præſertim prudentiſſime iam conſtituto illo fœdere cum regnis vicinis et primariis aliquot Imperii Principibus, ſimulque affulgente ſpe pacis inter Suecos et Auſtriacos componendæ, irrita nimirum iam propemodum facta Auſtriacorum illa de corona Polonica impetranda exſpectatione, quæ hactenus vſque adeo multum dedit turbarum. *Vicariatum Palatinum defenſum* ante hoſce dies quatuor demum vidi editum; ſed cum Appendice, a mente et conſilio auctoris plane diuerſa: quod equidem doleo. Maluiſſem rem illam aliter geri; ſed cum Illuſtris Veſtræ Excellentiæ callido ſane conſilio e poteſtate mea exiit, ferendum eſt, quod mutare non licet. Mihi nihil fuerit acceptius, quam ſi et illa lis componatur, ne aliquando Imperio nouas pariat turbas, cum præſertim res ipſa, quæ in controuerſiam venit, plus habeat inanis ſplendoris, quam veræ potentiæ *. In capitulatione

---

*At ſupra *Epiſt.* 72. longe aliter ſenſerat *Conringius*.

tione placent pleraque. At quod adeo multa ibi ſpirent Oligarchiam ; et Principum aliorum auctoritatem eneruent, hoc vero, ſi quid iudico, cedet aliquando in Germanicæ Reipublicæ ſummam perniciem. Simul doleo, omne vinculum conſtringendo ad officium faciendum Cæſari deeſſe non minus, quam antehac, magno in futurum malo. Sed quid ego hæc conqueror apud illum, qui idem indubie mecum conqueritur? Vale.

CV.

Boineburgius omiſſionem illam excuſat, et Vorburgianum opus *Conringio* promittit, ſtipulatus in uicem Conringianis omnibus hiſtorici et politici argumenti.

Moguntiæ d. 3. Octobr. 1658.

Properans ſcribo hæc paucula, tantum vt ſcias, me a *D. Calixto* tuas recte accepiſſe. Legi eas, legitque itidem Eminentiſſimus Elector, tuumque iudicium ſuper rebus noſtratibus omnino comprobat. Nemo ſane moleſtius tulit illam, qua in vinculo Kapitulationis conficiendo vſi ſumus, ſocordiam atque oſcitantiam. At qui impedimento fuerint, quo minus multa recte gererentur, iam tota Germania ſentit, et omnis Europa nouit. Tuum de ciuili prudentia librum certe tandem publi-

publicum fore confido. Rogo peramanter eius me missu maturiore et festinatiore exhilarare digneris. Reliqua tua perinde mihi grata erunt. Neque dubito, ea abunde mecum deinceps communicatum iri, postquam tot in id pararios ac adiutores mihi nactus esse videor, *D. Calixtum*, *D. Rachelium*, et cum primis temetipsum, mi optime. Spero, hæc te adhuc domi tuæ inuentura ante profectionem ad Serenissimum Suediæ Regem. Vnum iam addo: D. *Vorburgius* nostras, tui vtique amantissimus, et tuorum æstimator sincerissimus, Historici operis tomos, quorum nunc octo prostant, tibi mittet, pro quo eius nomine abs te stipulor, vt vicissim ipsi omnia tua politici et historici argumenti donare velis. Bonus vir hæret iam in laboribus seculi noni, et quidem in Lotario. Ludouicis Carolisque, tum Arnulpho et Conrado cum Aucupe Henrico perscriptis, celeriores subito in opere suo progressiones facere poterit, præsertim postquam a multo iam tempore omnia ab Ottone I. vsque ad Rupertum absoluit, et ad editionem parata habet. Dehinc ad propiora nostræ ætati, adeoque vtiliora in publicum negotia decurret. In editis vltra Constantini quarti Synchronismos non pertingit. Plura

iam

iam ob temporis penuriam ſcribere haut ſinor. Vale, Vir ſumme, ſummeque dilecte.

CVI.

Boineburgius auctor eſt *Conringio* adiungendi nouæ editioni libri de Origine iuris Germanici hiſtoriam controuerſiæ Gryphiandrinæ.

Moguntiæ d. 15. Nov. 1658.

Peruoluens varias meas mihi non ingratas chartas, reperi præter omnem cogitationem literas tuas ad me d. 21. Maii 1657. datas, quibus inter alia *Gryphiandri* mentio refricatur, et quod in tertia editione operis de Orig. Iuris Germanici eius controuerſiæ, quæ olim cum illo viro tibi interceſſit, origines tuæque innocentiæ apologiam attexere pares. Ad hoc, quod forte tum temporis haut conſiderato reſponderim, iam, vtut ex interuallo, ſignifico, vtile futurum eſſe, ſi et originem Germanici Iuris tertium edideris, et *Gryphiandri* ſimul memineris. Inuenies enim e libris ipſius cauſſas non vnas in id, atque nouum vna argumentum tibi pro cetera vbertate tua exſurget ſtili tui feliciſſimi ad patriæ rerum copioſiorem explanationem diffundendi. Ceterum altera quoque ratio fuit, cur modo conuolauerim

ad perſcribendas iſtas tibi literulas, quia nempe auide exſpecto reſponſionem tuam ad meas ſub nuperis nundinis ad te datas. Nihil enim et facilius tibi mihique iucundius eſt, quam hoc mecum epiſtolare commercium. Cui ſi quid veſtratium ſubinde libellorum adieceris, rem mihi facies vtique longe gratiſſimam. Nihil certe veſtris ſcriptis appetentius videre deſidero: quæ eſt honeſta alieni concupiſcentia. De publicis proxime. Hæc properato ſcripſi. Vale, optime amice!

CVII.

Conringius arguit *Boineburgium* vulgatarum literarum, vtpote quæ in Aula Cæſaria circumferantur.

Helmſtadii d. 2. Ianuarii 1659.

Præter morem tres propemodum menſes ſilui, etſi interea binis literis tuis humaniſſime prouocatus ad ſcribendum. In cauſſa fuit, ne quid diſſimulem, quod præter exſpectationem intellexerim, meas ad Illuſtrem Excellentiam tuam exaratas hactenus in ipſa aula Cæſarea circumferri, et propterea neſcio quid non in me ibi cudi, præſertim quoniam ſimul audiam *maximus incentor Suecicorum motuum.* Et vero ſenſi haud obſcure, me meaque omnia a nonnullis obſeruari, iis maxi-

xime, quibus illud Germaniæ tranquillandæ ſumme neceſſarium fœdus Principum eſt quaſi ſudes in oculis. Etiam hoc enim, vt et alia quammulta, quæ Francofurti non ex illorum voto ſunt acta, meis ſuggeſtionibus non dubitant tribuere. Ceterum Deus mihi teſtis eſt, quam ego ab omnibus turbulentis conſiliis fuerim ſemper alieniſſimus. Quam auide hactenus curauerim pro tenui mea conditione, vt Germaniæ ſua libertas et publica tranquillitas firma conſtet, nouit ipſamet Illuſtris Excellentia tua. Neque conſcius mihi ſum cuiuſquam epiſtolæ ſcriptæ in aliam ſententiam, eoque, quod mihi nonnulli minitantur, periculum excipiam equidem animo intrepido. Neque impoſterum a commercio literario abſtinebo, modo intellexero, id nec Excellentiæ tuæ moleſtum fore. Vt enim hoc etiam non diſſimulem, accepi, et tibi vehementer eoſdem illos meos calumniatores minari, imo grauiter quoque ſuccenſere Eminentiſſimo Principi Electori, ceu inuiſi illius fœderis auctori potiſſimo, atque adeo ex *Romana curia* ingentem moleſtiæ cumulum iam tum parari. Scio, vos quidem hæc ridere. Et vero quicquid ringantur, ipſomet illo fœdere etiam Eminentiſſimus Princeps ab omni iniuria e-

 rit

rit tutus. Mea ſors imbecillior eſt: Dei tutela tamen ſubnixa quia eſt, nec ego quicquam temere metuo. Illud Altiſſimum Numen ſupplex veneror, vt Germaniæ quietem porro benigne ſoſpitet, bonoque publico cumprimis Eminentiſſimum Optimumque Principem, tum etiam te, Illuſtris et Generoſe Domine, et hunc et ſecuturos plurimos annos omnigena beet felicitate.

Cras profecturus ſum Wolfenbuttelum, iturus perendie exequias incomparabili viro, et vtriusque noſtrum ſummo amico, *SCHWARTZKOPFIO*. Ita viuitur. *Debemus morti nos noſtraque.*

CVIII.

Negat *Boineburgius*, ſe vmquam cuiquam Conringianarum epiſtolarum copiam feciſſe, virumque ſecurum omnis periculi eſſe iubet; at *Schwartzkopfii* obitum luget.

Moguntiæ d. 23. Ianuar. 1659.

Stupeo ac ſimul doleo, credi, tuas ad me hactenus datas in aula Cæſarea circumferri. Sic viuitur, vt falſis rumoribus diditis malum publico et amicitiis quoque priuatis inferatur. Deus mihi teſtis eſt, me nunquam tuarum copiam cuiquam feciſſe vel bono, nedum alienis a noſtro ſcopo ac inimicis paci communi hominibus. Exiſti

xiſtimo hos ſuſurros falſos eſſe, ac feri ab hoſtium maleuolentia. Commentitiis enim eiuſmodi rebus hodie luditur. Sis, amabo, ſecurus de his omnibus. Quid diſcriminis cudi in te poteſt? Quid in me? Quid in meum Principem? Oderint, dum metuant. Agimus nil mali, ſed alaboramus pro publico. Calumnias ac obtrectationes vbique experior. Deus autem nos cuſtodiet! Idem vero maxime fœdus noſtrum proſperabit, et mille bonis euentibus fecundabit in dehoneſtamentum eorum, qui bella volunt. *D. Schwartzkopfii* noſtri obitus me in corde meo angit. Requieſcat in pace! Cum *Vorburgio* de reliquis agam. Obſecro, ſcribere ne deſine. Hæc volui, cum me tam varie tuæ primum acceptæ afficerent. Vale.

CIX.

Animos reſumit *Conringius*, et libertatis publicæ defenſorem porro ſe fore ſpondet.

Helmſtad. d. 24. Ianuar. 1659.

Quoniam ea conditione omnes nati ſumus, vt bene agendo calumnias euitare nequeamus; feramus æquo animo, quod mutare non licet. Interim, freti conſcientia recti et diuino auxilio, a-

gemus pro ſe quiſque quod publice conducit, non compoſiti ad libidinem illorum, qui per fas, per nefas, ſtruunt dominatum. Ego parum valeo; forte etiam nihil: faciam tamen quod potero, certe fauebo tibi aliorumque tui ſimilium præclaris conatibus, et bene precabor. Si Eminentiſſimo vero tuo hinc quidquam diſcriminis impendet, equidem grauiter doleo; non dubito tamen ab optimo et fortiſſimo Principe nihilo ſecius bonum publicum curatum iri, et tanto animo diuinum auxilium haud defuturum, perinde atque Deus adfuit illis curis, quibus Monaſterii et Oſnabrugæ æterna nominis laude pacem publicam Germaniæ noſtræ reddidit. Quicquid ſane eſt in me etiam ingenii, id bono ſummi Principis eſſe paratum, velim ne dubites. De fœdere, quicquid ringantur maleuoli, ita equidem ſentio, in illo ſitum vnice eſſe præſidium tranquillitatis Germanicæ aduerſus internos pariter atque externos illius inimicos, ac proinde eſſe habendum inſtar Palladii. Quanquam exiſtimem, tum demum res Germaniæ omnino fore ſecuras, quando militia illa mercenaria noſtra in minore fuerit pretio, et ratio armorum obtinuerit iterum, quæ omnibus apud nos fuit ſeculis ante hos centum quinquaginta

ta circiter annos. Quod ego itaque iuxta optimum p. m. *Schwartzkopfium* illius fœderis primus ſuggeſtor per calumnias audiam, forte non tam mihi eſt dolendum, quam gaudendum. Et vero quis bonus nolit videri iuuiſſe rem tantam? Spero ſane, fore, vt a me perſuaſus fœderi illi etiam alius Princeps accedat, atque det nomen. Nec enim deſinam illi fœderi, quacunque ratione potero, pro mea tenuitate ſaltem, optime cupere. Vtinam et *Conuentus Deputatorum* poſſit integer ſeruari, hoc eſt, impediri, ne totus diſſoluatur! Poſt fœdus ſane nihil illo hodie rebus Germaniæ eſt vtilius. Non temere vtique cedendum eſt illorum molitionibus, qui hunc conuentum omni ſtudio nituntur euertere. Etſi enim in illa Cæſaris nonnullorumque Electorum a conuentu iſthoc auerſione iuſtum fructum capere inde non liceat; hoc tamen cauetur, ne minus Aulæ Cæſareæ et paucorum conſpirantium inſanis conſiliis res omnis Germanica facile adeo iacturam faciat libertatis pariter et tranquillitatis ſuæ: quod commodum profecto per eſt magnum. Quod iam alter Princeps Hiſpano ſit natus, ſerio equidem gaudeo, optans illum numerum triplicari, imo quadruplicari. Magno ſane periculo eripitur Germania

nia per multitudinem illius ſobulis. Forte haud abs re fuerit, ſi Eminentiſſimus Dominus Elector curet cantari *Te Deum.* Quin tua Illuſtris Excellentia id iuxta mecum ſit factura, equidem non dubito. Et tamen haud ignoro, haberi illam fautorem ſummum Gallicarum partium, et inimicum Hiſpanicarum. Sane poterimus hymnum illum nos canere magis ſerio, quam Auſtriaci ipſi. De pace inter Hiſpanum et Gallum componenda, ſi vera eſt et ſeria mens partis vtriuſque, quo de multum adhuc dubito; non exiſtimauerim tamen hinc periculum aliquod Germaniæ imminere, quoniam Galliæ cumprimis intereſt, ne creſcat apud nos Auſtriaca potentia. Vtinam componantur et feralia illa Septentrionis arma! Germaniæ certe ſumme fuerit vtile, ſi poſſit priſtina ſeruari virium temperies. Difficile enim inter potentes quieſcere. Sed quid prolixa hac epiſtola moror Excellentiæ tuæ negotia? *Blumium* noſtrum ſaluere opto. Eſt ille in ære meo, hoc eſt, et literas et nummos priſcos mihi debet. Malum nomen video appellandum eſſe. Si et tua Excellentia poſſit augere meum theſaurum nummarium aliquot ex Moguntinis ruderibus effoſſis, fecerit ſane mihi rem gratiſſimam. Mitto duo pro-

gram-

grammata: proximis nundinis Deo volente aliquid granioris pretii dare potero.

CX.

Boineburgius affectos et promiſſos *Conringii* libellos poſtulat, et ſpernere calumnias ſuo exemplo iubet.

Moguntiæ d. 26. Febr. 1659.

Tuæ 24. Ianuarii Iuliani ſcriptæ ad me ſunt rectiſſime perlatæ. Vna aduenere duo programmata, eo nomine cara mihi grataque, quod te auctorem eorum agnoſcis. Quæſo te, frequenter me talium miſſu erudi. Nihil enim optatius aut lætius accidit. Rem tuam nummariam vt iuuem aliquatenus, allaborabo. Nundinarum magno teneor deſiderio vel ideo, quod tum tandem quid tui rurſus nobis obuenturum eſſe confidam. Quid reſtitas, mi amice? Quidni prudentiæ ciuilis miſereris, vel noſtri potius, qui tuum de illa librum vſque adeo diſcupimus? An nulla ſpes ſuperat laborum tuorum mox viſendorum de teſtimonii humani auctoritate; de propagatione eruditionis per omnia cumprimis a Chriſto ſecula; de cauſſis corruptæ Germanicæ reipublicæ ac medelis; de Germanorum Romano Imperio; de militia, æ-

 rario,

rario, Comitiis, fœderibus et pactionibus Imperii Germanici? Gaudeo, calumnias, quarum hoc æuo infinita ſeges eſt, a te ſperni. Quei eas pluris facias, quando iaciuntur in te, quia recte ſentis de republica, cum nihili facias tamen, quas ſæpe in eruditionis negotio es expertus? Ego illis duratus ſum, vt amplius ea non morer. Deo notum eſt, quam indigna patiar; quot compendiis exciderim; quantis odiis obiecter, dum pro publico ſincere aduigilandum eſſe contendo, idque ſine interſtitione, ſine miſſione. Fiſus Deo, non ſum ſollicitus de euentu. *Bonum Dominum habemus; Bonum dabit.* De actionibus meis bonos teſtes laudare poſſum Sereniſſimæ Brunſuigicæ Domus Francofurti legatos, D. D. *Heilandum* ac *Wittium.* Si quid fiat hic et circa, non omittunt ad vos explicate perſcribere. Cis pauculos dies proficiſcar Heidelbergam, præcipue vt fœdus pro pace noſtrum ac *Deputatio Imperii* in integro perſtent; quin et firmentur amplius. Vale, Vir dilectiſſime!

CXI.

Conringius mittit nonnulla ſua *Boineburgio.*

Helmſtad. d. 14. Mart. 1659.

Cum

Cum literæ, quas Excellentia tua d. 26. Febr. exarauit, mihi Wolffenbutteli traderentur, domo abfueram per tres integras hebdomades. Quod ideo indico, vt appareat cum cauſſa ſilentii diuturnioris *, tum eius quare non ex voto omnia expedire liceat, tot ſcilicet et tam variis occupationibus atque itineribus diſtricto. Et vero effecerunt quam multa inſperato mihi imperata impedimenta, vt ne nunc quidem nundinæ exhibeant eorum quidquam, quæ dudum affecta habeo. Tradet tamen bibliopola noſter *Caſſandrum* meum, infinitis locis auctum emendatumque; ſed cum præfatione nondum perfecta: idque in id, vt eo mihi ſit promptius, quæ deſiderantur, plagulas meliore quauis occaſione tranſmittere. Hunc demum ſequetur labor deſideratus de ciuili prudentia, vt et *Machiauelli* Princeps, mea cura recenſitus: nec enim animaduerſiones politicas, quas nunc publice ad calamum dicto, niſi demum aliquot poſt annis publicare eſt conſilium. Pro ſtudio iuuandi rem meam nummariam, tam etſi vere ſit res ludicra, et nullius in republi-

ca

* Longe diuturnius *Boineburgii* ſilentium et vltra annuum fuit. Cauſſa mox patebit.

ca commodi, habeo gratias. Illuſtri *D. Vorburgio* mea mittere, quæ adhuc habeo, qualia ſunt tamen non niſi pauca, prohibuit me nimia feſtinatio bibliopolæ, vt qui opinione citius ſua conuaſauerat. Mittam tamen omnia proxime, quæcunque ſuperſunt, argumenti politici. Medica enim et philoſophica nulla ſuperant, et Theologica forte non deſiderantur. Pergere Excellentiam tuam ſtrenue in iuuando bono publico, equidem gaudeo! Macte ſis illa virtute, et perge, o optime, ſpernere vulgi calumnias, aut quæſtum, qui ſperari poterat ex prodita Germaniæ ſalute! Adiuuet quoque Deus optimos conatus Eminentiſſimi Domini Electoris, et quicquid ſiue Roma, ſiue qua alia Aula machinetur, forti dextera euertat! Vana ſunt *Alexandri* * terriculamenta, modo fœdus probe firmetur. Quod vti quam primum fiat, intereſt profecto pacis publicæ.

CXII.

* Alexandrum VII. tunc Pontificem Maximum; non autem certum Purpuratum aut Cæſarem ipſum tecto nomine hic appeti, docent, quæ leguntur *p. 307.* de minis *Romanæ Curiæ*.

CXII.

Conringius male ominatur *Boineburgio* in cauſſa Pro-Cancellariatus S. R. Imperii *.

Helmſtad. d. 18. Aug. 1659.

Prodiit tandem aliquando integra mea in *Caſſandrum* præfatio: cuius proinde plagulas vltimas bibliopola, qui Francofurtum commigrat, offeret. Vtinam placeret tibi etiamnum illa ſaltem *Caſſandri*, *Wicelii* et *Eraſmi* ſacra moderatio, quæ per omnia differt a *Tridentiniſmo* et *Romaniſmo* illo, quo nunc maxime laborat *Catholico* nomine perſonata Eccleſia! In præfatione contexui apologiam aduerſus criminationes, quibus paſſim ſolent peti res Auguſtanæ. Quam ſi legere non fuerit graue, fortaſſis nonnulla ex animo recedent, quæ nunc illum trahunt diuerſum. Quod vti fiat, Deum obſecro et veneror. Fiet autem, non dubito, ſi primum ad *Caſſandri* et *Wicelii* doctrinam acceſſeris ſerio et animo integro.

---

* Hæc Epiſtola ad *Boineburgium* non peruenit, quia is interea ad Pyrenæos Montes, vbi inter Gallum et Hiſpanum pax ſancita, excucurrerat. Saltem illi nihil repoſuit. Pertinent huc literæ ſupra *p.* 1. et *p.* 256. exhibitæ.

gro. Qualis autem ſi fueris, vereor, vt ſis idoneus magno illi muneri, cui Eminentiſſimus Elector Excellentiam tuam deſtinauit. Scio quidem, longe ampliſſima illa Imperialis Aulæ dignitate quondam ornatos fuiſſe nonnullos vel plane tales, vel non multum abſimiles, et fuiſſe tum Imperii res longe florentiſſimas. Sed hoc quondam. Nunc vero, ex quo Ieſuitica Theologia inualuit, quam ibi omnia mutauere! Quam nihil ibi moderatum, nihil mite! Quam diuerſa ibi hodie eſt facies ab illa, quæ obtinuit Ferdinando I. et Maximiliano II. Cæſaribus! Ceterum vereor ego et illud, vt illam nactus prouinciam poſſis eſſe is, quem te hactenus in reſpublicæ negotiis oſtendiſti, amans publicæ quietis, et libertatis omnium Imperii Ordinum prudens moderator: cum ab illis conſiliis vſque adeo alienum ſeſe Aula aperte oſtendat. Eſt autem iam vetus illud *Tullii* et multo veriſſimum: *Vbi non ſis, qui fueris; ibi non eſt, cur velis eſſe.* Neſcio igitur, num his probe perſpectis, hoc eſt, perſpecto ingenio tuo pariter et Aula iſta, ægre feras, quæ tibi mouentur tricæ, aut num magnopere etiamnum velis locum iſtum tibi patere. Equidem, ne quid diſſimulem, tantum abeſt vt illum tibi optem, vt potius

De-

Deum precer, ne permittat te dari in illum Labyrinthum: idque quoniam metuo, ne illum nactus, dispendium facias vel pristinæ virtutis, vel speratæ felicitatis. Certe repulsam si tuleris, ibis ornatior, non minus ac *Cato* excidens ambita Prætura. Vt ad mea reuertar, occupor iam in parandis nuptiis filiæ, quæ nubet Consiliario Ostfrisico, *D. Antonio Paulio*, Dithmarso, propediem. Illis confectis, absoluam cum Deo, quod reliquum est libri de ciuili prudentia. Audio lectas tibi meas in *Machiauelli* Principem animaduersiones. Rem vero longe gratissimam feceris, si acri censura adhibita sententiam tuam candide de singulis exposueris. Curaui illius *Principis* nouam editionem, iamque excuditur mea præfatio. Vale.

CXIII.

A Pyrenæis Montibus reditum in patriam *Boineneburgius* significat *Conringio.*

Wirceburgi d. 6. Mart. 1660.

A finibus Hispaniæ, vbi vltra semestre hæsi, redux, arbitratus sum, me multa reperturum domi esse a tua manu recens edita, imprimis librum optatissimum de ciuili prudentia. Ast, quæ est aut

aut infelicitas mea, aut tarditas tua, ſpe illa ac opinione falſus, ad ſtilum ecce! conuolaui, vt tecum conquerar. Multis defunctus hucuſque moleſtiis, putaui me ſic poſtliminio quaſi poſſe exhilareſcere. Sed crede mihi, mi amice, plus gaudii capere me nulla ex re, quam eo nuncio, qui ferat, te bene valere, et publico, vti ſoles, litare ſtrenue. Sane, ſi vnquam, hodie per eſt neceſſum, labores pro nutante patria intendere, tuique ſimilibus vti frequenter, vt operæ bonis doctrinis ſuſtententur. Quantum malorum ex inſcitia, vt prauitatem affectuum ſileam, in rempublicam exundet, tute noſti iuxta mecum, idque longe exploratius. Quæſo te proinde, noli nos diutius ſentitie tua diſcruciare; quin, ſodes, ede tandem, quæ pro Imperii rerum neceſſario illuſtramento atque ſtatumine habes in promptu! Quid reſtitas? At quo prolabor? Volui his ſaltim literulis te meæ domum reditionis certiorem facere, teſtarique, quod te tuaque diligere et colere neque ceſſem, nec deſinam. Precor amanter, vt tua me beneuolentia porro proſequi viciſſim digneris, et proximis nundinis Francoſurtum cures omnia edita, ex quo in Gallia fui, tranſuehi, mihique reddi. Libenter numerabo et vecturam

et

et reliquum pretium. Nihil enim in meis mihi laboribus maiore et præſentiori eſt alleuamento *. Vale, amice cariſſime!

CXIV.

Boineburgius laudat *Conringio* labores *Philippi Labbei.*

Wirceburgi d. 10. Mart. 1660.

Domum me a finibus Hiſpaniæ rediiſſe, ex nuperis meis compereris. Iam mitto munuſculum ex illa peregrinatiuncula tibi diſtinatum. Credo, non eſſe diſpliciturum. Inter reculas meas nihil reperi rebus tuis æque profuturum. Editur nunc denuo in Gallia *Bellarmini* multæ frugis pleniſſimus libellus *de Eccleſiaſticis Scriptoribus:* cui *Labbeus* ſubiungit Diatriben *de Scriptoribus ſacris, quorum Bellarminus haut meminit.* Hic P. *Labbeus* meditatur iuſtum librum de omnigenis omnis æui omni loco Scriptoribus. Amabo, mi amice,

* Interſperguntur hic ſubinde vocabula, quæ prima fronte meram videntur ſpirare barbariem; pleraque tamen, ſi ad incudem reuocaueris, bonis auctoribus vſurpata deprehenduntur. Hoc certe *alleuamento* neſcio quid *Italici* ſonat. Et tamen Ciceroni vſurpatum inuenient, qui quæſiuerint.

ce, noli inuidere erudiri cupientibus commentarium tuum de eruditionis per omnia retro ſecula cultoribus, potioribuſque in monumentis cumprimis ſuperſtitibus tractatoribus. Huius operis memini te facere mentionem Helmſtadii antehac, cum loquereris de orationibus tuis, in laudem Ariſtotelis dictis, annotamentis quibuſdam illuſtrandis. Vale, mi optime, et eruditionem omnem et ciuilem prudentiam colluſtrare perge.

CXV.

Conringius gratulatur *Boineburgio* fauſtum reditum in patriam, laborumque ſuorum Academicorum rationem reddit.

Helmſtadii d. 9. Mart. 1660.

Binas abs te literas intra proximum triduum, ſed ordine retrogrado, accepi: alteras enim iam ante hoſce tres dies Sereniſſimi et vere *Auguſti* Optimique Principis ac Domini mei cura nactus ſum; primas autem hodie demum accepi. Dici non poteſt, quantum illæ me exhilarauerint. Multiplex ſcilicet lætitia vno me momento quaſi totum occupauit, idque cumprimis, quod ex longinquo itinere reducem quaſi oculis cerno te, vt ſanum corpore, ita et animo cum erga rem-

publi-

publicam, tum etiam erga me eundem, quem olim, hoc eſt, optime conſtitutum: quod ego ſane magna in felicitatis parte colloco. Solent enim eiuſmodi peregrinationes ſæpenumero vim ſanitati facere; ſæpe etiam mutare mores et animum in ſequiora. Equidem Deo gratias ago, quod integrum ab omni parte te Germaniæ reddiderit. Vtque diu talem te ſoſpitet, maximum illud Numen oro obſecroque. Nec tamen mei priuatim cauſſa id vſque adeo peto: quamquam et tuo fauore vix aliquid habeam prius: quam reipublicæ, cuius pax et tranquillitas vnice adhuc fouetur illis conſiliis, quorum cauſſa tot ſumptus facti, et tot tibi moleſtiæ domi foriſque natæ ſunt, quas profecto non temere alius æque forti animo exciperet, vt plerique hominum magis priuato ſtudent commodo, quam publico. Veriſſimum nempe eſt, quod ſcribis, mutari rempublicam, idque partim inſcitia, partim improbitate eorum, qui curam eius ſuſceperunt, eoque vnice profecto opus nobis eſt, qui nutantem fulciant, atque a ruina defendant. Id quod fortaſſis minus difficile fuerit inpoſterum, ſi ſerio Gallus perrexerit minitari arma illis pacis Germanicæ turbatoribus, nihilque illis in prætextum amplius ſuperſit, ſubla-

to ruinæ ſuæ metu, per Regis Sueci mortem, quam nunc fama ſpargit. Sed de his agi deinceps inter nos poterit per literas, ſi ita tibi viſum fuerit. Negotia mea literaria quod attinet, nihil publicaui memoratu dignum, poſt *Caſſandrum*, et prolixam in librum illum præfationem meam. Miſi vltima omnia iam ſuperioris anni menſe Auguſto, cum prolixis ad te literis duodeuigeſimo menſis illius die exaratis *. Spero omnia recte tradita; etſi id hactenus haud ſignificaueris. Vtinam eadem etiam tibi placeant! Non multum vero diſplicebunt, ſi adhuc *Wicelianis* ſententiis es addictus, qualis fuiſti, poſtquam partibus Proteſtantium valedixiſti. Ex eo nihil in illo argumento publicaui, præter Epiſtolam ad *D. Titium* noſtrum, quæ diſcutit ineptias *Viti Erbermanni*, quibus priores decem plagulas præfationis meæ in ſuo *Anti-Muſæo*, quem in tuum nomen eſſe editum vehementer doleo, impetere conatus eſt. Illam proximis nundinis vna cum *Titii* Reſponſione habebis. In *Medicis* varias quidem exercitationes publicas inſtitui; ſed illas ſcio abs te haud deſi-

* Non conſultum viſum Boineburgio hiſce quidquam reponere, ob cauſſam facile diuinandam.

desiderari. Vnam habui etiam de Fœderibus, quam itidem mittam. Nihil præterea edidi quidem; absolui tamen animaduersiones in *Machiauelli* Principem, et declamationem primam pro *iudiciali natatione sagarum in aqua*: quæ aliquando videbunt lucem. Nunc cœpi denuo versare dudum sepositas de ciuili prudentia curas, vt sperem tandem aliquando et hunc librum breui a me perfici posse. De omnigenæ eruditionis omnia per secula propagatione memini iam ante complures annos abs me dictatum libellum, qui forte ille est, quem desideras. At illius nullum apud me est exemplum, vtpote cum memoriter atque ex tempore illum Auditoribus dictauerim. Sed et non nisi in tyronum vsum confectus ille erat. Ægre autem abs me impetro, vt talia edam. Forte tamen posthac agam, quod suades. *Labbii* Iesuitæ opusculum gratum mihi donum est, quia iam dudum inspicere desideraui. Vtrum ille possit facere pretium operæ in *Athenæo*, quod appellat, publicando, vereor. Video enim virum esse bonum, industrium et iuuandæ rei literariæ studiosum; nulla autem solida præditum doctrina, qualis tamen requiritur ad tantum opus. *Bellarmini* libellum augere in facili est; num autem ille

id possit pari elegantia, docebit dies. Quoniam vero etiam sic poterit prodesse aliqua ex parte saltem, agemus viro gratias. Vtque parum aut nihil prodesset, laudanda tamen voluntas fuerit. Vtinam tali animo sit *Erbermannus!* Sed illum furiæ agitant. *Blumio* nostro multam salutem precor, missurus et illi proximis nundinis quædam mea, et vicissim ab illo exspectans, quod promisit, supplementum rei nummariæ Romanæ veteris. Rem laude dignissimam præstiterunt nuper Eminentissimi D. D. Electores, cum Palatino Neoburgico negantes transitum militi Cæsareo. Nisi enim vehementer fallor, id agitur, vt *Monasterium* vi occupatum cedat in præsidium militi, vnde tanquam ex arce possit sub iugum mitti, quicquid est Rhenum inter et Visurgim.

CXVI.

Boineburgius a *Conringio* adiumenta flagitat in lectione *Grotii*, et de diuersis scriptis iudicium eius exquirit.

Moguntiæ d. 2. April. 1660.

Tuæ 9. Martii scriptæ Darmstadii recte mihi sunt redditæ. Iis breuiter iam respondeo in antecessum, vt videas, me non sanum modo, sed inte-

integro animo ex Galliis rediiſſe domum, tuique eſſe amantiſſimum. Nihil equidem magis optem, niſi copiam tui viſendi et appellandi. Per literas enim, inter tot ardua negotia præſertim, vix explicare animi ſenſa, ita vti volumus, plene poſſumus. Fiet id tamen propediem. Poſtremas *Caſſandri* ac *Wicelii* plagulas, quas me abſente huc miſſas ais, non accepi, nedum vt prolixas, quarum meminiſti, 18. Auguſti ſcriptas literas tuas vel viderim. Doleo vehementer, eas intercidiſſe, rogoque, ſi apographon habes, earum me adhuc facere velis participem. *Titii* ad *Erbermannum* reſponſio adueniet exſpectatiſſima, et ipſius præcipue *Muſæi*, viri docti et iudicio eximio præditi, nec immoderati, et diſputare gnariſſimi. *Medica* tua perplacent, et nulla me re æque exhilarare poſſes, niſi omnium promiſcue miſſu, quæ a te eduntur. *Politica* vero vtinam operoſius commentareris, prout optime omnium potes, cumprimis Imperii noſtri Germanici! Diſquiſitio tua de fœderibus, et in *Machiauelli* Principem meditamenta, et de *natatione ſagarum*, et ante omnia aureus liber tuus de ciuili prudentia maxime in votis ſunt meis. Huius folia habeo vſque ad *p. 184 incluſiue.* Rogo his nundinis me talium

 com-

communicatione exhilara. Multum quoque hauebo discere ex te iudicium tuum de *Sluteri* Anti-Hippolyto a Lapide, tum de *Feldii* et *Grafwinkelii* in *Grotium* de Iure Belli conatibus; item de *Cartesii* et de *Gassendi* operibus. Oro etiam ne dememineris vtilissimi opusculi de Scriptoribus, quo iuuentutem ad præclaram eruditionem veterum consectandam olim instimulasti. Exemplum mihi adhuc est vnum, quo plurimum lætor. P. *Labbeus* magnum opus molitur de omnis generis auctorum notitia et vsu. Neque dubitandum, quin *Bellarmini* de sacris Scriptoribus libellum maiore et elegantiæ et doctrinæ vbertate illustrare, ornare et augere potuerint *Sirmondus* vel *Petauius*, aliusque etiam ex isto grege in Gallia Lutetiæque librorum sciens nomenclator. Quid alii collegæ tui agant, pariter scire desidero, oroque, vt *Heidmanni*, viri diserti, Cæsares mihi simul compares, pretiumque significes. Id sincere refundam, et proxime pluribus occupabo scribere.

Mi optime. Ex nemine et libentius disco et felicius, quam a te. Cum igitur nunc in eo sim, vt *Grotium* de iure belli et pacis denuo pellegam, vsu ad eius intelligentiam forte comparatior; oro

te,

te, manuductionem tuam mihi ne denega, et paucis, vel multis, quod gratius esset mihi, sidera et astra quasi quædam signa, secundum quæ hunc laborem cum fructu et profectu possim regere. Tum adde, si lubet, quinam præterea Scriptores alii in id, vt *Grotio* tanto rectius et plenius frui liceat, adhibendi atque peruolutandi veniant. Nemo sane hoc in negotio mihi vberius ac certius prodesse potest, quam tu, Vir optime. Sæpe optaui, imo Deum oraui, vt eam tibi mentem indat, qua animeris ad illustramenta quæpiam Grotiano isti incomparabili operi apponenda. Memini videre, quæ ad libellum eius pro veritate doctrinæ Christianæ ex omni retro antiquitate notasti. Præsto quidem sunt ipsius *Grotii* ad ius belli annotamenta; sed quæ videantur nimis parce et auara manu data esse. Quid si ex recentioribus Gestis nonnihil tu, si non vt edas, saltem vt amicos priuatim instruas et adiuues, ad iuris præsertim Gentium collustrationem scribas, vt exemplorum nouitate definitionum robora eo euidentius patescant? Quid? si et ipsam rei structuram aliquatenus felici tuo stilo adornes in expeditiorem pragmatici actus in publico vsum? Si, quæ obscuriuscula sunt, distinctius et luculentius,

quæue omiſſa aut iuſto breuius poſita, locupletius ac liberalius exponas, adeoque Iuriſprudentiæ veram vim et facultatem orbis conſcientiæ ita ingeras, vt tandem appareat liquido, diſciplinam hanc longe ſecus ſeſe habere, atque traditur in vulgus, exporrigique vltra modulos legum nationalium et poſitiuarum, et ſupra forenſem illam cauſſidicinam ac cocionaturam, ad ipſam in rerum natura animaduerſorum ponderum medullam, ad rationis et diuinæ regulæ interiorem perſpicientiam, et ad ea vſque omnia, quæ, habitu practico duce, per ordinatam iudiciorum ac bellorum, quæ illis in neceſſitate ſufficiuntur, adminiſtrationem, ad æquabilem iuſtitiæ et pacis, aut in pace, fruitionem deueniunt. Multum equidem luminis ad iuris philoſophiam penitius noſcendam affundit tua in *Hopperum* multæ bonæ frugis pleniſſima præfatio. Foret tamen e re, et magnum ſane laboris pretium, ſi, veſtigia *Grotii* in prolegomenis eruditiſſimis ſecutus, introductionem quaſi quandam et apparatum, qui id vnice potes, ad iuris veri et oicumenici, quod inter gentes viget, omniſque ſocialis rectitudinis intimiorem perueſtigationem commolireris, et nobiſcum faceres eſſe communem. Mirum enim dictu, quan-

quantum emolumentum e progyinnaſmatibus eiuſmodi atque prænotionibus ad publicum ſoleat redundare. Minatur *Feldius* conſcriptionem aliquam Iuris Gentium. Aſt tale quid quis non mallet a te exoptare? Id genus commentatio non inepte ſubiungeretur operi de ciuili prudentia. Cuius vera indoles, natura et conſtitutio, te interprete, demum recte peruidebitur. Quidni et iuris prudentiæ tantundem opis adferas? Annon perinde *Grotium* de belli iure, quo libro nihil eſt in hoc genere abſolutius, ad lectitationem et vſum, et pari cum interuſurio, appares, et totidem cum vtilitatibus, in humanum eruditioniſque amans genus dimanaturis, eum quaſi obſequentem reddas ac miteſcere cures, atque *Bœclerus* antehac ſua peculiari diſſertatione fecit de *Lipſianis politiis*, quarum indicatione et ad actum rerum vſumque publicum accommodatione hominis illius fama potiſſimum effloruit. Quæſo peramanter, ſuſcipe tantillum hoc curæ, et annota præcipuos de iure naturæ et inter gentes auctores, vti de politicis facis, de Phyſicis aliiſque. Cum tot exſtent bibliographiæ, etiam Scriptorum de tritura fori; quidni et de his aliqua ſit ſperanda?

CXVII.

CXVII.

Boineburgius mittit *Conringio Chambrai* quædam, et laudata Gallorum in vernaculam impenſa diligentia, longum Bibliographiarum omnis generis catalogum texit.

Moguntiæ XII. April. natali meo XXXVIII. anno 1660.

Optime Amice.

Scripſi nuper de *Grotio* noſtro, eiuſque cumprimis libro in publicum vtiliſſimo, quo *ius publicum populorum* * ſociale in bello ac pace expo-

---

* Hæc verba oſtendunt, *Boineburgium* vſum fuiſſe operis Grotiani editione Blæuuiana ex anno 1632. ab ipſomet *Grotio* curata et recognita, qua dicuntur his libris *ius naturæ; gentium item iuris publici præcipua* explicari. Quæ inſcriptio poſt fata *Grotii* ſiue editorum ſiue librariorum incuria in alium ſenſum rapta, atque ita immutata eſt, vt hodie dicantur iis *ius naturæ et gentium, item iuris publici præcipua* explicari; cum tamen eius, quod vulgo *ius publicum* appellamus, nihil iis contineatur, et *Grotio* ſub iſta appellatione *ius gentium* venerit, quod *Boineburgius* hic eleganter non minus quam valde appoſitè *ius publicum populorum ſociale* vo-

posuit. Rogo te iterum etiam atque etiam; tuum mihi perscribas iudicium de illius, quae exstant, operibus omnibus, cumprimis quae aliquid iurisprudentiae tangunt, de mari libero, florum ad Iustinianeum ius sparsione, et introductione ad ius Batauicum; quam non reddi ex Belgico latine, per est mirum. Imo per esset optandum, vt bene latina quam primum prodeat. Memini legere, quae in II. librum de iure belli notaueras. Eorum vt facere copiam mihi velis, oro. Exscriptori pretium soluam, tibique cum interusurio refundam omnia in id, si qua facis, impendia. Simul cupiam nancisci, quae olim in libellum aureolum pro veritate Christianae religionis es commentatus. *Vorburgius* te amanter salutat. Collegit meo petitu omnia sua historica, quae IV. spissis voluminibus constant, tibi vt transmittantur. Quod breui faciam. In redhostimentum velim tua omnia, quorum apprime est amans ac appetens, componas, et ad nos per occasionem amandes, quae sane cum multa gratiarum actione

ne

---

vocat. Videantur, quae post amicissimum olim nobis *Iustum Christophorum Boehmerum*, Abbatem Luccensem, obseruat celeber. *HEVMANNVS Poecil. t. 3, p. 375.*

ne accipiet, et reliqua sua cum tempore tibi perinde summittet. Ceterum ex Gallia mecum, praeter pauca alia, attuli opusculum forte placiturum Domini *de la Chambre*, qui apud Cancellarium regni, *Petrum Seguierium*, est eximio loco, socius principis hodie Gallorum historici,[1] cuius iam continens historia vsque ad Ludouicum XIII. tribus grandibus tomis exstat, *Messerei*. Est ea domus eruditorum receptus ac perpetuus conuentus. Auebo ex te discere, quomodo de illo Aristotelem et Coum vestratem interpretandi tentamento nouo sis arbitraturus, qui id omnium optime potes. Gallice quin scias, non dubito. Ideo spero, versionem libri primi Physices Aristotelicae non displicituram. Excellunt hodie Galli in optimis quibusque veteris aeui scriptoribus sua ciuitate donandis. Historicos egregie in gallicum conuerterunt plerosque, recenti huius temporis munditie ac castimonia, Polybium, Liuium, Curtium, Caesarem, Arrianum, Xenophontis nonnulla, Tacitum, cuius geminam eandemque nouam versionem habent disertam et tersam, quaeque instar commentarii esse possit. Vsque adeo autem in hac opera excellunt, vt et eam ad ipsa Freinshemii cum Curtiana tum Liuiana supplemen-

menta, et ſuper Tacitum paraphraſtica exporrexerint. Præter hæc talia per ſunt pauci libri vna mecum e Galliis huc delati, ſi excipiam quoſdam ſacri argumenti, præſertim ad pietatem duces, et nonnullos *Ianſenianorum*. *Marinus* equidem *Cureus de la Chambre* magnum nunc in vniuerſa Gallia nomen conſecutus eſt ex cognitione priſcæ philoſophiæ et vſu, eiuſdemque defenſione. Vel hoc nomine tibi arridebit, credo. A multis compactæ eruditionis retinentibus longiſſime præfertur *Gaſſendo*, *Carteſio*, et ceteris nouandi Magiſtris. Scripſit præterea et alios libros, quibus naturæ philoſophiam colluſtrat. Eorum indiculus cernitur in fronte eius libri, quem mitto impræſentia. Inter eos præplacent *Characteres* eius *de Paſſionibus*, quibus *P. Senaldi*, Oratorii Preſbyteri, elegantiſſimum *de affectuum vſu* libellum gallicum, theologice et moraliter conſcriptum, phyſicis illuſtramentis videtur exornaſſe. Si qui ex his libris placent, lubens tranſmittam. Vnum addo, vt in omni doctrinæ genere notare mihi velis *bibliographias*, ſeu methodos ordinandi ſtudii, ſi quæ exſtant, præter tuam *Medicam*, *Scheurlii Moralem* ac *Naudæi Politicam*. *Iuridicam* deſidero, etſi aliquid circa eam molitus *Iacobus*

cobus Godofredus manuali ſuo iuris. *Politicam* vberiorem, et per recentiora tempora porrectiorem opperimur a te in opere de ciuili prudentia. *Phyſicam* olim orſus es in diſputationibus phyſicis; ſed quæ non progrediatur ad indicationem recentiorum Scriptorum. *Iuris* Germaniæ *publici* bibliographiam quandam tuis ad *Lampadium* diſſertationibus antehac præmiſiſti. Id vt vberius iam exequaris, ſimulque introductionem quampiam ad Iurisprudentiæ illius veræ, communis inter gentes et perpetuæ, qualem *Grotius* tradit, cognitionem et vſum, optimorumque, ſi qui exſtant, eius Scriptorum pertractationem conficias, mecumque communices, ex animo precandum eſt. Bibliographias aliarum diſciplinarum fortean alibi reperero. *Mathematicam* exhibet, præter *Blancanum* ac *Hugonem Sempilium*, Gerardus Ioannes *Voſſius*, illa poſt *Hugonem Grotium* in literis et eruditionis cultu mihi æſtimatiſſima anima. Idem et *Hiſtoricam* libris optimæ frugis de Hiſtoria vtriuſque linguæ Hiſtoricorum, et *Poëticam*, opuſculo de Poëtis, et *Oratoriam*, Rhetoricis ſuis commentationibus, publico donauit. *Philoſophicam* quin etiam et *Philologicam*, tum et *Grammaticam*. *Militarem* bibliographiam *Naudaeus*

dæus dat ſyntagmate de ſtudio militari; liberalium literarum, ſeu *Criticam* de ſtudio liberali, libello venuſtiſſimo, qui editus eſt opuſculo, cui epigraphe: *H. Grotii et aliorum diſſertationes de inſtituendis ſtudiis.* *Latinam* præbent *Barthius* Aduerſariis; *Scioppius* item, ac *Albertus de Albertis.* *Theologicam* denique produnt *Giſbertus Voetius* bibliotheca Studioſi Theologiæ; tum ante omnia *Bellarminus*, *Poſſeuinus*, *Sixtus Senenſis*, *Ludouicus Iacobus a S. Carolo.* Non contemnendi quoque ſunt forſan bibliographeias politicæ nuperrimus autor *Cyriacus Lentulus*, et Græcus Politicus *Imhofii;* tum Philologus *Ruperti;* *Wolwerus* dein Polymathiæ, et *Erycius Puteanus* politici ſtudii Scriptores. Amœnitatum politiorum amplus eſt theſaurus in Muſeo ſeu bibliotheca *Claudii Clementis.* Similiter in ſcriptis Orientalibus eximiam operam nauarunt ſuis eruditis enarrationibus *Abraham Echellenſis* ſuis ad *Hebed-Ieſu* notis, et *Io. Henricus Hottingerus*, inſignis hodie Heidelbergenſium honos. In Græcis per eſt celebre nomen *Meurſii* et *Allatii;* in Hebræis *Buxtorſii* exſtat Rabbinica bibliotheca; in Hiſtoria Philoſophica cum *Hornio Ionſius* eſt nouiſſimus, vir diligens. In Eccleſiaſticis et ſacris Scri-

ptoribus recensendis atque censendis noti sunt *Andreas Riuetus*, *Robertus Cocus*, *Io. Dallæus*, *Dauid Blondellus*, *Christophorus Iustellus*, *Petrus Hallosius*, *Raynaudus*, *Delrio*, *Incoferus*, *Launoyus*, *Sirmondus*, *Petauius*. Plures et meliores tu quin noueris, non ambigo. Rogo autem, quantum possum, amantissime et obnixissime, vt super omni eruditionum et facultatum genere me erudias, recensu ac memoratione optimarum *bibliographiarum*. De encyclopædia *Alstedii* quid sentis? Miraberis meam confusionem. Sed scito, eam de industria nunc me elegisse, quia per eam abs te sic selectiora doceri potero, quæ deinceps inseruiant vtilitatibus *vnici mei filii*. Quem vtinam aliquando sub tuo moderamine educari in humanæ eruditionis negotio contingeret! Deus prouidebit! VALE. AMEN.

CXVIII.

Conringius de diuersis auctoribus quæsitus libere iudicat, et Grotianæ lectioni alium nullum scriptorem coniungendum putat.

Helmstad. d. 10. April. 1660.

Dum Principis mei negotiis vaco absens domo, periit occasio mittendi nonnulla mea. Heri tamen

men reuerſus, literis tuis poſtridie Kal. Aprilis exaratis ſentio me ſtimulari, vt, quamuis occupatiſſimus, non poſſim ſine et literis et libello vno atque altero meo dimittere hoſce egregios iuuenes, Heidelbergam properantes; quorum alter eſt nobili genere natus Frenkingiorum; alter huius ſtudiorum et vitæ Ephorus. Accipe igitur nunc ſaltem promiſſum illum *Anti-Erbermannianum* libellum, et nouam *Machiauellici Principis* editionem, quæ nunc adeo in lucem prodit. *Caſſandri* quæ ſuperant, vna cum literis miſi ſuperiore anno ad iuuenem tibi non ignotum in familia Legati Suedici *Biorneklauii Mullerum*, ex quo ſpero me breui percepturum eorum fatum. Nunc in manibus denuo eſt liber de ciuili prudentia, horis ſucciſiuis ante omnia abſoluendus. Nec vero vllum opus aggredi animus eſt, niſi illo iam perfecto; quamuis negotia a libris ſcribendis multum me auocent. Interea igitur neque tu, ſcio, me ad alia vocaueris. *Grotii* librum quin ſis hac ætate, et hoc rerum vſu inſtructus, longe maiore cum fructu, quam antehac, lecturus, equidem haud dubito. Non ſuaſerim autem quenquam Scriptorem alium illi adiungi, quoniam nec reperitur quiſquam, qui vniuerſim ita iuris naturæ et gen-

tium omnia ſit perſequutus. Sed et notæ ipſiuſmet *Grotii* ſatis ſuppeditant, quæ faciant cuiuis rei illuſtrandæ. Quinam Scriptores alias facere poſſint ad ius naturæ adſequendum, ipſemet *Grotius* in prolegomenis ſufficienter docuit, vt, ſi illum ductum ſequaris, non poſſit deeſſe copia eorum ſat locuples. Faciunt autem huc ex recentioribus etiam illi Theologi Ieſuitici, qui Moralem Theologiam aut *caſus conſcientiæ* elaborauerunt; niſi quod ſoleant multa etiam petere ex iure Canonico, quæque adeo mere ſunt poſitiua, et non vnius naturæ auctoritate ſuaſa. Inter illos autem mihi maxime placet *Ludouicus Molina*, et *Diana.* Verum, ceu ante dixi, non opus eſt illos *Grotio* adiungi, et, ſi quos addere velis, ſuaſerim lectionem Ethicorum Nicomachicorum, cumprimis ſeptimi, octaui et noni libri, vt et quorundam libellorum *Couarruuiæ*, et illuſtrium controuerſiarum *F. Vaſquii.* *Sluterus* quæ Hippolyto oppoſuit, quam ſint imparia, etſi interdum non indocta, vel puer rei Germanicæ viderit. *Feldii* et *Graſwinckelii* aduerſaria ſcripta cum Grotianis legi, non abs re fuerit. Valet vterque ingenio; ſed hunc ſæpe in ſcirpo nodum quærere, et duci ſtudio contradicendi, nimium quan-

quantum eſt apertum. *Carteſianis Phyſicis* nihil cenſeo ineptius eſſe. Fingit ille homo, non accipit ab experientia, hypotheſes et principia illius ſuæ philoſophiæ. Hoc autem eſt nugari. Omnis ſane ſcientia certe neceſſum eſt vti nitatur principiis *indemonſtrabilibus*, et per experientiam acceptis. *Gaſſendus* fuit vir elegans, et haud vulgari in Mathematicis peritia; minime vero Chriſtianus, ſed de grege Epicuri, quem illuſtrandum proinde ſuſcepit.

CXIX.

Boineburgius conſilio ſe obſecuturum promittit; notas tamen Grotianas ipſius *Conringii* in ſubſidium petit.

Aſchaffenburgi d. 10. Mai. 1660.

Gratias maximas ago de miſſis duobus mihi libris, quorum vterque mihi, etſi diuerſo nomine, gratiſſimus eſt. Tuus enimuero me, vt omnia tua ſolent, multa inſtructione erigit. Alter dolorem mihi commouet, quod pro mala cauſſa melius ac in ſpeciem fortius ſcribitis vos Helmæſtadienſes, quam alii in bona, minus exercitati in literarum elegantie: vnde libris concinnandis potiora ſæpe lumina accedunt. Summe autem me exhilarauit ſuauiſſima tua epiſtola;

qua mihi ad lectitationem Grotiani de iure belli et pacis operis astra vtilissima signas, ad quæ illam regere queam. Aristotelis Nicomachica semper in deliciis habui, adeoque iam tuo iussu relegam sedulo. Neque in id parum bonæ frugis forte attulerint *Racheliana* prolegomena, felix tuæ ad politicen introductionis imitamentum. Vnum abs te peto, vt, quæ olim in secundum librum *Grotii* annotasti, mihi exscribi meo impendio cures, ac mittas; cumprimis vero aduertas, vbi a *Grotio* quandoque dissentias. Scio enim, non vnas quoque ipsi inesse labeculas, quarum non postremam correxisti, et merito, cum de Germanorum Imperio Romano commentareris. Quæso etiam, indulge copiam mihi notarum tuarum in libellum pro veritate religionis Christianæ, et in summa omninm tuorum aureorum scriptorum. In politicis enim, historia, et omni veri iuris et officiorum philosophia, quin promiscue in omnibus eruditionis momentis, te ducem sequor, et faxo, meus aliquando filius maturescente ætate perinde id faciat. Ceterum librum de ciuili prudentia auidissime exspecto. Inde enim multa lux poterit exsplendescere et ad noscendam rectam atque vsitatam in cultis nationibus iurisprudentiam. Vale.

CXX.

CXX.

Boineburgius nouis quæſtionibus nuntium de obitu *Vorburgii* adiicit.

Moguntiæ d. 5. Iun. 1660.

Miror, nullum verbum me videre abs te, an *Curæi de la Chambre* notationes in II. librum Aphoriſmorum Hippocratis recte acceperis, necne. Attuli eas e Galliis, et tui cauſſa emeram, tradidique *Scheffero* Francoſurti, vt ad te curaret. Quæſo, certiorem fac me de hiſce rebus. Tua in *Machiauelli* Principem præſatio multum mihi placet. Opto, vt tua notata in eumpſe quamprimum perinde prodeant; cumprimis vero liber exoptatiſſimus de ciuili prudentia. Tuum de lectitando *Grotio* iudicium valde etiam arridet. Iam V. VII. IIX. IX. libros Nicomachios recolo. Quid cenſes de *Alberico Gentili*, et de belli iure et Aduocatione Hiſpanica? Is ad Romani moris libram, vti *Grotius* ad Rationis, appenſitat omnia. *Zouchei* libelli ſunt haud dubie noti pariter. His ſi iungamus *Hopperiana*, forte cyclopædiam inde quandam iuris omnigeni exſtruemus. *Grotius* autem eſt ſupra omnes, et extra omnem comparationis aleam. Vtinam hoc de argumento plu-

ſculum et tu commentareris! *Vorburgium* obiiſſe noueris. Vir erat eximius, et rei patriæ amans. Heri Heidelberga redii. Res ibi vxoria eſt in deſperatis. Multum inde mali timeo. Vorburgianos Tomos tibi, me monente, nepos *Vorburgius* donauit. Scribe, cui ſint tradendi.

CXXI.

Conringius de diſſidio in Aula Heidelbergenſi, et de *Chambræi* commentariis in Aphoriſmos Hippocratis, itemque de Alberico Gentili, iudicat.

Helmſtad. d. 3. Iun. 1660.

Quas redux Heidelberga exaraſti, ſtatim heri accepi cura Auguſtiſſimi Principis, qua ille præſtat omnibus ſui ordinis inſigni benignitate. Prolixas vero illas, librumque *Chambræi* demum ante hoſce dies ſex nactus ſum, eoque non eſt, quod mireris, me tardius ſolito reſpondere. Heidelbergæ rem vxoriam eſſe in deploratis, equidem multum doleo. Verendum ſiquidem, ne et exemplo noceat, et diuellat Principum animos, atque adeo turbet publicam tranquillitatem. Quamquam priuatim fortaſſis nocere exemplum illud haud temere poſſit, cum in promptu et leges et

pœnæ

pœnæ ſint, quæ priuatos coërceant; nec olim ipſemet *Valentinianus* Imperator, vel exemplo, vel lege, polygamiam ſui ſeculi hominibus potuerit perſuadere, ſi vera ſane ſunt, quæ narrantur in *Hiſtoria Miſcella.* Si, inquam, vera ſunt: nam mihi videntur fabuloſa, quoniam nihil tale video narrari de Imperatore illo a quoquam illius æui ſiue Chriſtiano ſiue Pagano Hiſtorico, quorum tamen aliqui Cæſari illi minus iuſto fuere æqui. Ceterum etſi Eminentiſſimi Principis cura componi non potuerint illi domeſtici animorum motus; ſpero tamen, prouidentia eiuſdem publicas turbas non minus feliciter caueri poſſe, atque factum eſt in maioribus illis Imperii negotiis; præſertim ſi perrexerit, vt indubie perget, tueri dignitatem Conuentus Ordinum, quo vno ſtat ſalus et libertas Germaniæ Principum. Pro *Chambræi* libro habeo gratias maximas. Ne quid tamen diſſimulem, non eſt eius in Aphoriſmos Hippocraticos commentarius tanti fortaſſis, quanti creditur. Aphoriſmi ſcilicet illi nihil aliud ſunt, quam vniuerſales propoſitiones, deductæ ex ſingularibus plurimis experimentis: in qualibus conſtituendis mirifice valuiſſe *Hippocratem*, diſſerui prolixius præfatione ad obſeruationes Medicas

Salmuthi. Commentatoris igitur officium primarium fuerit, vel ostendere, quantum illæ veritatis habeant, aut quas patiantur exceptiones, vt sane aphorismi complures non nisi vt plurimum veri sunt; sæpe autem a vero deflectunt, ad modum fere legum ciuilium cuiuslibet reipublicæ; vel vero rationes et caussas euentuum illorum reddere. Quorum tamen neutrum *Chambræus* egit. Vir tamen est doctus, quantum apparet, et vel ideo faciendus magni, quoniam non est ex censu eorum, qui fastidiunt venerandæ antiquitatis monumenta, quæ secta hodie passim inualescit, etiam in Gallia et Italia, et quidem ipsos inter Iesuitas, obstetricante inscitia et ambitione. *Chambræi* alias nihil videram. Velim vero operæ illum fecisse pretium in nobili illo argumento de dignoscendis animi latentibus affectibus: cuius argumenti libellos aliquot video ab illo elaboratos: quoniam vtilissimum in vita est argumentum hoc, et a paucis tactum. Habeo paratum editioni eius materiæ insigne opus *Scipionis Claramontii*, in quod præfaturus dicam fortassis haud vulgaria, isthuc quæ pertineant. Et vero animus est, etiamnum hac æstate editionis illius initium facere, simul operæ absoluerint librum de ciuili prudentia, qui

qui iam iterum calet ſub prælo typographico. Quod poſtremum denuo repeto, ne exiſtimes, me officii negligentem mereri, qui hoc nomine apud Auguſtiſſimum Principem ac Magnum Dominum meum a te et aliis accuſer. Scias vero etiam hoc, parare me ſimul editionem nouam libri *de Germanorum Imperio Romano*, et quidem altera fortaſſis parte auctiorem, illuſtraturus illum pariter prædicatione inuſitatæ illius felicitatis, qua Deus Optimus Maximus ſenectutem noſtri Principis proſequitur. *Alberici Gentilis* libros de iure belli vel Aduocatia Hiſpanica, vt et de Legationibus, qui Grotium legerit, non fortaſſis deſiderabit. Vir fuit lectionis multæ, et ſingularis induſtriæ, nec iudicii habetis; at cum dictio illius multum eſt inſolens atque obſcura; tum ratio philoſophandi, me quidem iudice, parum accurata. Non equidem tibi auctor ſim impendendi multi temporis eius lectioni. Longe maiore ſane cum fructu verſaberis in lectione operis Nicomachici, præſertim ſi adiunxeris duntaxat paraphraſin Græcam, quam *D. Heinſius* nomine *Andronici Rhodii* publicauit: vt et operis Grotiani de belli ac pacis iure. Scribam proxime, et quidem hac ipſa hebdomade, prolixius nonnihil de Gro-

tianis

tianis omnibus, vt et de aliis, quæ ſcire deſideras, quoniam feſtinans eques Principis, et dies ſacer, non ſinunt ſcriptioni me vltra nunc vacare.

CXXII.

Boineburgius, miſſo *Suareſio*, Vorburgianum negotium vrget.

Francofurti d. 14. Iun. 1660.

Aliquoties ſcripſi, nullum nactus reſponſum. Neque vero velim etiam tibi ea re vel tantillum moleſtiæ faceſſere, niſi ſcire appeterem plurimum, quid factum ſit de *Curæi de la Chambre* libro, nuper tibi per *Schefferum* miſſo. Iam addo ſimul, a nepote *Vorburgii*, viri ſupra famam, me obtinuiſſe tomos eius Germanicæ hiſtoriæ, quot exiere, octo, eoſque traditos eſſe *Scheffero* filio, tibi vt cuſtodite tranſmittat. Secundo ecce! mitto libellum *Suareſii* Epiſcopi, qui puluerem antiquum cum reſipiat, eum tibi fore gratum auguror. Tum oro iterum iterumque, vt de ciuili prudentia opus laudatiſſimum exſequi tandem ſerio ſuſcipias. Optem his te laboribus defunctum, quo poſthac accingi queas defenſionibus iurium patriæ, quæ meliorem aduocatum ſane ne quidem ſibi optare poſſet. Vale, patriæ maximum decus,

cus, meque ama. Bene mereberis de iuniore *Vorburgio*, ſi tuis eum de re Germanica libris donaueris viciſſim. Ego, ſi vis, interpres tuæ liberalitatis haud ingratus ero.

CXXIII.

Conringii iudicium de ſcriptis *Grotii*, de Gallorum verſionibus, de Bibliographiis iuridicis, de notis ſuis ad *Grotium*, de *Alſtedii* Encyclopædia, deque Corano *Muhamedis*.

Helmſtad. d. 8. Iun. 1660.

Venio ad epiſtolam tuam, ordine licet præpoſtero, quam 12. Aprilis iam exaraſti. Quem diem ſimulac vidi natalem eſſe triceſimum octauum, Deum veneratus ſum, vt toties redire illum tibi faciat, et quidem animi pariter corporiſque viribus ſatis integris. Quam felicitatem Auguſtiſſimo Principi contingere, et miramur, et in diuturnitatem porro ſperamus, quotquot quidem ſerio didicimus, et Dominos noſtros ſine fuco reuerenter habere, et Principes ex virtute potiſſimum et prudentia æſtimare, haud neſcii, quam illorum rarus ſit numerus. Si ſane ad noſtri Principis exemplum mollis tibi ſenectus obtingat, id quod voueo; parum abfueris a ſummo humanæ felicitatis gradu. *Hugonis Grotii* nihil non

non plæclarum eſt, et dignum laude; quanquam et in eorum nonnullis haud pauca, nec immerito fortaſſis, deſiderem. Ex iis, quæ ad iuris et morum prudentiam attinent, indubie excellit opus de iure pacis et belli, plane ſcilicet incomparabile. Florum ad *Iuſtinianum* ſparſio nihil habet philoſophiæ: tota Grammatica eſt; cuiuſmodi ſunt Cuiaciana. Libellus *de Mari libero* vere eſt admirandus: idque quod iuuenis illa polluerit iuris philoſophia, quæ iam tum ipſum *Ferdinandum Vaſquium* et *Couarruuiam*, quantos hem! viros, potuit in contentionem prouocare: ne nunc dicam de eximio omnigenæ humanioris literaturæ vſu, qui in illo opuſculo reſplendet. Etſi enim *Grotius* ipſe in ſuo de Iure belli opere ſententiam de Maris libertate mutauerit; non eſt tamen hoc trahendum in aurei opuſculi dehoneſtamentum. Mutauit enim; ſed nec omni ex parte in melius; argumentis etiam minus firmis adductis in medium. Fortaſſis etiam dedit aliquid Anglis, quorum Regem *Iacobum* Mare liberum vehementer offenderat. Nouiſti indubie, et huic oppoſitum *Seldeni* librum *de Mari clauſo*, doctum illum quidem et variæ lectionis, ſed præ ſtudio in Angliam ſuam pene ridiculum. *Iſago-*

ge

ge Batauica *Grotii* in iurisprudentiam Hollandicam nihil ego vidi accuratius; nihil elegantius; nihil pro ratione instituti plenius. Longissimo profecto interuallo, si quid iudico, liber ille vincit *Iustinianeas* institutiones, vt quæ multa habent tyronibus inutilia; complura necessaria ne tangunt quidem. Quæ politici sunt argumenti Grotiana, nulla vidi hactenus, nisi quædam in epistolis, et cumprimis in opere historico sine exemplo optimo. Sine exemplo, inquam: longe enim vicit ipsummet *Stradam;* quanquam forte in descriptione rerum *Margaritæ* Parmensis *Nicolai Burgundi* laudem neutiquam assequatur. Pertinet huc fortassis et *Apologeticus* Grotii, vt quo fœderis Belgico-Germanici ratio accurate excutitur; sed parum iuuat scientiam politicam. Magis vero huc facit libellus eximius *de antiquitate reipublicæ Batauicæ;* quamuis, dum nimium studet patriæ statui libero, imperium Francorum et Germanicorum Cæsarum Principumque, contra historiæ veteris fidem, nimis inclementer habeat. De poëticis et Theologicis Grotianis forte iudicium meum haud desideras, eoque nunc illa non morabor, qui alias miror. Quasnam tu legeris annotationes meas in secundum librum de

iure

iure belli ac pacis, equidem ignoro. Ego earum nihil habeo, nec quidquam huius, quod meminerim, vel ipſe ſcripſi, vel memoriter dictaui ad calamum. Diſſertationes, ab imperitis aut tyronibus notatas, abſit vt patiar inter meas numerari. Gallos multum adeo laborare in ornanda ſua lingua veterum optimorum hiſtoricorum verſione, gaudeo equidem; neſcio tamen, an faciant operæ pretium. Cui cordi ſerio eſt prudentia ciuilis, illumne pigeat latinam linguam addiſcere, qua nullum datur locupletius omnigenæ doctrinæ penuarium? Hiſtorias autem voluptatis et animi ergo duntaxat voluentibus ſatis quidem eſt vernacula quædam interpretatio. Fortaſſis autem non eſt tanti, in illorum gratiam laborem vertendi ſumere. Num ex illorum numero ſit is, quem tu appellas Hiſtoricorum Gallicorum hodie principem, quique *tredecim* * grandibus tomis ad Ludouicum vſque XIII. res Gallicas ſit perſecutus, *Meſſeræus*, neſcio; ſuſpicor tamen. Si

---

* Numerum XIII. Ludouici Regis nomini adſcriptum accepit *Conringius* pro numero Voluminum hiſtoriæ *Mezeræanæ*, cum *Boineburgius* ſupra *p. 334.* tantum de *tribus* ſcripſiſſet grandibus tomis.

Si non luſit operam, mallem ſane latine ſcripſiſſet. Cum multas adeo *bibliographias* enumeraueris ipſemet, miror equidem, a me operam illam exigi. Quid enim iis addam? De vnica iuriſprudentia, fateor, haud immerito te eſſe ſollicitum. Plurimum enim abeſt ab illo quidem, quem intendis, ſcopo *Iacobi Gothofredi* Manuale; quamuis elegans et doctum. Cauſſa, cur nemo fere ea in re præclari aliquid præſtiterit, eſt, quia vox *iuriſprudentiæ* eſt æquiuoca et variæ ſignificationis: id quod pauci, ſi modo vllus, monerunt, eoque in vna ſpecie iuriſprudentiæ qui valet, nihil plerumque in altera poteſt, et ſpecies quæque ſuos habet ſcriptores, atque adeo et diuerſas poſtulat bibliographias. Ante omnia ſane velim accurato iudicio expendi abs te, quæ de illa diuerſitate diſſertata a me ſunt libri de ciuili prudentia cap. 3. et præfatione ad *Hopperum*. Quo facto, ſi petieris, quinam, me conſcio, hanc aut illam prudentiam optime exornauerint, reſpondebo ingenue. Videris petere, quinam ius naturale et gentium illuſtrauerint? Atqui iam tum ad id reſpondi antehac. Nempe, præter *Grotium*, pauciſſimos poſſe tuo deſiderio ſatiſfacere. Si exigis, politicam legum ſiue Romanarum, ſi-

ue aliarum prudentiam quinam excoluerint, iam respondi præfatione ad *Hopperum*, a nemine, quod equidem sciam, pro dignitate esse factum; a paucis tentatum: idque quoniam ciuilium legum primarium principium est vtilitas reipublicæ, quam dignoscere politicæ est prudentiæ, qua vulgus iuridicorum scriptorum destituitur. Si velis huc manuduci, legito *Platonis* libros *de legibus*, et his iunge *Ciceronis* opus mutilum. Bibliographias vtinam hic licerat condere! Verum non licet, ceu vides. Indubie *Aristoteles* et *Theophrastus* in suis de Legibus ipso *Platone* rectius possent nos docere, si superessent illa scripta. Qui vel Hebraicarum legum summam sapientiam ostenderit, etsi illæ, cum ab ipso Deo sint latæ, merito pietate præstantes Politicos debuissent in hanc curam flectere, hactenus repertus est nemo, nisi quod eiusmodi nonnulla apud *Iosephum* inuenire sit. Illius itaque iurisprudentiæ, quæ versatur circa latarum alicubi legum vsum ciuilem, qui vnicum est legum ciuilium principium, cum scriptor nullus reperiatur; non etiam est, cur a me bibliographiam aliquam exspectes. Huic vero iurisprudentiæ cumprimis danda opera est abs te et aliis, qui in republica primo estis loco, et vel le-

ges

ges nouas conditis, vel in deliberationes trahitis, vtrum leges priſtinæ ſeruandæ ſint, an vero antiquandæ? Quemadmodum vero eiuſmodi aliqua legum prudentia et poſſit et debeat excerceri, ſingulari libello tradere animus eſt. Interim ſpecimen eius in illuſtri exemplo quoniam exhibitum abs me eſt commentatione *ad L. I. Codicis Theodoſiani de ſtudiis liberalibus Vrbis Romæ a pag. 40. vſque 53.* fortaſſis haud abs re tua fuerit, illa a me diſſertata non obiter, ſed diligenter legiſſe, cumprimis vero expendiſſe, quæ habentur *a pag. 56. ad 60.* atque ex illorum præſcripto variarum legum examen inſtituiſſe. Hoc ſane exercitio ſenties ad prudentiam illam legum nihil vtilius eſſe. In librum ſecundum *Grotii* de iure belli ac pacis annotationes meas tibi lectas eſſe, miror. Nec enim ego vnquam vllas vel ipſemet conſcripſi, vel aliis ad calamum dictaui. Tantum memini, me viua voce nonnulla diſſeruiſſe, quæ vtrum et quomodo ſint calamis excepta, ignoro, ceu iam ante monui. Ad librum vnum alterumque de veritate religionis Chriſtianæ fateor quædam a me dictata. Sed cum extemporanea ſint, ſolius memoriæ ſubſidio adducta, atque poſtea ipſiuſmet *Grotii* notæ prodierint in lucem;

nimis ſuperbe de meis equidem iudicauerim, ſi cruda illa curem tibi deſcribi. Nec vero in iis legendis feceris pretium operæ; niſi forte iuuerint, quibus Grotiana argumenta de prouidentia Dei et immortalitate animæ humanæ ad librum primum examinaui. Abſit ſane, vt illud nimis benignum tuum de meis iudicium non ſuſpectum ego habeam. In Encyclopædia *Alſtedii* nihil eſt laude dignum, niſi quod in vnum volumen multa adeo rudimenta artium ſint congeſta. Cum in promptu vero ſint eiuſmodi libelli per partes editi; quid iuuet, in vno omnia eiuſmodi volumine legere? Sed et rudimenta illa ita ab *Alſtedio* ſunt tradita, vt ex aliis diuerſis auctoribus longe illa rectius et accuratius queant peti. Quod vnicum filium (concedat Deus plures, aut faxit, vt, qui vnicus tibi eſt natalibus, etiam vnicus ſit ingenio, prudentia et probitate!) vbi adoleuerit, noſtræ velis diſciplinæ aliquando concedere in *humanæ* eruditionis negotio, equidem gaudeo: gauiſurus magis, ſi et in *ſacris* iubeas illum hic inſtitui. Mihi ſane gratiſſimum fuerit, illum manuducere ad ſapientiam filium, cuius patrem colo et amo quam maxime. *Vorburgium* obiiſſe, triſtis accepi. Deus defuncti animæ ſit propitius

in

in magno iudicio. Nepoti ipſius proximis nundinis mittam, quicquid meorum hic ſuperat ſiue hiſtorici, ſiue politici argumenti: rem ille viciſſim gratiſſimam eſt facturus transmiſſione Patrui operum. Præfationem meam in *Machiauelli* Principem placuiſſe, gaudeo. Animaduerſiones forte prodibunt in lucem anno ſequente: nec enim iis excudendis operæ noſtræ typographicæ vacare nunc poſſunt. *Hottingeri* in Alcoranum conatus mirifice placent, quippe cum ab illa manu nihil, niſi doctum et rarum ſit, exſpectandum. Et vero poſt veterem nulla hactenus prodiit latina *Alcorani* verſio ex ipſo Arabico deprompta. Nam quæ nuper in Batauis edita eſt, ex illa Gallicana nouiſſima tranſlata eſt, et conatus ſimiles *Thomæ Erpenii* præmatura mors intercepit. Non dubito etiam, egregie ab *Hottingero* detectum iri plagia Pſeudoprophetæ, vnde *Coranus* eſt conſutus. Verum in demonſtranda falſitate pſeudoprophetiæ æque bene rem ſit geſturus, adhuc dubito. Si quid vero iudico, vnicum, potiſſimum certe, fidei, quæ Prophetam ſeſe ferenti debetur, fundamentum eſt teſtimonium diuinum, editum in confirmationem prophetici ſermonis: quo qui inſtructus eſt, merito audit verus propheta et Le-

gatus Dei; qui caret, Pſeudopropheta et mentitus Dei Legatus eſt habendus. Tali igitur teſtimonio cum inſtructus non fuerit *Muhamedes*, cumque eius doctrina aduerſetur Apoſtolorum ſcriptis, qui probauerunt ſe veros Legatos Dei diuinis teſtimoniis; hinc manifeſtum eſt, *Muhamedem* eſſe Pſeudoprophetam, eiuſque Coranum Pſeudoprophetiam. Hoc eſt illud argumentum apodicticum, quo quilibet Romanus Papa mentitus Vice-Deus et Pſeudopropheta et falſus Dei Legatus eſſe: quilibet item conuentus Romanenſium Epiſcoporum impie ſibi arrogare diiudicandi ſacras controuerſias infallibilem ſpiritum, euidentiſſime a me in *concuſſione* demonſtratum eſt. Nihil certe pro Vicedeatu Papali et ſpiritu Tridentini concilii adferri poteſt, quo non poſſit ſimul *Corani* fides reddi veriſimilis: nihil ad conuincendam Pſeudoprophetiam *Muhamedis* facit, quo non ſimul Tridentini concilii infallibilitas et Vicedeatus Papalis iuguletur. Si animo defæcato rem vtramque tentaueris, ſenties, me verum dicere. Facies, ſpero. Vide, Illuſtris Domine, quam me prolixum reddat ſtudium deſideriis tuis ſatisfaciendi. Tu vero perge mihi fauere. Quemadmodum prophetico muneri Saluatoris noſtri

ftri fua poffit veritas apodictice et infallibiliter adftrui ex teftimoniis diuinis, exiguo fpecimine facto oftendi in programmate Academico Feriis natalitiis An. 58. propofito. Quod velim equidem animo attento abs te expendi, et ex aduerfo confiderari, horum nihil fiue pro *Muhamedis*, fiue pro Papæ, fiue pro Tridentini concilii fpiritu afferendo adferri poffe. Arduum hoc omne et vere fanctum eft negotium, eoque, fi quod aliud, agendum cum cura. Etiam hoc monere me iuffit cura amiciffimi capitis tui.

CXXIV.

Boineburgius incepta *Conringii* defiderat, et qualis liber *Grotii Princeps* fit, exquirit.

Moguntiæ d. 18. Iun. 1660.

Quas $\frac{3}{13}$ Iun. exarafti, eæ mihi recte funt redditæ. Sane multum tibi debeo de hac literarum, quibus me erudis, frequentia. Oro, vt eam facias effe perpetuam. Nihil me inter negotiorum morofos compedes magis exhilarat. Summe autem gaudeo, quod fcribis, te proxime, et hac quidem hebdomade, vberius de *Grotianis* omnibus, vt et de aliis, quæ refcire defiderauerim, mecum effe acturum. Hoc beneficium igitur

auide exſpectabo. Nòta mihi ſunt pleraque *Grotii*, et fortaſſis omnia. Reperi autem in *Cordeſiana* bibliotheca, quam *Naudæus* ante aliquot annos edidit, laudatum *Grotii Principem*, quem videre non memini. *Andronici* paraphraſin Ethicorum ad Nicomachum pridem habeo, et legi haut indiligenter. Tuo vero monitu iterabo lectionem, cum Heinſiana in vertendo latinitas eam reddat abunde gratam: vt alia illectamenta taceam, quibus non caret. Mira iam ardeo cupiditate tandem videndi prudentiam tuam ciuilem, et auctùm opus de Germanorum Romano Imperio. *Claramontius* de coniectandis animorum affectionibus notus etiam eſt mihi. Vbi illos priores duos libros tùos ante edideris, tum et iſte per erit gratus aduentor. Sed, amabo, noli illos a quoquam præuerti. *Chambræana* arbitrari nemo te rectius poteſt. Ego parum talium intelligens abſtineo a cenſionibus, quæ ſupra me ſunt. Placet tamen ille, quod priſcam philoſophiam non ſpernit, et quia tibi haut penitus diſplicet. Reliqua eius omnia *Gallice* extant. Si ea popoſceris, tua ſint faxo. Sed heus! amice. Quid ſpei de opere, quo corruptam Germaniam cauſſaſque eius et remedia monſtrare inſtituiſti olim?

lim? et de altero, quo notamina in laudationes Stagiritæ complecti volebas? Sed desino, ne nimium petendo et optando te offendam. Vale, et tuis me literis crebro erudi.

CXXV.

Conringius AVGVSTO Duci suo, qui *Boineburgii* epistolam miserat, argumentum indicat, eiusque ingenium depingit et præsentem viuendi rationem, missis simul duobus Chronicis vernaculis, bibliothecæ Guelphicæ inserendis.

Helmstad. d. 13. Iun. 1660.

Opportune profecto aduenit a Serenissima Celsitudine Vestra cum literis *Boineburgianis* missus eques. Incidit nimirum, dum iam libros lustro, in manus *MS. Chronicon Schaumburgo-Holsaticum*, et *Hildesheimense*. Quorum vt illud non sit magni pretii, cum *Hermannum* de *Lerbeke* ipsummet, cuius est interpretatio, habeamus latine editum cura *Henrici Meibomii*; hoc tamen ideo saltem maioris est æstimandum, quia continet varia de initiis belli, quod inter *Henricum iuniorem*, Serenissimæ Celsitudinis Vestræ gentilem et antecessorem, ac *Ioannem* Episcopum est gestum, quæque tunc a victore Episcopo primum

insolenter acta et cantata sunt, qualia alibi haud temere leguntur. Nisi fallor, Hildesheimense illud Chronicon vel hoc vno nomine meretur in Serenissimae Vestrae Celsitudinis Bibliotheca reponi potius, quam in mea, cum etiam possit aliquando Serenissimae Domui Vestrae vsui esse. Id quod vti fiat, Deum obsecro. Mihi sane longe gratissimum fuerit, si et huic plebeio scriptori aliquis in Bibliotheca Augusta, etsi infimo in ordine, locus concedatur *. *Boineburgianae* Epistolae, pro cuius transmissione humillimas ago gratias, argumentum non aliud est, quam quod desideretur meum de *Grotianis* libris indicium. Cui desiderio iam satisfeci literis, quas ante hoc biduum curaui ad Serenissimae Celsitudinis Vestrae ab arcanis epistolis *Henricum Iulium Willershusium*, qui fortassis illas Serenissimae Celsitudini Vestrae iam obtulit. Publica negotia parum iam curat *Boineburgius*, totus vacans otio literario, eoque hoc nunc esse vult literarum suarum argumentum: quae proinde non sunt tanti, vt mereantur in Serenissimae Celsitudinis Vestrae conspe-ctum

* Idem locus ei concessus est in *Scriptor. Brunsuic. t. 3. p. 254. seq.*

ctum venire *. In vrgendis quæ desiderat, ad importunitatem vsque est vehemens pro ingenio suo igneo. Faxo vero, ne videar officio meo defuisse, cum sentiam a Serenissima etiam Celsitudine Vestra maturationem libri de ciuili prudentia exigi. Deum oro et obtestor, vt Serenissimam Celsitudinem Vestram Reipublicæ Germanicæ, cumprimis vero huius populi, et *Iuliæ* nostræ bono, diu adhuc porro sospitet. Ego donec vixero, ero Serenissimæ Celsitudinis Vestræ humillimus et fidelissimus minister, *H. Conringius.*

CXXVI.

---

* Et tamen decori et reuerentiæ leges postulant, vt principibus viris, e quorum manibus vel missu ab aliis scriptæ literæ ad nos perueniunt, eas legendas exhibeamus vel transmittamus, si ipsi vinculum non soluerint, vt eo fiant certiores, nihil iis contineri, quod displicere possit: quandoquidem qui inter eos clementiæ laude præstant, erga priuatos, quos amant, in simili negotio eadem nonnumquam indulgentia vti solent: quod honoris ipsimet *Conringio* subinde et postea *Leibnitio* haud raro contigit.

CXXVI.

Conringius de *Grotii Principe* fententiam dicit, et ob inftans iter Oftfrificum de alloquio *Blumii* defperat, Hanouerae paternam hereditatem cernentis.

Helmftad. d. 13. Iun. 1660.

Simulac tuae Wolfenbuttelum aduenerunt, etiam intempefta nocte, iuffu Sereniffimi et nunquam fatis laudati Auguftiffimi Principis, miffus eques, qui adferret mihi, eoque ftatim refponfum accipe. De *Grotianis* prolixam cenfuram, aliaque abs te defiderata, iam tum curaui hac ipfa hebdomade, quibus fpero tibi effe fatiffactum. Laudatus Grotii *Princeps*, quid libri fit, nefcio. Sufpicor tamen, intelligi carmina varia, vno opufculo a *Grotio* admodum adolefcente edita in laudem Principis *Mauritii* Auraici, quae deinde recepta funt inter reliqua eius poëmata. Edenti librum de ciuili prudentia, et fponte currenti, non eft cur tuis calcaribus fis impofterum moleftus. Paucas tamen, quatuor puto, feptimanas illi operae fubducere me, quamuis inuitum, iubet officium et pietas, quae nouo patriae Oftfrifiae Comiti debeo, praefertim non femel iam ifthuc euocatus. Quae addenda tamen funt libro ifti,

cum

cum a nemine hactenus sint vel leuiter tacta, indigent accurata cura et attentione mea, eoque neutiquam praecipitanter vulganda, si sane et in publicum vtilia, et exspectatione aut meo nomine haud indigna esse debeant. *Chambraeana* illa de animi affectibus, si edituro *Claramontium* possint vsui esse, grata manu accipiam, quamprimum commoda transmittendi fuerit occasio. Nosti scilicet apprime in vita vtile esse, ingenium et propensiones animorum, quibuscum versandum nobis est, accurate nouisse, atque adeo argumentum hoc mereri solito exactiorem considerationem. *Blumio* vtinam liceat coram familiariter vti, saltim ad aliquot horas! vehementer enim illum desidero iam dudum. Vereor autem vt liceat vti illo gaudio, cum mihi fortassis proxima hebdomade in Frisiam sit eundum, nec ille soleat moram in patria trahere, nisi forte detinebit illum solito longius negotium hereditatis paternae.

CXXVII.

Boineburgius dono mittit *Conringio* Capitulationem Karoli M. de partibus Saxoniae.

Moguntiae d. 1. Iul. 1660.

Non

Non diu quidem eſt, ex quo te meis literis occupaui. Iis vt reſponſum abs te accelerem eo magis, en! ſuperaddo alias, vna cum munuſculo, quale mihi obtigit a *Ferdinando Furſtenbergio*, Pontificis Cubiculario, qui hac tranſiens me eo donauit. *Lucas Holſtenius* edit eiuſmodi, iuſſusque eſt, vt ſe totum applicet antiquis monumentis e Vaticano protrahendis in publicum. In eo eſt, vt publicet Romana primum; dein et Africana Concilia cum notationibus. Is vir per eſt doctus, et in veteribus rebus verſatiſſimus; aſt inclinata valde valetudine. Ideo maturabit operas ſuas. Ceterum ad ea, quae nuperrime ſcitatus ſum, reſponſionem amanter iteratis precibus efflagito. Vale, mi optime. Iunior *Vorburgius Scheffero* dedit, vt tibi mittantur, auunculi ſui Tomos X. in fol. et Ottones dabit itidem. XI. et XII. Tomi iam excuduntur. Ab Ottonibus ad Wencellaum reliqui ſequentur.

CXXVIII.

Idem mittit eidem ſcriptum de foetu lapideſcente.

Sualbaci d. 12. Aug. 1660.

Etſi bis ſcripſerim, antequam reſponderis, cum pere-

peregre abſens ſis; haſce tamen, acidulis modo vtens, ſcribo, vt rei medicæ quid tibi mittam, quo nihil equidem mirabilius vel fando hactenus audiui. Oro, vt viciſſim tuis me diſſertationibus academicis et libris, cumprimis illo de ciuili prudentia, beare velis, reſcribereque ad ea omnia, quæ aliquoties petii, idque nuper denuo. Plura iam annectere non poſſum. Viſit enim ad me hoc ipſo momento Eminentiſſimus Elector. Vale.

CXXIX.

Idem, miſſa quadam *Graſwinckelii* epiſtola, varia narrat literaria, et de *Lambecii* prodromo *Conringii* iudicium petit.

Moguntiæ d. 20. Sept. 1660.

Annus ipſe exiiſſe mihi videtur, quod nihil de te vel video vel inaudio. E Friſiæ Orientalis angulo quin te tandem exlatebraueris *vet. voce* * non amplius dubito. Vbi vero cunque ſis, mittendam ad te duxi excerptionem iſtam epiſtolæ magna doctrina et exiſtimatione viri, *Graſwinckelii*, quod in ea tui mentio, qualem ſane me-

* Voce illa crucem forte figere voluit *Conringio*, quippe inuentu difficili apud Veteres.

mereris, perhonorifica occurreret *. Vides te prouocari ſic ad ea, quæ publico debes ac toti generi humano. Ea ſi premas diutius, in tuummet nomen peccaturus es admodum. Prodiit tandem *Euſebius Henrici Valeſii* in Gallia, mox et *Socratem* perinde edituri. Dicitur *Menagius Diogenem Laërtium* curare, *Iſaaco Caſaubono* ſuppetias laturus. *P. Philippi Labbei* ad *Bellarmini* Scriptores Eccleſiaſticos additamenta, et vindicationes ab impreſſionibus Criticis, aduenerunt: *Riceliaci* item Cardinalis vita et memoriæ lectu digniſſimæ. *Holſtenius* quoque rediuiuus quaſi tandem aduerſus nouas ſectarum res Antiquitatis ſcuto ſolito munitior conſurgit. Cardinalis de *Lugo* obiit. *Pallauicinus* pro Tridentino mox latine loquetur, Italice Proteſtantium pleriſque ignotus. *Allatius* in eo eſt, vt edat libros Scriptorum Apocryphorum. *Lambecius* Hamburgenſis hodie recta hac tranſiit, paucis abhinc diebus redux e Galliis. Is grande molitur opus de re literaria vniuerſa, cuius ſi tibi viſus prodromus, quæſo, iudicium tuum ſuper eo indulge. Dedit eius

* *Graſwinckelii* epiſtolam, quia luce publica digna eſt, continenter adiicimus.

eius mihi exemplum vnum; alterum vt curetur ad Cæſarem, velit. Huic vero iam tantum negotii malus vicinus faceſſit, vt obliuiſci poſſit talium, ſi eius Miniſtrorum ignauia ingenio Principis deſineret obeſſe. Fœdus interim noſtrum in aliud triennium eſſe productum, noueris. Reliqua veſtrates referent. Vale. *Blumius* abit Romam, Viennæ ſe addicturus, ſi poteſt. Noſtra enim conſilia ipſi non arrident. Deus eum regat et reducat! Si tuorum librorum iterum nihil his nundinis apparet; ilicet: actum eſt. Percontari de iis parcam deinceps. De ciuili prudentia ſi vlterior mora interceſſerit, neſcio an tibi metuas a *Feldio*, nondum mortuo. *Graſwinckelius* certe in te eodem nomine inuehetur, vt ego, ſi nos afflixeris diutius.

CXXX.

Theodori Graſwinckelii Epiſtola ad *Iſaacum Gruterum*, ſcholæ Roterodamenſis Rectorem, de ratione ac modo, quo *Hugo Grotius* librum de iure belli et pacis compoſuit.

Dordraci Cal. Sept. 1660.

Quæ de immortalis memoriæ cognato, *Grotio*, rogas, talia ſunt, vt ambigam, poſſitne o-

omnino ad ea responderi etiam a me, qui, si vllus, scire ea deberem, vt ex cuius apographo prima editio librorum *de iure pacis et belli* typis fuit descripta, vtque cui pro inaestimabili eius in me affectu ipse singula capita, singulis simul atque absoluta essent vicibus, praelegere dignatus, ac nec grauatus sit *dubitandi*, *decidendi rationes* mecum communicare; ac cum vel in alia eundum censerem (quod bis terue tantum obtigit) rationibus potioribus mea elidere, aut assensum ipse iis accommodare sustinuerit. Totos octodecim menses illos, quibus coeptum exasciatumque hoc opus, Heroi nostro conuixi domesticus. Atenim, vt erat bibliotheca ambulans, non multa adhibuit ipse subsidia. Corpus *Canonicum* ne quidem habebat Lutetiae; ea tamen fide citata sunt omnia, tamque accurate, vt me prae ceteris illud dederit in stuporem. Paucos adhibuit Philosophos Scholasticos. Praeter *Suarez de Legibus*, Summam *Syluestri*, *Alphonsum a Castro*, *Lessium de Iustitia et Iure* atque *Dominicum a Soto*, non memini vllos apud ipsum me vidisse *. Continuo

* Sunt, qui mallent, vt ne hos quidem in consilium adhibuisset, ex caussa mox dicenda.

nuo obambulabat; meditabatur: raro Scriptores consulebat. Quæ apud se digesserat, tam nitido tamque non interrupto tenore chartæ committebat, vt nihil resecaret aut adderet, verborum incuriosus; at id cumprimis agens, vt ne quid obscuri * lectoris attentionem moraretur, aut iudicium suspendere cogeret. Insultauit huic mortuo Leoni *Ianus Feldenus*, quem ego meis pro Cognato vindiciis et ad illius notata stricturis, vt sileret, adegi. Vindicias iam affectas habebat incomparabilis *Conringius* M. D. sed a me præuentus calamum inhibuit. Dolet, sua vir tantus nobis quod inuiderit. At magis ipsius *Feldeni* sors mihi doluit: quem, cum ab isto scripto agere se bonis doctisque inuisum animaduerteret, mœror inde conceptus professione primo; mox (sic ad aquas Spadanas ante biennium intellexi) etiam

* Contra plerisque viris doctis visum. *Henricus* certe *Iustellus*, cum ei, ducem in iure naturali et gentium quærenti, *Grotius* ab amico commendatus esset, rescripsit anno 1678. *Le Livre de Mr. Grotius me paroit obscur, particulierement ses definitions, qu'il a prises des Casuistes, qui sont embrouillés & pleins du Jargon de l'Ecole.* Hinc illa nubes commentariorum.

vita depulit *. Latina vt *Petrus* filius Ilagogica ſua faceret, autor fuit, et quidem ipſis Digeſtorum et Codicis textibus: quod quidem nec factu facile, nec quod cito confieri poſſit; infra impoſſibilitatem tamen eſſe non debeat penitiorem iuris cognitionem indeptis. Hactenus id nemini tentatum. Cedet occupanti pulcherrimi operis ſublimis gloria. Mitto noſtras notas qualeſcunque haud abſimili in argumento ad *Rebellum* Ieſuitam. *Brutum*, notis Hiſpanici *Queuedonis* politicis illuſtrem, atque ex Hiſpanico a me latinitate donatum, habebis.

CXXXI.

Conringius pro muneribus literariis gratias agit, et

* Impoſuerunt credulitati hominis, qui talia de *Ioanne a Felde* retulerunt: modo retulerint, et non ſibimet ipſe finxerit *Graſwinckelius*. Prouixit enim Feldius diu poſt hæc tempora, et relicta Academia Iulia in prædium ſuum Neuenkirchen ſe contulit, vbi ſcholas iuris et mathematum aperuit harum ſcientiarum ſtudioſis iuuenibus ad ſe confluentibus. Cuius rei ipſemet *Conringius* infra paſſim teſtis erit, qui et *Feldii* ingenium et eruditionem longe prætulit *Graſwinckeliana*.

et de his non solum, sed et de aliis quæsitus iudicat, veluti de *Holstenio*, *Pallauicino*, *Allatio*, *Lambecii* prodromo, de *Blumio* deque scriptis suis.

Helmstad. d. 29. Sept. 1660.

Ad ternas tuas responsum debeo. Quarum primas in Frisiam adueniens; alteras iam redux accepi; tertiæ redditæ sunt hebdomade proxima. Neque vero pro ea, qua te tuaque prosequitur gratia Serenissimus et numquam satis laudatus Princeps meus, non maxima sedulitate literas tuas curauit. Ego vero nunc demum respondeo, quia domo exspectatione diutius absui, nec vacauit vel cogitare de eiusmodi literario officio præ negotiis plurimis. Fuit vero et in Frisica aula perquam grata mihi epistola pariter tua, et quam addideras *Carolina capitulatio super Saxoniæ rebus.* Nondum lecta mihi aut visa erat illa *Capitulatio*; ex parte tamen eius opusculi memini mihi nonnulla iam fuisse proposita et quæsita a *Blumio*, quæ pertinent ad interpretationem quorundam priscorum Saxonicorum vocabulorum * eius, quæ tum a Saxonibus neophytis aut catechumenis exigebatur,

 fidei

* Vid. supra *pag. 143.* et *Furstenbergii Ep. 1.* ad *Conringium* cum huius responsione. *p. 4.*

fidei ſacræ. Captabo occaſionem in proxima editione tertia libri mei de Origine Iuris Germanici, quo *Capitulationis* illius memoria celebretur. Alteris quem adiunxeras libellus de *fœtu lapideſcente*, nec laude eſt priuandus, nec magna tamen efferendus. Fœtum in vtero materno in lapidem concretum iam dudum Gallici Medicophiloſophi, et præter hos *Thuanus*, nec vnum, orbi memorauerunt, reperiturque iam Gottorpii in cimeliis Principis illud ipſum lapideum embryon, Gallis maxime celebratum. Quod vero in opuſculo tuo narratur, fœtum hunc germanicum extra vterum maternum fuiſſe ita in lapidem redactum, imo ibi conceptum; mihi non ſit veriſimile, nec ſatis eſt demonſtratum. Super cauſſis tam inſolitæ rei quæ differit auctor, non diſplicent quidem; mihi tamen non omnino ſatisfaciunt. Si coram liceret tecum colloqui, forſaſſis et te poſſim in ſententiam meam adducere. Quæ tertiis addidiſti excerpta ex *Graſwinckelii* epiſtola, ad te, niſi fallor, exarata, plurimum me delectant; non tam quod honorificam mei faciant mentionem, quam quod nonnulla doceant de opere *Grotiano*, quod ego ſemper iudicaui eſſe incomparabile. Vellem vero et reliqua epiſtolæ

eius

eius misisses: nec enim dubito, haberi et in iis narrationem de *Grotianis* rebus aliis, qualem ego desidero. *Eusebium Henrici Valesii* simulac potero, mihi comparabo. Vir enim est apprime iis in literis versatus, eoque indubie in *Eusebii* historia illa, quae profecto thesaurus est antiquitatis Ecclesiasticae, etsi de Vicediis Romanis et hierarchia illa monarchica vestra, quod fere est Baronianorum annalium argumentum, nihil quicquam habeat, operae fecit pretium: idem facturus in *Socrate*, si perrexerit. *Menagii* hactenus nihil legi. Cum tamen laudatus mihi sit a quam multis; iam eius *Diogenem* desidero. Et vero meretur *Diogenes* accuratum emendatorem ob argumenti nobilitatem et singularem industriam; cum a iudicio et philosophiae ipsiusmet peritia minus debito instructus fuerit. *Labbei* ad Bellarmini librum de Scriptoribus Ecclesiasticis additamenta, vt et vitam *Richelii* si attulerit ex nundinis bibliopola noster, perlegam diligenter, nec dissimulabo sententiam. De *Labbeo* quid statuam, iam tum perscripsi. *Richelius* cum fuerit felicissimus artifex et domi constituendae herilis monarchiae, et foris frangendae Austriacae potentiae, meretur eius vita ab historico vere politico describi; nec

enim quæ vidi hactenus non infra illam notam ſunt. Si *Tacito* ſimilem ſcriptorem inueniat, non minus forte artes eius admirabitur poſteritas, quam vafritiem *Tiberii.* Vt *Holſtenius* ſolito munitior Antiquitatis ſcuto inſurgat aduerſus nouas ſectarum res, quas appellas, exigit ſane ſalus Romanæ curiæ, vt quæ in haud leui verſatur diſcrimine, abſque eſſet violenta animorum coactio, et, quæ huic in perſuadendo par eſt, honorum opumque in quammultis exſpectatio. Vereor autem, vt poſſit hoc, quod vis, præſtare *Holſtenius.* Nec vero talem ſeſe mihi probauit epiſtola, quam ſuo nomine *Ranzouius* publicauit, quantumque audio, ſenio et morbis iam confectus eſt *Holſtenius*, vt ſaltem nimis ſero fortaſſis rem tantam aggrediatur. Spem nuper feceras edendorum ex Vaticana Bibliotheca monumentorum veterum *Holſtenii* cura, idque ex mandato *Alexandri.* Hoc poteſt *Holſtenius.* Auctor itaque illi ſim, hoc agat. Quid *Pallauicinus* pro Tridentino Concilio ſcripſerit, ignoro. Video autem illum impenſe laudatum ab *Erbermanno*, hoc eſt, Ieſuitam a Ieſuita. Audio etiam nonnihil ab illo editum, quo frangat vim mei arietis aduerſus Vicedeos Romanos, quo vrgeo ſcilicet, ſin-

ſingulos teneri teſtimonio diuino probare munus ſuum Apoſtolicum. Illud quale ſit, ſi docueris, rem ſane feceris gratiſſimam. An *Pallauicinus* fortaſſis impugnat *Pauli Veneti* Tridentinam Hiſtoriam? An excepit conatus *Terentii Aleiati* Ieſuitæ? Hi enim, quantum intelligo, in herba perierunt. Mirum, ſi veritati litauerit *Pallauicinus*, num maius fecerit pretium laboris *Nicolao Riccardio*, de quo nonnulla narrat parte prima Pinacothecæ *Nicius:* longe plura memini me accepiſſe a *Blumio*, et tu fortaſſis iam intellexiſti. In iis ſane, quæ *Pallauicini* fide Conclauis *Alexandrini* Hiſtoriæ oppoſuit *Vitus*, mihi riſum potius mouit Cardinalis ille, quam aliquam ſui admirationem. Ceterum forte in Tridentinis melius ſeſe geſſit. Suſpendam ego iudicium, donec videro. *Allatii* ille conatus laude dignus eſt. Etſi enim *apocrypha* officiant ſinceritati fidei magis, quam vt proſint; vetuſtate tamen ſua prouocant nos ad lectionem, ſimulque caute nos gerere res noſtras iubent in Chriſtianæ Fidei negotiis, quo ſcilicet illam ex limpidis verbi diuini fontibus hauriamus, non ex turbidis mere humanorum, hoc eſt, erroribus obnoxiorum ſcriptorum lacunis. Ego vero exſpectabam ab *Allatio*

 edi-

editionem ſcriptorum Græcorum, qui pro concordia cum latinis ineunda laborauerunt: quorum ille guſtum nobis propinauit volumine primo *Græciæ Orthodoxæ*. An fortaſſis iam in lucem prodiit volumen, quod promiſit, ſecundum? An obſtat ſacra Inquiſitio, quo minus pergat in illo inſtituto? Videtur ſane ipſemet tale aliquid innuere præfatione libri de *Purgatorio*, quem *Alexandro* inſcripſit; mihi autem oppoſuit. *Lambecii* prodromum perluſtraui. Multa habet docta. Sed ſi quid auguror, illum prodromum non ſequetur epidromus: idque multis de cauſſis. Argumentum idem aliquando mihi propoſui per partes: etiam *Aegyptiaca* quædem iam dedi, et quidem diffuſius Lambecio, in *Hermeticis* meis; *Chaldaica* item libello nondum edito; in libro de Antiquitatibus Academicis itidem iam publicaui multa, quæ huc pertinent. Sed tam vaſtum argumentum vno opere abſoluere, vel aggredi etiam, vetant occupationes et tot alia, quæ me diſtrahunt. Vt ad *Lambecium* vero redeam, miratus profecto ſum, auſum illum Cæſari *Leopoldo* inſcribere ſuum opus. Quaſi hæc curentur in aula. Videtur vir bonus morum humanorum non ſatis gnarus, aut rerum ſuarum

ni-

nimis benignus æstimator. Cæsarem infestatum iri a vicino Turca, vtinam falso diuinares! Doleo vero iuxta tecum, ignaue adeo a ministris Rempublicam curari. At vero, quantum suspicor, hominibus illis nihil est prius dissolutione inuisi fœderis Principum nostrorum: illi dum inhiant foris, sua perdunt domi. De *Blumii* consiliis iam tum sinistri aliquid acceperam. Frater cum nuperrime adesset, narrabat, illum Romam mitti ab Eminentissimo Domino Electore: id me dubium reddidit. Nunc vero tuis literis in mœrorem sum coniectus. Quidni enim doleam, illum, quem semper multum dilexi, abripi in deuia? Opto iuxta tecum, vt Deus eum regat et reducat in viam. Vt de nostris Academicis quoque aliquid adiiciam, libro meo de ciuili prudentia iam adieci plagulas octo, nec supersunt addenda, nisi capita duo; alterum de recta institutione hominis politici; alterum de Scriptoribus, qui ad comparandam ciuilem prudentiam possunt facere. Ea iam nunc ordine traduntur typographo, vt proinde breui totus liber sit proditurus in lucem. Interea accipe plagulas octo illas, et, si vacat, quæso, diligenter illis perlectis (requirunt autem lectorem attentum) sententiam perscribe,

ſcribe. Multa enim hactenus indicta abs me tradita inuenies: bene, an ſecus, iudicent alii. Publice porro ad calamum hac hyeme dictabo librum de recta ferendarum et examinandarum legum ratione: quod argumentum itidem eſt perutile; a nemine tamen pro merito tactum. Edam et alia hac hyeme, quæ non indico iam, ne nimis magnus promiſſor tibi videar. Intra paucas hebdomades prodibunt opuſcula varia Hiſtorica *Henrici Meibomii*, et *Melitæ* Inſulæ *deſcriptio*, et *Metrophanis* Patriarchæ Alexandrini Confeſſio fidei Græco-Latina, et *Bartholomæi Viotti* vtiliſſimus liber *de Demonſtratione*: omnia meis præfationibus illuſtrata. Vide, quam me prolixum reddat amor tibi obſequendi, et diuturna abſentia mea. Deum veneror, vt omnia ex voto tibi fluant, idque in bonum publicum!

CXXXII.

Conringii prolixa diiudicatio hiſtoriæ Concilii Tridentini, quam contra *Paulum Sarpium* ſcripſit *Sfortia Pallauicinus.*

Wolffenbutteli d. $\frac{17}{7}$ Octobr. 1660.

Cum ante hoſce octo dies ad ternas tuas prolixe reſponderem, non diſſimulaui, quid exſpecta-

ctarem de Eminentiſſimi Csrdinalis *Pallauicini* opere, cuius tuæ literæ meminerant, ſuſpendens interim iudicium, donec illud legere contigerit. Et vero ita eſt, vti ſcripſeras, eſſe illud opus Proteſtantium pleriſque ignoratum: nec vero hactenus, mihi quidem, vel fando innotuerat. Dum hic vero dego, Sereniſſimus et omni laude maior Princeps *AVGVSTVS*, Dominus meus Clementiſſimus, ſimulac operis illius Pallauiciniani iniicitur mentio, illico, qua adhuc valet inuſitata memoriæ tanto in ſenio felicitate, iuxta promptitudinem expediendarum omnium rerum incredibilem, recordatur, contineri illud iamdudum in Bibliotheca ſua Auguſta, quam vere dixeris incomparabilem literariæ ſupellectilis theſaurum, et bis quidem, eoque mittit ſtatim domum meam exemplar vnum, nec mittit tantum, ſed etiam, pro ſua erga me, quamuis nihil tale meritum, gratia, mihi liberaliſſime donat. Ego vero quamuis minus *italice* doctus, inuolaui mox in deſideratum opus, idque quantum fieri licuit, ſtudioſe volui reuoluique, maiore induſtria idem facturus, vbi latine loquentem *Pallauicinum* audire contigerit. Dicam interim apud te, Generoſe Domine, quid iam tum ſentiam, idque procul odio et amore,

more, de grandi illo Cardinalis conatu, fortaſſis etiam te in ſententiam meam attracturus. *Primum* igitur deprehendi ſane ſummam diligentiam in excutiendis omnibus illis, quæ vel ſpeciem falſi habent in vniuerſa illa Tridentina Hiiſtoria *P. Pauli Veneti* ſiue *Petri Suauis Polani.* Deprehendi *deinde* numeratos quidem errores pluſquam trecentos; pleroſque autem commiſſos in rebus minutis et leuis momenti; reliqua omnia, et quidem quotquot ſunt ponderis paulo maioris, qualia profecto hiſtoria illa *P. Pauli* habet longe plurima, ne quidem tacta eſſe vel ſummo, vt ita loquar, digito. Deprehendi *tertio*, opponi perfrequanter hiſtoriæ illi Tridentinæ teſtimonia perquam ſuſpectæ fidei, ac proinde haud idonea, quibus falſi conuincatur *P. Paulus.* Et vero memini equidem lecta mihi haud pauca in monumentis eius æui, vnde firmum *Pauli* narrationibus teſtimonium poteſt accipi. Videor et *quarto* mihi deprehendiſſe iam nonnulla narrata a *Pallauicino*, quæ hactenus latuerant et *Paulum* et vulgo Proteſtantes, iam prodita in lucem; fortaſſis autem Proteſtantium magis bono, quam partis Pontificiæ. Deprehendi *denique* vniuerſo in opere ſumme addictum Romanæ curiæ ani-

mum, et ab omni moderatione atque æquitate alienum, vno verbo, totum Iesuiticum; qualis num sit aptus scribendæ historiæ sacrorum certaminum nostri æui, nemo prudens non facile iudicauerit. Itaque, quantum arbitror, hoc quidem opere et de Romana Curia præclare est meritus *Pallauicinus*, et Protestantium rebus famæque *P. Pauli* simul bene consuluit, adeoque meruit, vt ab vtraque parte ipsi agantur gratiæ. Dudum scilicet Curiam vehementer iam pupugit historia illa Tridentina, nec quisquam est inuentus, qui vel ausus fuerit eius confutationem aggredi, præter *Nicolaum Riccardium*, qui tamen vsque adeo fefellit Curiæ exspectationem, vt librum ab illo conscriptum statim suppresserit. *Terentium Alciatum* enim nunc haud moror, quoniam eius nihil in lucem prodiit. Effecit vero *Pallauicinus* ipsa operis mole, saltem apud vulgus et minus doctos, vt et apud superstitiosos Curiæ veneratores, vt historia *Pauli* iam suspecta sit, imo videatur tota fabulosa. Quam hominum multitudinem in stuporem agere, vel attinere in stupore, plurimum profecto Curiæ interest. Galerum igitur Cardinalitium tanto labore promeruit profecto *Pallauicinus*: apud *Alexandrum* sane,

vt

vt cuius auſpiciis tam grande opus vidit lucem, et hiſtoriæ Paulinæ fides tantopere cœpit laborare, cum gloria Romanæ ſedis. Ex aduerſo iam innotuit Proteſtantibus, leuia et minuta eſſe, quæ ſaltem veri aliqua ſimilitudine poſſunt obiici *Pauli* narrationibus; atque adeo pleraque, imo maioris momenti omnia, indubitatæ eſſe iam porro ſidei, poſſeque adeo illa ſecure aduerſariis in poſterum opponi. Iidem Proteſtantes debent plurimum etiam illo nomine *Sfortiæ Pallauicino*, quod in media Italia, inque ipſa Roma legatur iam hiſtoria ſacra Proteſtantium et vberior longe ſolito, et veritati propior. Quidni enim illi hinc exſpectent eximium fructum? Ad hoc poterunt ſimiliter et hinc ſibi multum polliceri, quod tanto conatu ab homine tantæ doctrinæ et induſtriæ adeo parum potuerit proſici, et aduerſus Proteſtantium geſta, et pro diluendis excuſandiſque ſuorum grauiſſimis erroribus ac delictis. Hanc meam de opere iſthoc Pallauiciniano ſententiam, Illuſtris Domine, cum paulum otii mihi nunc ſuperſit heic loci, nolui diſſimulare diutius, tantum vt ſentias, promptum quidem me ſemper eſſe ad reſpondendum, ſed interdum otio deſtitutum, atque adeo in poſterum excuſatum me habeas, ſi non illico ad tu-

as

as aliquid regeram. Exercitus Cæſarianus in tranſitu ſuo exſpectatione rectius ſeſe hic habuit, forte quod metuerint ſibi a ſociorum Principum armis, aut vero quod properare iubeat Turcarum impetus etiam inuitos. Et vero iam fortaſſis ipſimet experiri incipiunt, quid et ignauia ſua et ineptis conſiliis effecerint, inque quantum diſcrimen res ſuas domi coniecerint, dum ſacram tyrannidem etiam Hungaris intentant ex Ieſuitarum ſuggeſtionibus, quaſi non ſatis ſit illis modis Germaniam pene omnem perdidiſſe. Deus illis hominibus det bonam mentem, et turbet conatus Turcicos, nobiſque pacem firmam aliquando benigne largiatur! Quæſo, proxime ſignifices, num prodierit in lucem pars altera Græciæ Orthodoxæ *Leonis Allatii.*

CXXXIII.

Boineburgius de *Puſendorſii* elementis flagitat iudicium *Conringii.*

Francofurti d. 12. Octobr. 1660.

Occaſionem hanc putem in rem noſtram poſſe verti, dum Legatus Galliæ Wolferbyti eſt. Ei, ſi quid ad me voles, tuto committi poteſt, vel potius tubicini et equitibus Eminentiſſimi Electo-

 ris,

ris, qui ipſum comitantur. Miſi *Rachelio* nouum iurisprudentiæ *Grotianæ* exornatorem, *Pufendorfii* libellum recens editum *. Quæſo, lege et iudicium tuum de eo mihi aperi. Melior commoditas aliqua ad me veſtratium ſcriptorum academicorum mittendi non occurret facile. Igitur ea vt vtaris, oro peramanter. *Rachelio* quoque velim eandem innoteſcere. Scio, has Sereniſſimum *Auguſtum* tibi rectiſſime tranſmiſſurum, teque ad tot meas benigne reſponſurum. Vale et ama me. Diſputationes quæſo, quaſdam mittite et theologicas, et philoſophicas et Iuridicas: Medicas quoque; faſciculos quamuis ſpiſſos; equitibus noſtris committi poſſunt.

CXXXIV.

---

* *Relatum mihi eſt*, inquit *Leibnitius* in otio Hanouerano *Felleri p. 181. cum primum ederet Pufendorfius elementa ſua iuriſprudentiæ Hagæ Comitum A. 1660. hoc ipſo captaſſe ſibi fauorem Electoris Palatini Caroli Ludouici, quod Hobbeſium in præfatione commendauerit, ex eoque aſſumenda quædam putauerit ſibi, cum nimirum conſtaret ipſi, ſummum Hobbeſii admiratorem eſſe Electorem, cui et opus iſthoc dedicauit, hacque ratione meruiſſe, vt profeſſio Heidelbergenſis ipſi demandaretur.*

CXXXIV.

Boineburgius inter alia vrget iudicium *Conringii* de *Pufendorfio*.

Francofurti d. 18. Octobr. 1660.

Ad tuas d. 29. Sept. ſt. v. pauca repono, comparſis in aliam occaſionem, quæ dicenda habeo præter hæc. Kapitulationem Karulinam te in tertium adornanda editione libri pulcherrimi de *O. I. Germanici* commemoraturum lætor, et opto, vt ea quam locupletiſſima prodeat. *Graſwinckelii* epiſtolæ excerptionem tibi placuiſſe, itidem gaudeo. Reliqua eius mittere non poſſum ideo, quod non ſint in mea poteſtate, ſed in *Iſaaci Gruteri*, qui Nouiomagi * degit, ad quem illa ſcripta fuit. *Caſſandrina* tua, quæ me ad Pyrenæos hærente miſeras, recte mihi tradita demum eſſe, ne ſis inconſcius, ecce! repeto, atque ſic bonum illum virum, cui ea concrediderat Mulle-

 rus,

* Vel potius *Roterodami*. A *Nicolao* enim *Heinſio* vocatur *Eraſmiano, quod apud Roterodamios eſt, Gymnaſio præfectus* in *Burmann. ſyllog. epiſt. t. 5. p. 113.* et infra ep. 258. ab ipſo Boineburgio *Roterodamenſis ſcholæ rector*: niſi forte ante hoc tempus degerit *Nouiomagi.*

rus, omni ſuſpicione libero. *Pallauicini* tomi duo in fol. contra *Pauli* Seruitæ Tridentinam hiſtoriam italice prodierunt iam ante triennium. Ii iam latine redduntur. Videbis tum, an operæ fecerit pretium, nec ne? De *Lambecio* quæ notas, perplacent. Eius certe inſtitutum de conſignanda literaria hiſtoria laudem meretur. *Chaldaica* tua quidni edis? *Vogleri* quoque ſtudia circa idem argumentum me valde afficiunt, et magno deſiderio legendi accendunt. Quæſo, meo ære conducas hominem, qui et notata tua ad *Grotii lib.* 2. et ad eiuſdem libellum aureolum *de veritate religionis Chriſtianæ*, et *Vogleri* diſſertata, quorum mentio in veſtræ academiæ catalogo viſitur, de eruditionis propagatione optimiſque omnis æui Scriptoribus exſcribat: eiuſdem item exercitationes, rectam philoſophandi rationem turbantibus oppoſitas. An nulla ſupereſt ſpes de notis, quas olim meditabaris ad laudationes Ariſtotelis? Dignior hanc materiem perſequendi locus vix vſquam obuius. Conferantur Hermetica, Chaldaica, Academica, Ariſtotelica, et illa tua, queis Scriptores vniuerſi retro temporis memoraſti, edi digniſſima. De *Blumio* nil dico. Conſilia noſtra ipſi diſplicuiſſe, res ipſa loquitur. Si

for-

fortunam suam alibi meliorem efficit, gaudebo. Deus eum sui cognitione beet! Sed intelligo eam, quæ et Dei et sui notitiam infert. Hanc si perinde habet, atque illam, non est erraturus. Pietatis certe et intelligentiæ satis habet. Sed hæc omnia inter nos solos, sub fide silentii. Nolo enim bono viro noceri. De ciuili prudentia tua iam incipio bene sperare. Quæso, reliquas plagulas proxime mitte. De recta legum ferundarum et examinandarum ratione quæ meditaris, vt et omnia cetera, Deus fortunet! Quæso, horum me iudice exhilara. Scis, tua quanti faciam. *Viotti Meibomii*que auide quoque exspecto. Ero gratus. Vale. Nescio an vestrates ex nundinis attulerint *Spizelii* libellum de re literaria Sinensium. Misi nuper *Rachelio Pufendorfii* cuiusdam librum *iurisprudentiæ vniuersalis*, vt vocat. Neque etiam dubito, quin vestri homines eum hinc ex nundinis recens ad vos pertulerint. Obsecro, iudicium de eo mihi tuum expone. Ordinis omnis expers est, atque præter *Grotium* ac *Hobbium*, dispar par, citat neminem: neque hos, nisi semel; idque in præfatione. Alii nimium multos allegando peccant; hic, dum allegat neminem, solus peccare mauult, quam cum

 aliis.

aliis. Isagogen *Grotii* misi ad aliquem, qui e belgico latine vertat. *Zouchei* elementa iurisprudentiæ quei placent? Alios iuris breuiatores non noui, qui quidem ex lumine naturæ et gentium moribus id tradant; etsi *Zoucheus* Romanas leges haut immerito in auxilium deuocauerit. *Seldeniana* omnia per sunt vtique egregia. Sed hunc in censum, nempe synopticorum, venire non possunt. De *Feldio* amabo, vbi iam agit? quid muginatur sine in philosophia, seu in iuris doctrina? Sed desino gerrarum. Proxime plura. Sed exspecto a te antea responsum, et si qua eis adiiciet tua benignitas e diuite penu eruditionum tuarum.

CXXXV.

Conringius cum Legato Gallico in Aula amicitiam contraxisse gaudet.

Wolffembutteli d. 14. Octobr. 1660.

Quas XII. Octobris exarasti, ipsimet mihi coram, dum iussu Serenissimi et optimi Principis *Augusti* in gratiam Legati Gallici heic dego, traditæ sunt: vt et quas octiduo post exarasti. Itaque cum aliquamdiu absfuerim domo, desitque adeo mihi commoditas *Pufendorferum* perlustran-

di,

di, aut congerendi illos fasciculos, quos desideras; aliud in tempus hæc omnia differri, non feres ægre. De *Pallauicini* Tridentina historia quid sentiam, interea iam acceperis indubie. Scripsi autem sine amore et odio. Nec vero non possum laudare viri et industriam et facilem scribendi digerendique omnia rationem. Cum D. Legato Gallico * contraxi hic nonnihil propioris familiaritatis, quam fouere porro animus est scriptis literis, si tu pararius et laudator mihi accesseris. Animus fere est huic animaduersiones meas *Machiauellicas*, et Eminentissimo D. Cardinali *Mazarino* inscribere librum de *ciuili prudentia.* Nihil tamen constitui adhuc, nec constituam nisi ex tuo consilio: quod proinde etiam atque etiam peto et exopto. Nonnulla mea obtuli D. Legato;

* Fuit is *Robertus Grauelius*, cuius memoria in Actis Imperii frequens et multa: patronus quoque *Leibnitii*, quippe cui amicorum Parisiensium beneuolentiam comparauit. Familiarior tamen huic fuit frater *Iacobus Grauelius*, Broglii seu Busci Grolandi Abbas, in Aula Moguntina Regis Galliæ res agens, cuius aliquas ad *Leibnitium* epistolas suo ordine et loco exhibebimus.

gato; ſed pauca *: quoniam pleraque iam ſunt dudum diuendita. Quæſo, expiſcare ipſius ſententiam, eamque mihi ingenue communica. Hæc ſcripſi inter grauiſſimos dolores nephriticos, quibus me iam quarta vice affligit calculus.

CXXXVI.

Boineburgius ſignificat *Conringio*, quid librorum ab eo exſpectet.

Moguntiæ d. 28. Octobr. 1660.

Scis, quam lubenti animo tecum, quia coram non datur, per literas ſoleam agere. Incidi his ſuperioribus diebus in diſputationes *Ioannis Stukii*, ICti, quas circa annum 1634. Helmſtadii habuit de *iurisprudentiæ natura ac principiis.* Eas antehac omnes poſſedi. Sed omnes iam video mihi periiſſe, præter primam, ſecundam, quartam ac quinctam. Magno me tibi obſtringeres beneficio, ſi omnes alicunde illas mihi impetraueris, tuumque iudicium ſimul de iis perſcripſeris. Hoc primum te volui. Dein rogatum te volo, vt quæ in *Grotii* ſecundum librum de iure B. et P. et in omnes pro religionis Chriſtianæ veritate

* Huius doni memor vt antidorum remiſerit, fuerit Legatus, et quod videbimus *ep. 270.*

ritate dictasti, meo mihi cures ære exscribi, cumprimis illa. *Pufendorfii* libellum, quo iurisprudentiam vniuersalem tradere voluit, clarissimo *Rachelio* misi, ea precē comitatum, vt perinde et tibi eumpse ostenderet, quo tuum super eo sensum quamprimum cognoscere liceret. Confido id omne factum esse. Tua in *Machiauelli* Principem summa cum voluptate pellegi. Vtinam ea ederes! obiectamenta enim varia, quæ in *Machiauelli* doctrinam et eius lectionem contorqueri vulgo solent, reapse diluisti, et vsum eiusdem prudenter ostendis, hiatus supples, errores demis. Singulas modo in horas præstolor reliqua tui operis de *ciuili prudentia.* Obsecro, eorum me missu exhilara solito celerius. *Vogleri* conamen de Scriptorum omnis generis per cuncta retro secula ad nos vsque successione perplacet. Te duce, facilis ei erit labos. Si *Labbei* additiones Bellarminianæ ei ad manum forent, is multo expeditior foret ac splendidior. E re communi studiorum esset, si conficeretur liber, qualis in parte sacra est *Bellarmini* index et iudex librorum potiorum superstitum omnigenorumque tam veterum, quam medii atque recentioris æui, præfixis quoque nominibus eorum, qui Bibliothecas vel

quid consimile hactenus concinnarunt. Lampas sic et fax incomparabilis alluceret operis quotidianis et exercitationibus omni eruditioni studentium. Multum iam tu in eiusmodi praestitisti. Expendantur tua Hermetica, Academica, Kaldaica, quae minaris; tua de eruditionis propagatione, in laudem Aristotelis vnacum notis, quas publico debes. Ea, quae praeposuisti dissertationibus physicis; tum de ciuilis prudentiae autoribus, item quae *Hoppero* praefatus, et quae commentatus es pro introductione ad Medicinam. Nec male huc aptes *Scheurlii* Mercurialem statuam et bibliographiam Moralem; etsi et haec et illa ab aliis vberius sit expolita. *Caspar* enim *Scioppius* et *Barthius* de latinis auctoribus per sunt egregia moliti. Neque in Morali *Raehelius* parum valet. Suauis quoque est *Meieri*, nescio cuiatis, repetitio de ciuilis scientiae conscriptoribus, et *Reinecciana* methodi legendi historicos. Quanquam in hoc stadio multis parasangis antecellat ei *Vossius*, locuples supra omnes congestor potissimorum in re literaria nominum. Dinumerauit enim praeter Historicos vtriusque linguae, quibus plusculos adiiciunt *Mallincrotius* et *Reinesius*, Mathematicos quoque, Philosophos, Philologos, Poë-

Poëtas, Rhetoras, etc. Sacros bene promit *Calixtus*, *Schottus*, *Sanderus*, *Pamelius*, *Allatius*, *Echellensis*, *Voetius*. De Ecclesiasticis antiquissimis scriptoribus librum a *Vossio* superesse, pridem mihi indicauit *Franciscus Iunius*, cum ante paucos annos Francofurto ad me literas dare soleret. Si de omni eruditione einsque tractatoribus praestantioribus tu per modum epistolae vel sermonis exoterici quid scribere velles, felicior vtique id exitu perficeres, et pleniore manu, quam *Christophorus Milaeus*, aut ipse etiam *Lambecius*, qui *Verulamii* consilium sequi gaudens, vix est vt omnes ad unguem numeros absoluat. Laudem tamen meretur nihilo parciorem atque *Sixtus* ipse *Senensis*, *Possevinus*, *Conradus Gesnerus*, *Lycosthenes* eius breuiator, *Simlerus Frisius*que, amplificatores eiusdem, *Bolduanus*, *Miraeus* aliusue. Optem valde, si a quoquam alio, quisquis sit, a te per otium condi historiam seu thesaurum potius lectorum tibi codicum atque librorum, imitamentum *Photii* ad omnem posteritatem exoptatissimae frugis, et amoenitatibus plurimis plenissimum. Quotus enim quisque tale quid praestare praesentiore vi ingenii, acutiore iudicii praestantia, vberiore doctrinarum omnisque eru-

eruditionum omnium apparatus copia polleret? Præ vniuerſis ceteris literatorum principibus viris *photianum* huiuſmodi commentarium quam optime ac fructuoſiſſime conſtruere potuiſſent *Grotius*, *Voſſius*, *Vſſerius*: poſſentque hodienum *Hottingerus*, præſertim Orientalium ſciens, *Bochartus*, meuſque *Conringius*. Philoſophorum hiſtoriam pulcre collegerunt *Alſtedius*, *Hornius*, *Ionſius* nuper. *Gaſſendus* etiam. *Hottingerus* quin etiam. Medicorum dat *Lindius*; alii aliorum, qui tibi plus ſatis noti. Placet quoque *Vogleri* alterum inſtitutum, quo priſcam ac veram philoſophandi rationem vindicare a nouationibus prurientium ingeniorum ſuſcipiet. Auet enim mens cernere cladem *Carteſii*, *Gaſſendi*, *Hobbii*, *Herberti*, *Digbii*, *Thomæ Angli*, *Verulamii*, *Chambræi*, vbi ſingularizat, *Helmontii*, *Iungii*, *Paracelſiſtarum*, *Ramiſtarum*, *Mixtorum*, *Campanellæ*, *Valeriani*, *Ameſii*, *Liceti*, et ſi qui alii id genus exſtitere. Sed quo euagor? Vale, vir ſumme, meque ama, et ſuffer ineptias meas. Talium enim interdum in orbem recurrentia meditamenta animo meo inter tot curas vnica pene reſtant leuamina.

CXXXVII.

CXXXVII.

Boineburgius mittit quædam noua, et iudicium de *Pufendorfio* perurget.

Francofurti d. 1. Nov. 1660.

En! mitto, quæ *D. Horstius* de fœtu illo lapidescente extra vterum scripsit ad amicum: tum catalogum ineditorum *Freinshemii*, qui nuper Heidelbergæ obiit. Hunc mihi communicauit *Hottingerus* heri. Machiauellica tua de *Principe* pellegi. Summe placent. Amabo, ede. Nihil post librum de ciuili prudentia ad politicen illustrandam vtilius gloriosiusue. De *Pufendorfio* tuum iudicium exspecto; potissimnm vero reliqua prudentiæ ciuilis. Quæso te, Vestratibus me disputationibus frequenter recrea. Præterquam enim quod me tibi, si tanti hoc est, multum ea re obligas, publico vtique simul admodum prodes. Sum enim in eo, vt omnia tua politica et historica et erudita cum cunctis apud nos bonis animabus communicem, quo eas excitem paullatim ad generosa imitamenta. Vale, et ama me.

CXXXVIII.

Boineburgius suadet *Conringio*, vt librorum suorum alterum *Mazarino* Cardinali, alterum *Hu-*

goni

goni de *Lione* dedicet. Poſt in *Allatii*, *Spanhemii*, *Machiauelli*, *Pufendorſii*, *Naudæi*, excurrit nomina.

Francofurti d. 2. Nov. 1660.

Binas hodie abs te reddidit mihi *Heilandus*, Sereniſſimi Senis *Auguſti* Ducis heic Legatus. Ad eas paucis e veſtigio reſpondendum duxi. Iudicium tuum de opere *Pallauicini* non diſplicet, niſi quod doceri amplius velim, quei putes id Proteſtantium rebus conducere, Duo illi tomi an integri ſint perlecti tam breui tempore, dubito; potiora tamen quin aſſecutus ſis, minime dubito. In paruis illum Cardinalem nimium quandoque pridem animaduerti. Quod ciuilem prudentiam inſcribere Cardinali *Mazarino* velis, per omnia approbo, laudo, ſuadeo. Quæſo te, matura hoc nomine libri exſpectatiſſimi editionem ſolito celerius, vt occaſio tibi tanto ſit opportunior, recenti hac pace inter Reges ſummi illius viri ciuilem prudentiam debitis encomiis prædicandi atque percelebrandi. Sane ſupra famam is eſt. Merito mihi gaudeo proinde, cum ipſo me quatuor et quod excurrit menſes, tam ad Pyrenæos ſub ipſum tractationis pro pace tempus, quam poſtea Tholoſæ, continenter ac ſingulis diebus eſſe con-

uer-

uerſatum. Comperi enim de ſpectatæ illo ſapientiæ et eminentiſſimæ in negotiis peragendis dexteritatis viro apprime ſingularia et perexiinia quamplurima, idque coram. Nihilo mihi minus gratulor in omni vita mea, quod antehac et *Axelium Oxenſtirnam*, Seniorem, Suediæ Cancellarium, magnum vtique in re ciuili heroa, non modo viderim, ſed in Suedia cum illo vltra ipſum annum egerim, digniſſimo certe, qui iuxta cum *Purpurato* illo memoretur. Machiauellica tua ſi domino *Hugoni* de *Lionne*, ſummæ iam in verſandis negotiis apud regem Chriſtianiſſimum ſub *Mazarino* exiſtimationis et experientiæ homini, mihique longe amiciſſimo, tuarumque rerum intelligenti ac ſplendido æſtimatori, dedicaueris; haut profecto nullum facies laboris pretium. *Grauello* propediem alium libellum forte dicare poteris de legum examine, aut alio de argumento, quodcunque voles. *Allatii* altera pars *Orthodoxæ Græciæ* necdum prodiit. Inquiram tamen per amicos Romanos, vel apud ipſummet. Conſenſio eius Orientalis cum Occidentali eccleſia a *Friderico Spanhemio* Heidelbergæ nunc refellitur: quo ſucceſſu, dies pandet. Quod pro meis tenerrimis deſideriis nonnihil ſedandis colligere vis faſciculos

culos quosdam tuarum ac vestratium disputationum, in eo me tibi maiorem in modum deuincies. Vtique non ero ingratus. Tua in *Grotium* pro Religione Christiana annotata, præcipue autem illa in eiusdem opus de belli iure ac pacis, si exscribi mihique quamprimum reddi curaueris, peculiari documento meam animi gratitudinem significabo. Vtinam adduci posses, vt, quemadmodum in *Principem Nicolai Machiauelli*, ita et in opus Grotianum scriberes annotationes, obseruationes atque animaduersiones! Omnes politicos et ICtos, in rerum vsu et actu occupatos, summe amplissimo tuo Nomini obstringeres. Ciuilis namque et iurisprudentiæ germanæ consultos nemo potest locupletius erudire, quam *Grotius* et *Conringius*, mei in his studiis principes Magistri. *Pufendorfii* libellus quo loco haberi mereatur, te docente, cognoscere vnice gestio. *Scheferus* tibi miserit proculdubio reliquos tomos, nempe XI. et XII. Vorburgiani operis, quos meo admonitu nepos *Vorburgii* bibliothecæ tuæ dono dedit. Opto summopere videre catalogum Augustæ laudatissimi Ducis *Augusti* bibliothecæ, cum longa de rebus librariis præfatione *Hermanni* mei *Conringii*. *Gabriel* certe *Naudæus* Cordesianæ

ſianæ talem præfigere non dubitauit. Numqua ſpes eſſet, exorari poſſe Principem optimum, vt donaret mihi legendum indicem, non equidem librorum ſuorum omnium: id enim eſſet vel petere indecorum: ſaltem Iuridicorum, Hiſtoricorum, Bellicorum, Politicorum, Ethicorum, Logicorum etiam, Rhetoricorum, Grammaticorum? Sed deſino. Vale, vir meo cordi proxime, et frequentiſſime tuis me literis, libris, iudiciis, inſtrue atque refice. Claritudini doctrinarum virtutumque tuarum mancupio dicatiſſimus B.

CXXXIX.

Conringius de dedicationibus iſtis Legati Gallici in Germania *Roberti Grauelli* iudicium exquirit.

Helmſtadii d. $\frac{9}{19}$ *Nov. 1660.*

Dum hoc momento Sereniſſimi vereque Auguſti Principis mei cura per celerem traduntur mihi Excellentiæ Veſtræ literæ; non diffitebor, in ruborem me actum, animoque iam multum eſſe turbato. Etenim et gaudeo ſimul plurimum, inuſitatum inſperatumque mihi honorem exhibitum, et ſimul pudore ſuffundor, ſentiens me præuentum illo in genere, cuius exordium ab officio

 meo

meo fummo iure exfpectabatur. Nec tamen mihi quicquam eft reliquum, quam vt culpam confeffo veniamque petenti Excellentia Veftra folita beneuolentia indulgeat. Et vero fancte polliceor, fi hoc etiam ad veniam impetrandam facere quidquam poffit, adhibiturum me impofterum operam omnem, vt fimul et hæc culpa nonnihil compenfetur, et in me nihil temere queat defiderari. Ignofci vero etiam in eo mihi peto, quod aliena lingua fcribam, nec fortaffis diuerfa impofterum vfurus fim. Non enim nefcio, hoc etiam inciuile effe; præfertim in tam familiari noftris etiam hominibus Gallicæ linguæ vfu. Sed fpero ego veniam a confeffione infcitiæ meæ pariter, et Excellentiæ Veftræ in me animo beneuolo, hoc etiam in negotio. Felix, modo impofterum mihi liceat effe fic agrefti.

Quod rem meam literariam attinet, publico nunc et librum *de ciuili prudentia*, et politicas illas in *Machiauelli* Principem animaduerfiones, quarum nuper memini: idque vrgente cumprimis Barone *Boincburgio*, qui fimul audet fuadere, vt alterum Eminentiffimo Cardinali *Mazarino*; alterum Illuftriffimo Comiti de *Leon* confecrem: hactenus tamen non perfuadet, confcio et illorum

rum fummæ dignitatis, et librorum meorum tenuitatis; nifi fortaffis Excellentiæ Veftræ fuffragio adiuuetur. Mittam breui faltem aliquot plagulas Animaduerfionum, vt intelligam, num ferre queant acre Politicorum iudicium, et audeant in illorum prodire confpectum. Si interea non difplicuerint hæc, quæ iam addo, bene fortaffis etiam licebit de illis fperare.

CXL.

Poft alia plura fequitur denique *Conringii* iudicium de *Pufendorfii* elementis.

Helmftad. d. 28. Octobr. 1660.

Hoc ipfo momento binas tuas per celerem mittit Sereniffimus et Optimus plane Princeps: ftatim vero refpondeo, ne vacuus celer ille redeat, neue exfpectationem tuam morer. Quæ de libello, quo lapidei fœtus generatio erat expofita, fcripferam quærenti tibi, incidiffe in alias manus, præter exfpectationem accidit. Si præfciuiffem, maiore in fcribendo cautela fortaffis fuiffem vfus. Nec tamen fcripfiffe pœnitet. *Pallauicini* opus Proteftantibus profuturum cenfeo, quoniam oftendit, *Pauli* Hiftoriam non nifi in minutiis quibufdam laborare fortaffis; de cetero nihil in ea re-

periri, quod non ſit vero conſentaneum. Id quod perſuaſum Proteſtantibus conducit quam maxime; in Italia præſertim, vbi Hiſtoria illa, vt excitat curioſa ingenia, ita mordet Curiam. Curo iam opus illud compingi a bibliopego: confectum legam maiore adhuc diligentia, non diſſimulaturus, quæ obſeruauero. Conſilium, quod dediſti, de dedicando libro de ciuili prudentia et Machiauellico, placet, eoque ſequar propediem. Vnum vereor, ne moles vtriuſque libelli ſit infra dignitatem tantorum virorum. Fortaſſis tamen et illa merebitur veniam, ſi tu laudator acceſſeris. *Pufendorfii* Elementa Iurisprudentiæ ante triduum denique incidere in manus, cum luſtrarem Bibliopolium. Neſcio quis ille autor ſit, niſi quod Germanus videatur. Liber vero ille ſuperauit meam exſpectationem. Eſt enim dictione elegans, argumento præclarus, tractandi ratione neruoſus quidem et breuis; quæ iſthuc tamen pertinent, attingens omnia, et hactenus ſic ſatis diffuſus. Poſt *Grotium* nihil vidi ſimile. Tantum optarim *Elementa* illa in iuſtum opus extendi, propoſitis ſimul in medium, quæ hinc inde de re quauis diſputari poſſunt. Id

quod

quod operæ fuerit pretium *. A me tale quid noli desiderare, priusquam edidero, quæ ad Imperii nostri illustrationem faciunt: quod nunc adeo mihi maxime est propositum. Possit vero de plerisque disputatio institui non minus accurata, quam illa est, quam heri accepi *de exclusiuo Principum suffragio in eligendis Papis.* Quanquam enim videatur auctor non satisfacere petitis ex Canonico Iure obiectionibus, nec me quidem iudice possit satisfacere; telumque ministret omnibus omnino Romanæ Ecclesiæ addictis Regibus ac Principibus ad Conclauia turbanda, quod hactenus fecere soli Hispani, Galli, Florentini et quadamtenus Cæsares; non sit etiam latine satis doctus: disputat tamen accurate, presse, et ar-

* Ad alium amicum d. 12. Sept. 1664. ita scripsit: *In Pufendorfio non ingenii vim desideraui, sed modestiam et maiorem antiquitatis cultum. Elementa ipsius, quantum inspexi, arguunt, nibil illum vulgare supere.* *Leibnitio* teste, fama tum fuit, *Pufendorfium* hæc elementa ex *Eberhardi Weigelii* Ethica Euclidea manuscripta tota efformasse *Epist. t. 3. p. 24.* Quæ fama tam late manauit, vt Schurzfleischius *Iudic. e Parnasso* scripserit, *in puluere euclideo doctorem iis elucubrandis insudasse.*

gumentis agit ſolidis, quomodo par eſt iuris naturalis prudentiam doceri. Vorburgianæ Hiſtoriæ Tomum XI. et XII. non accepi. Eorum vero deſiderium excitauit perluſtratio præcedentium voluminum, quam hiſce proximis aliquot horis ſucciſſiuis inſtitui. Opus certe eſt incomparabile, et quale non exſpectabam. Si noſſem et nomen et conditionem *Vorburgii* iunioris, non gratias duntaxat agerem, ſed etiam præconio ornarem opus pro merito, niſi forte hoc illi graue ſit apud Zelotas. Interim affectum meum Viro illi exponere non granaberis. Bellarminum *Labbei*, aut Vitam *Richelii*, aut Euſebium *Valeſii* non attulit bibliopola: itaque in iis deſiderium meum manet adhuc ſuſpenſum. De catalogo Auguſtiſſimæ Bibliothecæ publicando, vtinam poſſit laudatiſſimo Principi perſuaderi! Omnia ſane exſpectatione maiora deprehenderis, atque ego felicem me prædicauerim, ſi *Naudæi* exemplo mihi præferri licuerit. Quod ſi ipſemet tu epiſtola quadam negotium hoc vrſeris, ſperauerim, exorari Principem poſſe, quoniam vales etiam apud Sereniſſimam eius Celſitudinem et dignitatis pariter et doctrinæ nomine. Inter affecta doctiſſimi *Freinſhemii* deprehendo et ſupplementa Politicorum Ariſto-

riſtotelis. Non credo quidem laudem illam mereri, quam conſecuta iam ſunt Liuiana; videre tamen deſidero: eoque quæſo, des operam, vt nanciſcaris.

CXLI.

Boineburgius catalogum bibliothecæ Guelphicæ in publicum edi exoptat.

Francofurti d. 20. Nov. 1660.

Tuæ d. 28. ſt. v. datæ ſumma me voluptate affecerunt, idque non vnis nominibus. Inde enim didici, quid cenſeas de *Puſendorfii* libello; item de autore eius, qui exſtat pro iure excludendi quoſdam a papatu; tum de *Vorburgii* opere hiſtorico; dein de *Freinſhemianis*; de voto denique meo videndi catalogum Auguſtæ Bibliothecæ, tua præfatione decoratum. De hoc vt ordiar, non poſſum diſſimulare meum deſiderium iſtoc, quia per eſt magnum: neque dolorem, qui perinde magnus eſt, dum animaduerto, hoc negotium impeditiores debito habiturum explicatus. Non ceſſabo tamen, nec deſinam orare per *Heilandum*, ac cottidiana prece ſollicitabo Auguſtiſſimum Senem, vt indulgentem ſe nobis ac facilem præbeat, ipſeque fruatur viuus adhuc cultu ſui, qui

qui ex tanti thesauri agnitione erga ipsum inclare-scet infinito magis. De *Freinshemianis* scripsi Serenissimo Electori Palatino, quem curam horum suscepturum, vt communicentur nobiscum, non est ambigendum. Certiorem te faciam proxime. *Vorburgii* nepos est in Ducatu Franconiæ præfecturæ cuipiam præpositus ab Eminentissimo Electore, et donatus elogio Consiliarii. Literas ad ipsum sub meo inuolucro inobsignatas mihi mitte. Recte curabuntur. Tomi XI. et XII. sunt in manu *Scheferi*. Suadebo *Vorburgio*, vt quæ propediem sequentur, tua præfatione sinat exornari. Vendibiliora sic fore, certum est. De *Pufendorfio* itidem gaudeo, tibi haut displicere, quæ mihi certe arrident admodum. Præter ordinem et methodum nihil in eo desiderari potest. *Labbei* duos tomos, quibus Bellarminianum libellum de scriptoribus auget, *Hottingero* misi. Eusebium *H. Valesii* mecum habeo Moguntiæ. Si tam prope nobis adesses, vt ego opto, frequenter omnium et talium, et aliarum rerum nostratium intime esses conscius et compos. Finiam, simul dixero, fœderis prorogati ratihabitiones iam hac hora commutatum iri. Vienna nunc ad nos scribunt solito humanius, ac Turcicis peri-

cu-

culis ingrauescentibus forte ad meliorem mentem perducentur. Quae *Florus* scribit en! tecum communico, vt scias, et illum amici esse memorem. Vale, et ama me. Quae toties petii, eorum ne obliuiscare, rogo. Ciuilem prudentiam vt *Mazarino* dices, omnino e re est. Internuncio si me vti voles, non poenitebit. Liber ille nemini dicari rectius poterit ob insignem praestantiam ac harmoniam et eius, cui inscribitur, et argumenti et auctoris.

CXLII.

Conringius de catalogo illo, de dedicationibus suis, de foedere prorogato, de *Blumio* et de pace ecclesiastica breuibus cum *Boineburgio* agit.

Helmstad. d. 14. Nov. 1660.

Ne celerem, quem literarum tuarum curandarum gratia Augustissimus Princeps mittit, inanem dimittam, paucis statim respondeo. De editione Indicis Augustae Bibliothecae, pertinere scilicet illam ad gloriam Principis incomparabilis, iuxta tecum sentio. Nec enim, scio, quisquam temere crediderit, animo et manu Viri Principis rem tantam peractam, et nunc etiam in illo in-

usitato ſenio feliciter agi. Si inſtiteris per *Heilandum*, aut potius literis propriis, ſperauerim aliquid tandem impetratum iri; etſi optimus Princeps minus ſit ſtudioſus famæ in vulgo quærendæ: quæ ſolet eſſe ratio animorum vere generoſorum et Heroicorum. Ad *Vorburgium* iuniorem ſcribam proxime. Animaduerſionum ad *Machiauellum* quinta iam plagula in lucem prodiit. Exſpecto abs te titulum cum Eminentiſſimi Cardinalis *Mazarini*, tum Comitis de *Lione*, et quidem ita formatum, vt poſſit libellis præfigi ſine dedecore. Maturabo enim vtriuſque editionem, quantum potero, et tuum ſequar conſilium in eorum dedicationibus. Fœderi prorogato addam vota et preces meas ad Deum Optimum Maximum, certus, illo tanquam Palladio ſtare hodie res Germanicas. Vtinam Viennæ ſapiant etiam ſine magiſtro Turca! Illorum certe ſapientia magno conſtat Chriſtiano Orbi. Nec vero facile adeo recuperabimus amiſſa. *Flori* literas non ſine voluptate perlegi. Amo hominem, eoque magis doleo, tranſuerſum agi. Verum quid aget Romæ? Intelligo Viennæ ab illo dictum, *Romam ſeſe petere, ceu filium deuotum Eccleſiæ.* An poſſit ibi rebus ſuis nonnihil impetrare, dies docebit. Ea

e-

enim eſt filiorum multitudo ipſa in Curia, vt abſentium ratio haberi nequeat. Rumor eſt, ab ipſo Eminentiſſimo Domino Electore Moguntino agitari Romæ conſilia de ineunda Pace Eccleſiaſtica, et iam tum ſparguntur hic eius argumenti chartæ. Mihi fabulæ videntur inanes *. Si quid ſubſit tamen, fortaſſis licebit ſub ſilentii fide eius me facere participem.

Politiſche Vorſchläge,
wie die Catholiſche vnd Evangeliſche Kirche
zu vereinigen.

Chur-Mayntz *hat zu dem allgemeinen Frieden zu Münſter viel geholffen; laſſet Ihm auch alſo die Religions-Vereinigung angelegen ſeyn: Zu dem Ende Er den Herrn von* Wallendorf *nach* Rom *geſchickt. Auch wollen Ihm* Chur-Cölln *vnd* Chur-Trier, *auch* Chur-Pfaltz *ſamt* Heſſen-Darmſtadt *Aſſiſtenz leiſten. Spanien vnd Franckreich*

* Adſtipulatur quidem huic iudicio *Boineburgius* infra *ep. 145.* et ipſe *Leibnitius Epiſtolar. t. 1. p. 65.* Cum tamen in ſchedis Leibnitianis ipſa manu Leibnitii ſcriptam formulam inuenerim, eam hic ſubiicio, vt de propoſito iſto iudicare quilibet poſſit, vt volet.

reich incliniren auch dazu: ja der Papst selbst und die Iesuiten. Die Vorschläge gehen dahin:

I. *Es soll ein Synodus von XXIV. Personen beider Religionen gleicher Zahl angestellet werden, die das iuramentum calumniæ vorher ablegen, auch alle moderation sub pœna exclusionis spühren lassen sollen.*

II. *Sollen aus und nach den ältesten Exemplarien der heiligen Schrifft so wohl das* Breuiarium *als die Augspurgische Confession von Artickel zu Artickel erwogen, und, was die meisten Stimmen als gegründet schliessen, angenommen werden.*

III. *Die Catholische Messe soll man in teuscher Sprache lesen, und sollen die XXIV. Personen solche also fassen, wie beide Theil sich darum vereinigen können.*

IV. *Die Evangelischen sollen ins künfftige die* Reformirt-Catholische *von den alt Catholischen genennet werden, denen der Papst in Rom eine besondere Kirche einräumen wolle.*

V. *Den*

V. *Den Papst soll man vor den obristen Priester erkennen: er will hingegen auch Reformirten Catholischen Aemter vnd Prælaturen in Rom geben, und sie gebrauchen.*

VI. *Wer eine oder andere Religion schmähet, soll allerseits excommunicirt werden.*

VII. *Das Abendmal soll man vnter beider Gestalt zu gebrauchen Macht haben; auch den Alt-Catholischen erlaubet seyn, solches bey den Reformirt-Catholischen zu gebrauchen.*

VIII. *Die Ohren-Beichte, als die vornehmlich auff Spanische vnd Welsche stumme Sünden ihr Absehen gehabt, könne in selbigen Landen bleiben; aber in Teutschland bey der Vereinigung aufgehoben werden.*

IX. *Vierzehen Tage vor Ostern könten sich die Gesunden des Fleisch-Essens wohl enthalten.*

X. *Anruffung der Heiligen nicht anders als in primitiua Ecclesia.*

XI. *Bey den Wallfarten solle man gute bekante teutsche Lieder singen, vnd, an statt der Mess,* Bet-

Betstunden anstellen; Gott fur den genossenen Feldsegen zu dancken.

XII. *Das Fegefeuer möchte einer glauben, oder nicht; stünde bey Prüfung der Gründe.*

XIII. *Denen Priestern vnd Bischöffen sey der Ehestand zu erlauben; nicht aber den Mönchen vnd Nonnen.*

XIV. *Die Reformirt-Catholische Reichs-Stände sollen in ihren Landen Bischöffe haben, als Præsidenten aller Geistlichen, so sich in schwehren Fällen des Papsts Einrath, doch ohne ihrer hohen Obrigkeit Nachtheil, bedienen können.*

XV. *Die Caluinianer könne man in die Vereinigung nicht annehmen; es sey denn, dass sie in puncto der Gnadenwahl, heiligen Abendmals vnd der Person Christi, christliche Gedancken anzeigen.*

XVI. *Die Griechische christliche Kirche, vngeachtet des Irrthums wegen Ausgang des Heiligen Geistes, kan doch von der Christenheit-Vereinigung nicht ausgeschlossen werden.*

XVII.

XVII. *Die Heilige Schrifft ſoll der Richter vnd Grund aller Artickel ſeyn, vnd die Texte aus den Patribus vnd LXX. Dollmetſchern gezogen werden. Zu dem Ende ſollen die XXIV. Perſonen eine neue Bibel drucken laſſen, vnd ſich dazu der Grund-Sprachen, Manuſcripten vnd aller Orientaliſchen vnd anderer Verſionen bedienen.*

XVIII. *Der Papſt ſoll nicht als Richter, ſondern Haupt aller Geiſtlichkeit geachtet vverden, der ſeine Beyräthe von beyderſeits Religionen habe, vnd in ſchvvehren Gevviſſens-Fällen der Heiligen Schrifft gemäſs ſpreche.*

CXLIII.

Boineburgius ad *Conringium* perfert quoddam *Ezechielis Spanhemii* deſiderium.

Moguntiæ d. 25. Nov. 1660.

Optime omnium amice.

Merito hoc te elogio alloquor, cum optimam amici beneficentiam, eruditionem mei, a nemine et appetentius deſiderem, et felicius adipiſci ſoleam. Igitur vel hoc nomine et meo quaſi quo-

quodam iure te iterum iterumque adorior, precor, rogo, obſecro, vt ad ſingulas meas, etſi perexiguas, frequenter reſcribas, meque erudias. Hic adiungo, quarum etiam occaſione haſce ſcribo, literarum *Ezechielis Spanhemii* ad me appendicem: ad quam ſi reſpondere mihi voles; et me, ſi id dici æquum eſt, et Sereniſſimum cumprimis Palatinum Electorem, ſumme tibi deuincturus es. Eſt ille *Ezechiel* Electoralis Heredis Ephorus *, vir perdoctus, Theologum et parentem olim, et nunc fratrem ſatis celebrem nactus. Plura iam addere non poſſum. Vale.

CXLIV.

Conringius officia ſua promittit, iudiciumque de opere *Vorburgiano*.

Helmſtad. d. 25. Nov. 1660.

Simul intellexit deſiderium non tam clariſſimi *Spanhemii*, quam Sereniſſimi Electoris Palatini Sereniſſi-

* Ipſe *Spanhemius* d. X. Calend. Mart. 1661. ad *Nic. Heinſium* ſcribit: *Si ad amicos in Italiam ſcribis, qualiſcumque dignitatis noſtræ, Conſiliarii Sereniſſimi Electoris, memor eſſe poteris, qui alteram præfecturæ Principis Electoralis nunc abdicamus, inter Miniſtros Status Sereniſſimi allecti.* Sylloges Burmannianæ *t. 3. p. 817.*

reniſſimus *Auguſtus*, Dominus meus, quo eſt incredibili et nunquam ſatis laudando in rem literariam promouendam ſtudio, iuſſit inquiri illico in immenſo illo librariæ ſuppellectilis theſauro, quid ibi forte contineatur intentioni tanti Principis vtile, mihique hodie et indiculum illum pariter, quem addo, et duos ſimul manuſcriptos codices *Lucani* notæ optimæ inſpiciendos tranſmiſit. Vt iam ex te intelligere poſſit *Spanheimius*, non manuſcriptas tantum, ſed etiam antiquiſſimas *Lucani* editiones, quas manuſcriptis æquiparant Critici illi librorum emendatores, in Bibliotheca Auguſta contineri. Reperitur vero et in noſtra Bibliotheca Iulia *Lucanus* manuſcriptus, ſed recentior et chartaceus; quamuis charactere elegante, pro temporis illius captu. Si, quo par eſt modo, Sereniſſimam Celſitudinem ſupplex roget *Spanheimius*, et idonee caueat de reſtitutione; temporis haud longi tamen, vſuram credo illum impetraturum. Si etiam tanti videbitur, curabo noſtrum codicem conferri cum Grotiano, et variantes lectiones non inuidebo. Non videor autem mihi in Grotiano quidem ſuſpecta multa deprehendere. Sed et facilis eſt emendatio, ſuggerente correctionem ipſo verſu et hiſtoriæ noti-

tia. Vtinam facile adeo ſit a mendis liberare *Ariſtotelem* alioſque Sapientes Veteres! Neſcio, an quidquam conferre et ego poſſim ad illuſtrationem *Lucani*, niſi forte aliquid dicendum fuerit de vniuerſa poëmatis illius conditione: quod eſt Poëticæ artis. Meretur vero Poëta et fauorem tanti Principis, et curam doctorum hominum. Ego dudum illum præ aliis amaui, quod mihi omnium viſus ſit maxime politicus, et inuſitatæ parrheſiæ, doctrinæque pene omnigenæ. Illuſtriſſimo *Grauello* mitto hac vice ſeptem priores plagulas animaduerſionum in *Machiauellum*, in ſpecimen, quoniam propediem in Galliam ſeſe profecturum ſcribit, viamque libellis paraturum. Tibi nihil huius mittam, niſi opere iam abſoluto. Exſpecto vero abs te et *Cardinalis* et *Leonis* titulum, quo libelli ſunt inſigniendi. De *Vorburgiano* etiam opere quæſo ſignifices, quis maxime illius ſit ſcopus. Neſcio enim quid obſcuritatis habeat frontiſpicium, et prima ad Lectorem præfatio. Vt enim ingenue fatear, viſus mihi primum *Vorburgius* promittere accuratam Hiſtoriam *Ottonum* duntaxat; cui quædam fundamenti loco de Germanorum rebus ſint præmittenda. Adeo operoſe autem omnia ante Ottones

ſunt

ſunt pertractata, vt dubitem, num prolixius perſecutus ſit *Vorburgius* Ottoniana, atque adeo aliquod hæc inter et priora diſcrimen futurum ſit. Fortaſſis etiam et illa, quæ poſt Ottones contigere, *Vorburgius* pari induſtria memorauit. Vbi me hæc docueris, ſimulque titulum *Vorburgii* iunioris indicaueris, de vniuerſo opere ſententiam meam illi perſcribam. Sed et quæ eſt illa *Salmaſiana* Epiſtola, quam tantopere deſideras?

CXLV.

Boineburgius varia petit a *Conringio*, laudator *Mazarini*, *Vorburgii* et *Blumii*.

Moguntiæ d. 1. *Dec.* 1660.

Mi omnium optime.

Egregie diſſimulas quæ hactenus totiens abs te contendi. Non perinde faciam ego. Magnis tamen me tibi nexibus adſtringes, ſi notationes tuas in *Grotii* Ius Belli ac Pacis, tum et in libellum pro religione Chriſtiana mihi exſcribi meo impendio iuſſeris, ſimulque tranſmiſeris *Stuckianas* illas, cuicuiquemodi fuant, diſſertationes de natura ac principiis Iurisprudentiæ. Quod nuper de *Vorburgii* hiſtoricis laboribus tuliſti iudicium, id equidem ſummopere et mihi, et aliis com-

placuit, qui et illius et tui per ſunt amantes. Sincerum illud eſt erga virum, qui ſane minime inſincerus, ſed candidiſſimus tuorum edecumatorum operum fuit exiſtimator. Homo vtique erat probus, et Rei Germanicæ, prout inde a multis retro temporibus etiamnum geritur, apprime intelligens, atque fidus mihi in noſtrate *ſtatus concilio contractiore* ad omnia recta expediunda ſocius. Eius obitu magna mihi mœſtities et curarum acceſſio obtigit. Deo autem in honeſtis pleniſſime fiſus, Eius præſens Numen hucuſque continenter experiendo perſentiſcere mihi videor; quanquam ſæpe idoneis humanæ ſollertiæ auxiliis deſtituar, neque raro ſpiſſarum tricationum aliunde ſuperuenientium obiectu conflicter. Cum *Heilando* porro agam de Bibliothecæ Principis editione. Vt ipſe Duci *Auguſto*, et re et nomine et meritis ſupra omnem ordinem excelſo, ſcribam, vel ipſiuſmet venerabilis dignatio obſtat. Sequar tamen conſilium tuum, ſi tibi ita videbitur. Velim vero argumenta quoque mihi, vel integram formulam ſuppeditari, qualiter obtinere commune hocce votum cum honore ſuſtineam. Quod *Mazarino* Cardinali opus de ciuili prudentia, vniuerſæ noſtræ nationi honorificum certe fu-

tu-

turum, dicare meo ſuaſu conſtituiſti, eoque nomine maturare; plurimum gaudeo. In Gallia parem Politica ſtudia hodie accurationem experiri, aut a quoquam excoli ſimilibus meditamentis, profecto mihi ignotum eſt; etſi in talia, cum nuper iſtic forem, abunde inquiſierim. Præter ſuum *Bodinum* Galli ne nunc quidem habent, quem opponere aliorum in Ciuilis Rei pertractatione præſtantiæ ac fiduciæ poſſint. Niſi fors quis *Silhonium Naudæum*que in contentionem aduocare auſit. Quorum tamen cum hic, ſi ſyntagma de militari ſtudio et paucula Mſcta hactenus inedita excipias, vel nihil vel per ediderit parum; ille autem, iuxta cum reliquo vulgo Gallicano ſcripturiente, vtcunque paullo exactius, ſeſe intra modum ſingularium modo præceptionum continuerit *: nemo vtique imitamine *Stagiritæ* ita to-

* *Silhonius* ille fuit homo Mazarinio Cardinali deditiſſimus, cuius et Apologiam ſcripſit et imaginem pinxit. Hanc quidem libro, quem *Miniſtre d'Etat* inſcripſit 1642. illam autem alio volumine, quod anno 1652. in forma maxima prodiit, inſcriptum: *Eclairciſſement de quelques difficultés touchant l'adminiſtration du Cardinal Mazarin.* Eius

totam politicen, eius naturam, variam indolem, amplitudines, diuersas comprehensiones et vsum vniuersum complexus est, quemadmodum felice Mi-

ius quoque sunt apologiæ tres adiectæ Volumini primo diuersorum commentariorum de nouissimis bellis per Italiam gestis, qui prodierunt Parisiis 1669. quibus adde librum *de la certitude des connoissances humaines*, qui ei adscribitur infra *ep. 182.* Vicem rediturus Cardinalis *Silhonio*, Regis secreto consilio hominem admouere fategit. Sed quod in *Hugone Lionneo* successerat, in *Silhonio* fefellit. Audiamus BriennæComitem in *commentar. vitæ suæ t. 3. p. 171.* *Le Cardinal dans ma maladie me fit proposer sous le specieux pretexte de retablir ma santé, de me servir d'un nommé* Silhon *pour faire les depeches du Roi sous moi: et s'étant persuadé que je me laisserois surprendre à cet artifice, il declara la chose comme resoluë.* Silhon *en recevoit des compliments de beaucoup de monde. La chose étant venue à ma connoissance je dis que je n'y consentirois jamais.* Le Tellier *ayant voulu m'en faire l'ouverture, je lui repondis d'une maniere que le Cardinal put comprendre qu'il falloit me faire plus de mal, ou me laisser en repos, et que je mettrois le tout pour le tout plutôt que de souffrir qu'on donnât la moindre atteinte aux droits de ma Charge etc.*

Minerua tu, vir optime, fecisti, atque facere perseueras. Sapienter id omne. Prudentissime igitur instituisti opus tuum inscribere illi, qui, cum hodieque Galli nullo nisi forte vnico *Bodino*, ac ne quidem hoc tantundem præstante, gloriari queant, vel solus agendo complet, quod alii scriptis nequeunt. Sic vnius actio est non suæ modo gentis, quam sub Rege *Adeodato* pacifice iam regit, sed omnis socialis Humanitatis instructio: opere ipso et effectu assequi valida, quod multi nec mentis neque stili commentatione vel sperare sufficiunt. Memini, cum Ratisbonæ essemus, suadere, vt exoptatissimum librum de ciuili prudentia dedicares Principi *Auerspergio*, principi tum Cæsaris Administro, et Romanorum Regis, Domini mei, Educatori. Is hunc honorem, qui sane ex tantæ commendationis frugisque scripto maximus oboritur, adhuc omnino promeretur, saltem infinito magis, ac ille, qui hodie Viennensis aulæ primus minister * audit; grauibus tamen caussis adducor, vt satius fore arbitrer, si dedicetur clarissimus eminente hoc argumento et tra-

* *Io. Ferdinandus de Portia*, quem paullo post hæc tempora Principum Imperii honoribus ornauit Diuus Leopoldus Imperator

tractatore præ omnibus academicis Doctoribus eximio liber omnium et Ministrorum et Cardinalium Eminentissimo: perinde atque auctor, nec male, exstiti tibi, vt Aristotelicorum de republica librorum saluberrima tua ad ipsorum euolutionem Isagoga ornatissimam editionem Moguntino inscriberes. Neque materiei consanguinitas incongrue pari mactat honestamento, quos haut dispari studio consiliorum eorundem iungit consensio, solitoque solidior publicæ tranquillitatis communio. Cuius nempe felix coagulum est duratura communi vsu, si sapimus, inter pacis studiosos fœderatio. Enim vero qualem a potiore ac fortiore cura retinere oportet, quo est magis exosa iis, qui vel nimis laxata incustoditi imperii licentia, vel alienis tricis impliciti, omnia et belli et commercii ceteri moderamenta suæ spontis efficere pertendunt. His *Florus* propior et animo et corpore, sibi ex sententia, quam ex te non didicimus, plures forsan vtilitates conciliare sperat, quam heic patriæ subseruiendo colligi quitæ. Sunt enim eiusmodi in cœtu illorum hominum blandimoniæ incautioribus obuiæ, qualibus pectora humanarum rerum ignara facili negotio in errorem seuocantur. Romæ an rem sit facturus, nescio,

siue

ſiue filium almæ parentis, ſiue ſeruum ſe profeſſus fuerit. Inter enim tot filiolos ac ſeruos ſeu ſollicitatores quei Curia ita ex æquo ſe diuidet, vt opportunam ſui copiam recens quoque aduenientibus exhibeat? Noſter vtique, ſi aulicam ambitionem exuat, et priſtinis cum *Holſtenio* ſtudiis poſtliminio ſe reddat, præſtantem ſui vſum publico commodare poſſet. Præclaræ namque cetera ſunt hominis dotes. Vtinam vero nobiſcum manſiſſet, patriæque ſtatum præſentem, et vetera etiam monumenta excoluiſſet; et honoratum ſibi locum occupaſſet, et palmam præterea dubiam feciſſet *Piſtorio*, *Goldaſto*, *Lindenbrogiis*, *Frehero*, *Ioanni* item *Gamanſio*, qui rerum Germanicarum conquiſitioni modo operam nauat; imitatione eorum, qui Francicas antiquitates ex ineditis illuſtratum eunt, quales noſcuntur *Tilius*, *Pithœi*, *Ducheſnii*, *Puteani*, *Valeſii*, *Labbei*, *Dacherius*. Nec infra ſe habebit ille *Chifletios*, *Blondellos*, *Seldenos*, *Grotios*, qui patriæ quiſque ſuæ gloriam vetuſtis documentis adſtruere contenderunt. Parem induſtriam et Suediæ addixerat, ſi paullulum prouixiſſet, incomparabilis *Grotius*, vti mihi ſæpe affirmauit amiciſſimus *Biornelaius*. Hic breui Pariſiis diſcedet: an Francofurto tranſiturus

turus, nondum comperi. De conciliatura partium in ſacris diſſidentium, quam moliatur Herus meus, recte arbitraris. Vtinam perinde fieri illa, et in opus conferri poſſet, atque nos optamus! Præſtaremus tunc libentiſſime, neu fabulæ materiam vulgi rumoribus præberemus gratis. Saltem omnis illius ſcenæ te haut quaquam ſinerem inconſcium. Vale. Titulos deſideratos en! mitto:

Eminentiſſimo Principi IVLIO Cardinali Mazarino. Duci ac Pari Franciæ.

Illuſtriſſimo Domino, HVGONI de LIONNE, Marchioni Freſnæo. Chriſtianiſſimi Regis Miniſtro Status.

CXLVI.

Conringius reſpondet *Boineburgio*, quæ peteret, non eſſe tanti, vt deſiderentur. Contra de *Lionneo*, *Gamanſio* et verſione Bibliorum Moguntina erudiri cupit.

Helmſtad. d. 28. Nov. 1660.

Literæ tuæ per celerem ab optimo Principum dum offeruntur, multum adhuc langueo ab heſternis doloribus, quibus me grauiſſime calculus renum afflixit. Itaque ſunt quidem illæ mihi pe-

ne

ne loco refocillatorii ex pharmacopolio adducti remedii; paucioribus tamen respondeo. Annotatorum ad Grotianum belli ac pacis ius, iuro tibi, mihi ne apicem quidem superesse, nec nouisse quemquam, qui habeat. Quæ ad nonnulla Grotiana de veritate Religionis Christianæ disserui, solius memoriæ beneficio dictaui, et quidem valde iuuenis. Quæso igitur, ne illorum copiam tibi fieri velis. Celo illa, tanquam non limata satis, idque de industria, donec ipse edidero librum de argumento illo longe vtilissimo et nobilissimo. Quod omnino faciam, si Deus mihi vitam nonnihil produxerit. Et vero ad *Grotium* non opus est nisi annotatis ipsiusmet *Grotii.* Soceri mei piæ memoriæ *Stuckii* de Natura ac Principiis Iurisprudentiæ reuera non sunt tanti, quare illa desideres: neque vel mihi eorum superat exemplum, vel reperitur in bibliopolio venale: quanquam incomparabili fuisse virum ingenio, significent abunde *Exercitationes Iustinianeæ*, Francofurti nuper renouatæ: opus neutiquam iuuenile, etsi scriptum anno ætatis vicesimo secundo. *Vorburgium* laudabo publice pro merito, simul edoctus fuero illa, quorum in postremis mentionem feci. Circa editionem catalogi Augustæ Biblio-

bliothecæ, me quidem iudice, operæ feceris pretium ſcriptis abs te ad ipſummet optimum et inuſitatæ indolis pariter ac virtutis Principem literis. Quibus vt ego ſuppeditem perſuadendi argumenta, non eſt quod deſideres, cum vtique haud neſcias, quantum editio illa prodeſſe publice poſſit, dum plerique exiguam habent rei librariæ notitiam, quæ catalogis editis mirifice excolitur; quantum etiam facere poſſit ad gloriam æternam ipſiuſmet Principis, ſi noſcat orbis theſaurum, qui alias poſſit haberi abſconditus, et ſimilia quam multa. Pro communicatis titulis Eminentiſſimi *Cardinalis* et Marchionis de *Lionne* habeo gratias. Manet ſiquidem ſententia adhuc ſequendi conſilium tuum. Deus modo vires ſuggerat. In excudendis interim *animaduerſionibus* ſtrenue pergitur, quas cum ex tuo conſilio ſim dedicaturus Marchioni de *Lionne*, velim equidem nonnulla mihi de ingenio, gente et doctrina viri ſignifices propediem. *Blumium* ita abreptum a bona mente, doleo. Quanquam magis doleam, Aulam Cæſaream iſthæc ſpectare, quæ ſi in rem deducerentur, forent coniuncta cum totius Germaniæ fatali ruina. Eo ſane res rediit, vt aduerſus internam violentiam Germania ſalua eſſe nequeat;

niſi

nisi arcto Principum fœdere cum regnis vicinis, postquam nimium excreuit Austria, et absque hoc fœdere res propemodum Imperii sint scopæ dissolutæ. Quis vero ille est *Ioannes Gamansius*, quem rerum Germanicarum conquisitioni modo operam nauare memoras? Magnus profecto est, si, quod ais, infra se habebit *Chiffletios*, *Blondellos*, *Seldenos*, *Grotios*. Nisi forte mentem tuam non satis assequor. De animo etiam in Ecclesiasticam pacem prono Eminentissimi Domini Electoris nunquam dubitaui. Tantum mihi visum fuit indignum tanti Principis prudentia, exspectare, vt Roma quidquam abeat a sua *Vicedeatus* infallibilis professione: a qua tamen nisi discedat, frustra consensio aliqua Romana exspectatur. Quod vsu longo edocti, tandem ex *Cassandri* et *Wicelii* sententia rem aggressi sunt Ferdinandus et Maximilianus Cæsares, ceu nouisti. Optimum vero factum Heri tui, quod curet *Germanice* imprimi *Biblia sacra*. Nec enim verbi diuini lectione quidquam etiam vulgo vtilius. Quæso vero, an hoc fit non impetrata Romæ venia? Cuius etiam est illa Germanica versio? Deus prudentissimo Principi felicia quæque tribuat. Pro communicatis *Heringii* lite-

ris

ris * gratias ago. Proxima libri de origine Iuris editione a calumniis *Gryphiandri* me liberabo **.

CXLVII.

Boineburgius de opere Vorburgiano, de *Salmasio*, de *Lioneo*, de *Io. Gamansio*, deque versione Bibliorum Vlembergica, curis Moguntini vulganda, instruit *Conringium*.

Moguntiæ d. 13. Dec. 1660.

De *Lucanianis* statim curaui Heidelbergam. Scio Serenissimo Electori placituram tuam diligentiam, et *Spanhemios* tibi obligatum iri hoc nomine. De opere Vorburgiano pauca hæc habe. Memini de eo scribere iam dudum satis explicate. Nescio an meæ tum interciderint, aut an earum tu sis oblitus. Summe toti illi operi pro-

* Literæ *Io. Heringii* sunt Consiliarii Oldenburgici, ad *Bartoldum Nibusium* in caussa *Gryphiandrina* scriptæ, quibus præterea, *de doctis mulieribus* commentaturus, in vitam, mores et fata inquirit *Annæ Schurmanniæ*.

** Quod factum in præfatione, vbi non *Gryphiandro* solum et *Nibusio*, sed *Tabori* quoque et *Rebhanio* et *Henrico Giselberto*, mascule respondit *Conringius*.

proderit aliqua, te indice, sui laudatio. Obscurus stilus et illaboratus pulchritudinem ipsius libri non parum deuenustat. Sed scis, quali modo scribi hodie libri soleant. Orsus historiam est nimis alte. produxit eam suo filo vsque ad Ludouicum Balbum, *exclusiue*. Tum *Ottones* narrat, et heic desiere praela. Ab hisce vero pertexuit telam vsque in medium *Wenceslaum*. Quae posteriora num proditura, et quando, vtique nondum scio. Agam cum *Vorburgio* nepote, vt mihi rem omnem pandat, tibique eam communicabo. Titulus illi non est alius, nisi *Nobili Viro D. Vorburgio, Eminentissimi Electoris Moguntini in Ducatu Franconico, seu in Episcopatu Herbipolensi, Consiliario*. *Salmasiana*, quam legere aueo, epistola est illa, qua *Grotium* et *Vossium* inuidiose comparat inter sese, huncque illi multis modis praeferre satagit. Edita iam in Galliis sunt huius *Anti-Miltoniana*; sed nondum mihi visa. Ceterum doleo, te minus belle valere, Deumque supplex veneror, vt te seruet, sospitet et omnibus modis prosperet. Quod pro veritate Christianissimi quid meditaris, bene est, et magnam a tota illa scriptione gratiam initurus es. *Stuckii* quae petii, si obtinere possim, gaudebo. De Catalogo

go ſcribam Sereniſſimo *Auguſto* proxime. De *Lione* nil eſt quod addam, niſi quod eſt Vir rei Gallicæ non modo, ſed et Hiſpanicæ, Romanæ et ceteræ Italicæ, tum quoque nunc Germanicæ, pro illis modulis, callens; pacis amans, ſollers; linguarum parentem latinam agnoſcentium ſciens, eruditus ſatis, et eruditionis ipſius ac doctorum magnus venerator; in negotiis aſſiduus et exercitatiſſimus; manus dextra Cardinalium Eminentiſſimi in rebus exterorum; diues, promptus, et ſcribendi facultate in vernaculo ſuo idiomate pollens; ingenio facili, benigno, ad omnia verſatili et omnino *pragmatico* *. Plura ſcribam Franco-

* Addimus e multis pauca, quæ Briennæ Comes in commentariis ſuis refert de collega Lioneo: *Le Cardinal* Mazarin *deferoit plus aux Avis de* Servien *qu'à ceux d'*Avaux: *dont je ne fus pas ſurpris, parceque le genie du premier avoit plus de rapport au ſien que celui de ſon Confrere. Le premier Miniſtre aimoit conſtamment les longs raiſonnemens qui n'aboutiſſent à rien, qui egarent l'attention et qui peuvent recevoir une double interpretation. De même l'eſprit de* Servien excelloit en équivoques et en duplicités. *L'Eminence avoit de plus attaché à*

cofurto, quo craſtini excurſionem inſtituam, Deo volente. De *Gumanſio* quæ exciderunt calamo

meo,

à ſon ſervice Lionne, Neveu de Servien, *avec lequel il avoit fait connoiſſance lorſque* Lionne *étoit à la Cour de Parme pour les afaires du Roi. Il avoit enſuite cultivé cette amitié dans un Voyage qu'il fit à Rome.* Lionne *étoit d'un caractére d'eſprit qui approchoit fort de celui de ſon Oncle. Il faiſoit aſſiduement ſa cour au Cardinal, et s'appliquoit uniquement à gagner ſes bonnes graces.* En 1651. *il y eut enfin un Arreſt, qui ordonna, que le Roi ſeroit ſupplié d'eloigner le Cardinal,* Servien *et* le Tellier, *et la Reine de ſe defaire de* Lionne. En 1657. Lionne *fut donné pour Collegue de cette celebre Ambaſſade* de l'election Imperiale *au Marechal de* Grammont. *Il l'accepta avec joye à ſon retour d'Eſpagne, où il avoit été envoyé pour traiter la paix. Il ne fut pas aſſez heureux pour la conclure avec* Don Louis d'Haro, *et ne garda pas le ſecret, qui lui avoit été ordonné. Ce que* Lionne *fit de plus remarquable dans ſa negotiation fut qu'il refuſa un preſent que le Roi d'Eſpagne lui voulut faire. Il lui eût été auſſi glorieux de refuſer le titre d'*Excellence, *que* Don Louis *lui donna toujours. Car il eut marqué ſa modeſtie et ôté au Miniſtre Eſpagnol tout pretexte de ſe railler de ſa vanité. Le Cardi-*

meo, aut minus curate ſcripta ſunt præ properantia, aut ſecus intellecta tibi, atque ego volui. Eſt vir diligens, ſed infinitis paraſangis infra *Blondellos*, *Chifletios*, nedum *Grotios*, *Seldenos*. *Blumium* putabam, ſi noſtris rebus operam ſuam adnauaſſet, in noſtratium ſchediaſmatum erudera- tione

---

nal ſe piquoit, et Lionne *auſſi, d'entendre ſi bien la langue Eſpagnole, qu'ils n'ont communiqué à perſonne les articles, qui leur ont été preſentés. Et ils* en furent trompés. En 1660. *le Duc de Lorraine obtint pour traiter avec lui un Commiſſaire, qui fut* Lionne - *Il fit ſi bien que le Barrois lui fut rendu. Le Roi permit à* Lionne *de recevoir de ce Souverain 50000 ecus, que ſon Beau-Pere lui avoit pretés. Peutêtre même qu'il eut bien mieux fait de n'en point parler dans cette conjuncture. - A la negotiation avec les Ambaſſadeurs Hollandois furent nommés le Marechal de* Villeroi, *le Procureur General*, le Tellier *et.* moi. *Le Cardinal y fit ajouter* Lionne, *et je demandai, que mon fils en fut. Ce que j'obtins avec plus de peine que je ne croyois.* Lionne *étoit de ceux qui croyent avoir bien gagné, quand on n'a tout perdu. Tout le monde ne ſçait pas preferer la gloire et l'honneur à des vuës particulieres - Il n'y a de plus mauvais conſeillers que la peur et l'intereſt.*

tione potuisse quid laudabile praestare, et in sua gente nihilo sequiora illis, qualia vel *Blondellus* vel *Petrus Puteanus* vel *Chifletius* aliiue in sua quisque orbi exhibuerunt. Biblia vernacula eduntur ex versione *Vlembergii*; idque inconcessu Vrbis. Cui enim bono in talibus consensio istius? Vale!

CXLVIII.

Boineburgius bibliothecae Guelphicae catalogum et Lucani codices MSS. ex ea pro *Ezechiele Spanhemio* petit.

Francofurti d. 19. Dec. 1660.

Quid sibi *Spanhemius* velit ex mandatu Serenissimi Palatini, ex adiunctis videre est. Eas vbi legeris, ante omnia dico, velis remittere, petoque. Est vir elegans, aetateque suum Fratrem, Theologiae suae antecessorem, antecedit. In *Lucani* causa ei adsis, oro. Scripsit ipse Augustissimo nostro Seni. Eius literas sum meis, etsi perpusillis summeque exiguis et praefestinatis aequo ocius, comitatus, in quibus simul vrgeo supplici prece catalogi editionem. Tacite vero me refero ad te. Tu vt me et publicum iuues, contendo. Sum heic mille modis obrutus. Occupatio-

nes putaui tot laboribus imminutum iri; at iisdem et accumulantur. Paces iam non vnas in publico nacti bellamus inter nos inuicem vicini, intraque nostros quasi postes deliramus. Deus mentem nobis omnibus (nam si vni tantum, ceteri impune peccant) duit rectam, æqui amantem, et præsentis status reuerentem! Si enim vnus alteri suum cum tempore, freti præsente potentia, aufferre destinauerimus; et nos mutuis ictibus concidemus, et tum internæ tum externæ potentiæ expilandi, deprædandi, eradendi propinabimur. Valete!

CXLIX.

Conringius circa desideria ista optima quæque promittit, *Blumii* inconstantiam deplorat, et Bibliorum in vernacula diuulgationem sine consensu Pontificis miratur.

Helmstad. d. 19. Dec. 1660.

Perquam gratæ fuerunt Serenissimo Principi et Domino meo et tuæ pariter, et *Spanheimii* literæ. Id quod tibi significari iussit optimus Princeps, propediem, curis et negotiis nonnihil leuatus, ipsemet idem significaturus. De *Lucani* codicibus manuscriptis desiderio vestro iam tum satisfit,

ſit, illis hac ipſa vice tranſmiſſis. Quantum ſpero; patietur etiam ſeſe exorari nunquam ſatis laudandus ſenex circa editionem catalogi Auguſtæ bibliothecæ. Omnis difficultas ſita eſt in immenſo illo librorum numero, ſcriptis ordine conſignando. Caue enim credas, eſſe hoc aliquot hebdomadum opus. Menſium aliquot; imo anni integri eſt, catalogum tam vaſtæ bibliothecæ expedire. Certum tamen eſt, publicatione catalogi illius nihil magis ad gloriam tanti Principis poſſe facere, cum exemplo omni careat, tantam librorum vim coactam eſſe non ære ſolum Principis, ſed proprio eius ingenio, proprio ductu, propria manu. *Gamanſium* eſſe infra exſpectationem illam, quam male intellectis literarum tuarum verbis ego conceperam, intellexi quidem; vellem tamen addidiſſes, quis tandem ille ſit, et quid præſtare reuera poſſit, aut conetur. *Blumium* paria potuiſſe facere *Freberis* et *Blondellis*, ſi intendere iſthuc animum voluiſſet, tecum conſentio. Tale quid etiam ab illo expectabam, vtque illi rei ſeſe dederet, orabam, ſimulac in Aula Moguntina inueniſſet locum. Verum iam tum ſtatim ex literis eius accepi, quanto faſtidio talia deſpiceret animus ſplendore aulæ illuſtratus, et captans auram.

Erat alioquin ad ſcrutandas res Imperii veteres longe aptiſſimus; perinde atque ad reliquum omne ſtudiorum genus, ſiue Philoſophiæ, ſiue Theologiæ, ſiue alterius cuiuſque diſciplinæ, ſemper illum idoneum deprehendi. Vereor, ne et illa vis iudicandi veritatem rerum veterum eum ſenſim deſerat, videns, illum eo prolapſum, vt fabulis *Lauretanis* fidem cum indocto vulgo adhibeat, quibus ex omni æuo neſcio num quid futilius afferri poſſit. Non probauerit ſane illas *Launoius*, qui laudabili opera cœpit Gallicanas ſacras fabulas explodere. Vbi a *Vorburgio* reſponſum acceperis, egoque intellexero auctoris conſilium vltimum (a primo enim videtur diſceſſiſſe); ſcribam ad illum, ceu promiſi. Cur quærerem, num indultu Romanæ Curiæ edatur denuo auſpiciis optimi Principis verſio Bibliorum Germanica, impulerunt me Regulæ Indici librorum prohibitorum a Clemente VIII. adiectæ. Quæſo, doce, quæ ſit Indicis illius in Eccleſiis Germanicis auctoritas. Nam Bullam *Cœnæ Dominicæ* nihili apud vos fieri, iam tum intellexi. Audio et in Galliis prodiiſſe vernacula lingua Bibliorum Codicem; a vulgo tamen aſpernari, quod lectionem illius non inutilem duntaxat, ſed etiam periculoſam, imo no-

noxiam esse, sit persuasum. Vtinam felicior successus excipiat piam operam prudentissimi et laudatissimi Principis! Mitto indiculum opusculorum, quæ habeo de Vicariatu Palatino. Si quid porro possis comparare eius argumenti, quo careo, rem feceris gratissimam. Nolim enim quidquam mihi deesse, cum ipsemet illi caussæ manum admoui. *Anti-Machiauellica* strenue pergunt. Quæ narras de motibus nouis, me grauiter afficiunt. Deus mutet illorum animos, qui adeo intempestiue et temere tumultuantur, non attendentes, vnicam ruentis Germaniæ anchoram esse Ordinum omnium inter sese concordiam! Vale!

CL.

Supplementum prioris epistolæ.

Helmstad. d. 21. Dec. 1660.

Per incuriam factum est, vt non addiderim iis, quas nudius tertius exaraui, Spanheimianas tuas et indiculum opusculorum de Vicariatu Palatino. Ea nunc accipe igitur. *Spanheimius* nimium me æstimat. Nisi dudum assueuissem contemnere eiusmodi elogia, conscius probe meæ tenuitatis; possem forte in superbiam agi. Gaudeo tamen, me amari ab homine eleganter do-

cto. Serenissimus Dominus meus mittit *Spanheimio* per celerem omnes omnino desideratos codices *Lucani*, manuscriptos pariter et typis excusos *. Tanta est optimus Princeps propensione in rem literariam! Non dubito, te daturum operam, vt post vsum redeant illi Codices intemerati in locum pristinum, quoniam tua cumprimis rogatione iam denuo mittuntur. De editione catalogi spes optima est. Tantum potuerunt tuæ literæ! Illustrissimo Domino Legato *Grauello* mitto hac vice plagulas aliquot animaduersionum in *Machiauellum*. Propediem integre editas etiam tibi transmittam. *Salmasianæ* Epistolæ exemplum vbi acceperis, exspecto a manu tua.

Gro-

* Quid acceperit, ipse *Spanhemius* Syllog. Burman. *t. 3. p. 815.* gaudens narrat *Nic. Heinsio: Augustus Brunsuicensium Dux nouissime duos Codices vnacum priscis aliquot* Lucani *editionibus e ditissima bibliotheca, missis eo nomine Celeribus, ad me curauit. Vterque Codex in membrana satis antiquus, et vnus præsertim cum vetustis et eruditis scholiis.* Ceterum lucem non aspexit *Lucanus* ille *Spanheimianus*, admoto scilicet maioribus rebus *Spanhemio*. Vid. de eodem negotio celeberrimi D. *Iacobi Burckhardi* elaboratissima *historia bibl. Augustæ p.123.* quæ, dum hæc scribimus, fausto sidere ad nos adfertur.

Grotio Salmasius per est iniquus: et scio, noluisse *Vossium Grotio* præferri. Ea erat vir ille ingenua modestia.

CLI.

Boineburgius de *Io. Gamansio* benigne sentit, et de Indicis librorum prohibitorum auctoritate in Germania quærentem *Conringium* ablegat ad *Tannerum.*

Francofurti d. 24. Ianuar. 1661.

Redux huc Herbipoli en! paucis respondeo. *Vorburgii* vitam tibi esse redditam, spero. Diu enim est, cum ad te misi. *Spanhemio* scripsi, quæ voluisti. Summa cum appetentia exspecto Serenissimi *Augusti* definitiones, quid fieri de catalogo velit. *Gamansius* est vir pius, eruditus satis, prudens, quantum sua poscit conditio. Eius conatuum indiculus vt breui ad te veniat, faxo. Inde arbitrare potes, quæ coquit. Quæ sit Indicis prohibitorum autoritas in Ecclesiis Germaniæ, ideo expediri non ita facile potest, quod diuersa sit in iis quoad hoc consuetudo. Nisi fallor, de eo et de obseruatione Bullæ *Cœnæ* quædam lectu haut indigua occurrunt apud *Tannerum Tom. IV. disp. XVI. quæst. X, dub. 5.* Quæ de Vicariatu

Palatino congeri queunt, congeram, tibique mittam. Scripſi de iis pro te ad ipſum Sereniſſimum Electorem Palatinum. Tua de ciuili prudentia et in *Machiauelli Principem* me exſpectare, non dicam amplius. Mitto iterum aliquid *Labbei*. Vale. De publicis proxime. Eorum habitus eſt tam varius, vt *Oidipo* quandoque opus habeat. Sed noſtra conſilia in fœdere bene per Dei gratiam ſuccedunt,

CLII.

Boineburgius de indice prohibitorio mentem ſuam vberius exponit.

Moguntiæ d. 29. Ian. 1661.

Miror, a te nihil ſignificari, an *Vorbnrgii* vitam acceperis. Scripſi poſtremum Francofurto ante paucos dies, et ad quæſita tua nupera de vſu Indicis librorum prohibitorum Bullæ *Cœnæ Domini* in Germania, pro locorum varietate forſitan diuerſe valente, citaui *Tannerum* in *theologia ſcholaſtica*. Sed vereor, vt recte e memoria locum allegarim. Eſt *tomo IV. diſp. VI. de pœnitentia. Quæſt. X. dub. IV. et V. p. 1788.* Bulla *Cœnæ* et Index librorum prohibitorum in his partibus ſeptentrionalibus, vbi viuunt paſſim mixti ſectis Catho-

tholici, non ſunt in eo rigore accepta, vt ſtatim pro excommunicatis cenſendi veniant, qui libros hæreticos vendunt, emunt, legunt, reuoluunt, cum paſſim in officinis palam proſtent venum, et nemine obloquente terantur et vſurpentur: vti videre eſt apud *Laimannum* quoque *lib. II. tract. I. c. 15.* et apud *Becanum* aliosque, cumprimis *Caſtropalaum de cenſuris Bullæ Cœnæ Domini*, qui meretur legi *. Plura iam ſcribere non vacat, niſi quod velim ſcias, libri de ciuili prudentia, de politico legum examine, in *Machiauelli* Principem, nos impatientiſſimo teneri deſiderio. Ab *Auguſto* Principe Auguſto nil dum reſponſi tulimus de bibliothecæ catalogo. Vale, vir ſumme, et mihi tan-

* Nuperus *hiſtoriæ Neapolitanæ* ſcriptor egregius Dn. *Giannonius tom. 4.* fuſius oſtendit, hoc Pii V. PP. decretum, quod in Italia quotannis in die Viridium pro roſtris ſacris publice legitur, atque inde *Bulla in cœna domini* appellatur, cis Alpes non fuiſſe receptum, repugnante non ſolum uniuerſa Gallia, ſed et in Germania Cæſare Rudolfo II. et ipſo Moguntino Archiepiſcopo, qui per diœceſin ac prouinciam ſuam id promulgari non ſit paſſus. Id quod *Boineburgio* vel ignoratum, vel, quod potius crediderim, erga *Conringium* diſſimulandum viſum, ne hic noua ex illa laxitate vinculi tela fabricaret, in ipſum emittenda.

tandem, quod toties petii, mitte, puta, tua in *Grotium de I. B. et P.* soceri tui disputationes de Iurisprudentiæ principiis, et alia. Sed id omne fiat, nisi molestum sit.

CLIII.

Conringius promittit *Boineburgio* Epistolam de bibliotheca Augusta, et qua *Augusti* Ducis Consiliarius de negotiis publicis per literas cum eo colloqui mauult, quam de literariis.

Helmstad. d. 26. Ian. 1661.

Ad obiurgatrices tuas literas vix opus est responso, quoniam haud dubito, prius, quam hæ tradantur, ex iis, quas ante octiduum amplius Wolffembutteli exaraui, satis innocentiam meam notam esse. Quæ tamen repetiisti de auctoritate perquam exigua Indicis expurgatorii in Ecclesiis Germanicis, Pontifici alias subditis, perplacent. Vtinam in aliis quoque tyrannis illa Romana nullius censeretur ponderis, vt reapse est, sola stans opinione inani hominum! Mea *Antimachiauellica* breui videbis: paucæ enim supersunt plagulæ edendæ. Libri de ciuili prudentia vltimam manum impediet nonnihil epistola edenda in nomen tuum de bibliotheca Serenissimi et Optimi Domi-

ni

ni mei vere Augusta. Illa edita, liber ille Deo propitio sequetur. In Epistola multa deprehendes hactenus tibi forte incredibilia, et mecum miraberis; imo mirabitur, quisquis legerit. Quæ *Vorburgio* debeo, præstabo. Noli vero me amplius turbare flagitandis meis notis ad *Grotium* de iure belli ac pacis, aut soceri disputationibus. Has vbi nactus fuero, omnino mittam; sed hic nusquam sunt venales. Illarum nullum exemplum mihi superesse credas toties id iuranti, qui hactenus nunquam fui periurus. Vbi *Antimachiauellica* mea acceperis, spero tantum tibi negotii datum iri (si sane politicis æque delectaris, ac illis ex iuris naturalis fontibus petitis; quæ multum diuersa sunt; his *honestum* potius; illis *vtile statui* agitantibus) vt possis aliquamdiu mea illa Grotiana, si quæ alicubi fuerint, non desiderare. Id potius rogo, vt liceat, ceu olim, tecum inposterum per literas super reipublicæ nostræ negotiis disserere. Fuerit sane hoc vtrique nostrum magis vtile; mihi sane vnice expetendum, ex quo me Serenissimus Dominus meus etiam a consiliis suis esse dignatus est.

CLIV.

CLIV.

Boineburgius quæſtionem agitat, num *deputatio* Imperii Ratiſbonam ſit tranſferenda, an Comitia potius indicenda, et de ſuppetiis in bellum Turcicum.

Höchſtæ prid. Kal. Febr. 1661.

Copiam tibi facio epiſtolæ ſpanhemianæ, quam in itinere accipio. Tua enim referre puto, ſcias, quo loco ſis iſthic, vnde venit. Liberalis pro te ſponſor ſum, fore vt tua de ciuili prudentia, et reliqua recens edi ſolita Heidelbergam bene cito deueniant. Ad tot meas ſimul reſponſum ſollicitare nunc volui: rogare itidem, vt bonum mihi des conſilium, quid ſuadere Eminentiſſimo meo debeam ſub hoc pondere quæſtionum Turcicarum et Comitialium. An præſtet, conſentire denique in *Deputationis* Ratiſbonam verſus tranſlocationem; an Comitia admaturare? An et ante et citra hoc, ſi neceſſitas nimium inualeſcat, contra Turcam auxilia Cæſari conſpondere conueniat? Tranſlationis negotium mihi eſt exoſiſſimum. Scio quippe, eſſe iurium noſtratium et Imperii ex illo manifeſtam deſtructionem pertimeſcendam. Comitia accelerare iuſtum quidem eſt; at an perinde vtile id ſit futurum, neſcio,

re-

rebus nondum maturis, quæ ibi ſtatus inter ſe poſſunt committere. Formido quoque ſumptuum in conſiderationem venit. Extra Comitia Hungariam ſuppetiis iuuare, per inconſuetas e. mendicationes corrogatis, neque hoc vacat periculo. Periculum autem nec ipſum illud exiguum eſt, quod a *Porta* impendet, niſi quid opis commoueatur, vel ſaltem conſpondeatur. Comitia tamen et per ſunt neceſſaria, tam ad vniuerſum opus ſecuritatis tandem plene elaborandum, quam ad emendanda aulæ peccata: inter quæ cum hoc ipſum per ſingulares legationes tentatum, quod per Comitia ſola fieri oportuit; tum et alterum, quod ne centum quidem bobus expiari poteſt, quo conuentus Imperiales diſſoluere, transmouere alio, et impedire ac implicare nouis tricis differreque; ſuffragiorum pariter et in Electorio collegio, et in ſingulis Circulis ordinem euertere, iuraque ſic Statuum et Moguntina perterebrare et exſcindere nuper audebatur. Super hiſce tuum iudicium imploro, teque rogo, vt me ames.

CLV.

Idem probat *Conringii* propoſitum de ſibi inſcribenda epiſtola bibliothecæ Auguſtæ laudatoria, et Conſiliarii munus ei gratulatur.

Mo-

Moguntiæ d. 4. Febr. 1661.

De *Labbeo* recte exiſtimas. Induſtria eius laudanda omnino eſt, et vtilis publico et operoſa eſt. De *Vorburgio* te tuo arbitrio et otio tuo relinquo. Tua in *Machiauellum* auide exſpectamus; item de prudentia ciuili. De catalogo Auguſtæ bibliothecæ ſi mihi quid inſcribere digneris, experieris me gratum: ſi librum de ciuili prudentia me interprete ad Cardinalem mittere voles; paratum, nec inutilem tibi. Qui peregrinus ei ſum, et non peregrinus, vtiliorem me facere tuis rebus ſic potero, quam qualiſlibet alius in eius contubernio, qui ſuæ non eſt ſpontis, ſed Cardinalis temporum ac inclinationum debet eſſe reuerentior. De publicis propediem ad te ero multus. Interim gratulor tibi nouam honoris acceſſionem. *Auguſto* Principi vero gratulor *Conringium*, quo cuiquam et intelligentior et probior Conſultor et fidus magis, et qui maiorem parrheſiam habeat, obtingere non poteſt. Deus te ſoſpitet, et diu ſeruet, vt proſis publico largiter et conſilio et illa eruditionis, qua cœlitus excellis, redundantia incomparabili! Sic vale, et mei memor eſſe ne graueris, oro.

CLVI.

CLVI.

Conringius inter tot ambigua indicenda eſſe Comitia ſtatuit.

Helmſtad. d. 30. Ian. 1661.

Graue quidem eſt, ſententiam dicere ſuper eo, quod rogas, quoniam ignoro, quid placeat Sereniſſimis Principibus meis, præſertim nondum viſo nobis Legato Cæſareo. Dicam tamen, quod in mentem nunc adeo venit. Modus hic corrogandi auxilia ad bellum Turcicum, vt recte cenſes, plane eſt nouus, et reapſe tendit ad vlteriorem Comitiorum deſtructionem, hoc eſt, ad euertendum Imperii ſtatum. Hactenus ſane ſemper de bello Turcico actum in Comitiis fuit. Quod nunc itaque extra Comitia auxilia parentur, et quidem vrgente etiam periculo, hoc vero arguit pertinax Aulæ conſilium in tollenda Comitiorum auctoritate. At vero hac ſublata actum eſt de republica. Si conſenſerint igitur Aulæ deſideriis ſinguli Principes, quid aliud fuerit, quam conſentire in euerſionem Reipublicæ? Certe plus hoc nocuerit, quam omne quod Aula hactenus machinata eſt. Illis enim ab Ordinibus Imperii eſt contradictum, eoque præiudicio haud nocent;

at hic conſenſus poterit nocere quam maxime. Igitur equidem arbitror, negotium omnino ad Comitia reiiciendum eſſe: propoſito ſimul Cæſari, inualidum fore * quicquid ita a ſingulis promittatur, ac proinde, vt ab vniuerſis auxilia ſuppetant, in Comitiis ſuppetias eſſe omnium conſenſu definiendas. Sed prudenter mones, Comitia eſſe lenta; periculum autem iam præ foribus quaſi cubare. At vero non equidem arbitror, tanti iam æſtimari periculum in Aula, cum nihil pene ſit ibi apparati ad rem tam arduam, et lentiſſime omnia agantur. Sed fortaſſis maius eſt periculum, quam ab Aulicis creditur: qui quanta valeant in hiſce rebus, pene dixerim, ſocordia, oſtendit profecto *Waradeinum* amiſſum. Quid ergo? Fortaſſis etiam huic malo ire obuiam licebit, ſi Principes domi parent omnia ad Turcicum bellum neceſſaria, vt vrgente periculo ſuppetiæ ſtatim in promptu ſint, et Cæſar vrgeatur Comitia habere, ſed de ſolo negotio Turcico: reliquis omnibus in pacatiora tempora coniectis. Ita ſane Comitia minus verebitur Cæſar, nec ſum-

* Mira philoſophia! quæ Principes Imperii ſuæ ſpontis eſſe vetet, ac ſuppetias, quæ ab vniuerſis maligne præbentur, a paucis conquiri.

ſumptus magni faciendi fuerint in illa Comitiorum breuitate: ſimul tamen fuerit cautum iuribus Comitiorum, nec opus fuerit Ratiſbonam transferre malo exemplo *Deputationis* conuentum: et denique periculo imminenti cito poterit occurri. Ita fortaſſis conſultiſſimum fuerit Cæſari reſpondere. Forte tamen etiam expedit reſponderi ita definitiue non a ſingulis Principibus, ſed ab vniuerſis, ſaltem illis, qui partes ſunt fœderis, aut ſuos habent Francofurti *Deputatos*, quo maior et reſponſo et *Deputatorum* conuentui ſit auctoritas. Sufficere ſane videtur, ſi ſinguli polliceantur, ſeſe habito cum fœderatis conſilio benigne primo quoque tempore et ita reſponſuros, vt appareat cum Cæſareæ domus, tum Imperii ſalutem ſerio ſibi cordi et curæ eſſe. Ad hunc modum arbitror poſſe pro temporis ratione hoc quidem negotium expediri. Sed noua mox orietur difficultas, quid obſernandum circa ipſam auxiliorum miſſionem, ne ſcilicet illa Aulici abuti poſſint aduerſus Ordines ipſos inermes, ſopito Turcici belli metu. Sed de eo alias conſultabimus. *Spanhemianæ* literæ plurimum me delectauerunt. Videor autem me hinc intelligere, opinari illum, quaſi ego petam mihi omnes libellos, quorum indiculum

transſmiſi. Ego vero illos quidem omnes iam tum poſſideo; ſed deſidero, ſi quid præterea in Vicariatus negotio fuerit editum. Pro gratulatione ago gratias: agnoſco affectum beneuolum. Vtinam poſſim præſtare adeo facile, quod ex re eſt, atque voto deſidero! Non patiar tamen neglecti officii iure me accuſari. Elogium Auguſtæ bibliothecæ ad te epiſtolæ quaſi forma perſcribam, ſtatimque edam. Velim vero mihi quantocyus integrum titulum tuum communices. Scio parum hoc abs te curari; attamen dandum et hoc eſt ſeculi moribus. Culpa typographorum fit, vt ne hac quidem hebdomade in lucem prodeant *Anti-Machiauellica.* Superſunt tamen edendæ non niſi plagulæ tres. Hæc proxime excipiet bibliothecæ vere Auguſtæ laudatio.

CLVII.

Boineburgius ſententiam ſuam de partibus omnibus iuriſprudentiæ et politices, nec non de ſtatu Imperii et Electorum omnium ſtudiis, libere et prolixe exponit.

Moguntiæ d. 11. Febr. 1661.

Obiurgatrices meas, vti tu vocas, vel defendendas vel excuſandas video, ſi velim honori ſcilicet

icet meo conſulere. Caue credas, me procliuum eſſe ad ſequiora de amici, qualis tu es, ſilentio iudicia. Scio enim, quanta vis ſit negotiorum, quæ nos identidem impediunt, quo minus ex voto et viuere et ſcribere poſſimus. Certe nemo eſt in mundo, quem ego, quam te, plus diligam, plus colam, pluris æſtimem, imo venerer. Neminem proinde minus velim oburgare; tametſi etiam id mihi cetera liceret. Quas Wolfenbutelii ſuſcepiſti ſcribere, eæ mihi rectiſſime ſunt redditæ: ad eaſdem ego pleniſſime, ni fallor, reſcripſi. *Antimachiauellica*, quo tu ea vocamine donas, auide exſpecto. Sereniſſimus quoque Elector Palatinus mihi ſuperioribus diebus aurem de iis vellicauit. Ægre ſimul fero, libri de ciuili prudentia editionem necdum maturuiſſe penitus. Sed eius moram, ſi modica eſt, reuerenter ac placide feremus, cum pluſculo commodo aliunde per exoptatiſſimam illam tuam de Auguſta bibliotheca epiſtolam rependatur. Plurimum ſane tibi et omnis eruditorum natio debebit eo nomine, et ego potiſſimum, vt cui ſingularis inde honor tui in publico alloquii obtigerit. Deum precor, vt tuam tibi valetudinem potenter roboret, diuque proſperrimam conſeruet, ad o-

pus de prudentia ciuili non modo, ſed et ad ceteram aliorum optimæ frugis pleniſſimorum tractatuum, quos affectos et in mente habes, conſcriptionem abſoluendam! *Vorburgii* memoriam tibi iterum iterumque commendo; puta, *ciuiliter*, vt quod in rem eius appromiſiſti, fiat tuo commodo, atque ſine magno faſtidio moleſtiaue. Tum occaſio tibi ſubnaſcitura eſt digrediendi ad hiſtoricam noſtræ patriæ notitiam, et quid ad eam vel condendam vel perdiſcendam requiratur: de quo argumento licet antehac ad *Taciti Germaniam* ſis peregregia complura præfatus; procul tamen dubio ex illo tempore multum nouæ commentationis ad eiuſdem vberiorem cultum ac illuſtramentum ſuccreuit, cuius in conſcientiam admittenda veniat politicorum turba, talia doceri nunc indiga. Talia vt doceas porro, quæque docuiſti vt aliis quoque edas, omnino interdum turbari debuiſti. De tuis autem in *Grotium* annotatis, quoniam ea me vis celata, tibi amplius negotium faceſſere parcam. Soceri diſputationes amo vel eo nomine, quia tui ſunt ſoceri. *Machiauellicis* tuis num magna ſub prœlo facta ſit acceſſio, reſciri huc vſque non eſt quitum. Legi, prout manu erant exarata, indeque didici non

pau-

pauca, non tralaticia. Ex tuis enim ſemper multum ſane proficio, neminiſque ſcripta lego pari animi contentione, pari videlicet diſcendi cupidine. Politicis me perinde, atque illis ex iuris æterni et poſitiui gentium fontibus petitis delectari, eo ipſo puto liquere, quia ipſa ſunt permultum diuerſa; his *iuſtum ac honeſtum;* illis *vtile ſtatus* agitantibus. Omnino duum eſt conſiderationum vniuerſa *ciuilis prudentia.* In ciuitate videlicet, vt pro meis quidem puſillis modulis rem hanc aſſequor, curat tum id, quod deprehenditur eſſe *vtile* atque conueniens Statui; tum quod *iuſtum* eſt. Circa illud quæ ciuiles actiones, quatenus tales, verſantur, conſtituunt *ciuilem* ſeu politicam *prudentiam* ſtricte ſic et proprie dictam. Circa *iuſtum* alteræ afficiunt *prudentiam iuris.* Ciuilis hæc prudentia in ordinanda, componenda, conſeruanda republica vtilitatis, ſeu eius, quod vſu comperitur eſſe ex re ciuitatis, rationem habet, docens relationem partium inter ſeſe, tam earum, quæ regunt, quam quæ reguntur. Hæc doctrina politices duplex mihi eſt. *Generalis*, quam tradit omnium optime Ariſtoteles, et tu paſſim; dein *Specialis*, quæ tractat certam aliquam reipublicæ ſpeciem,

exempli gratia, regnum seu principatum: vt *Lipsius*, et tu ad *Machiauelli* Principem, et alibi de regno, eiusque differentiis: tum de oligarchia, democratia etc. *Eichelius* item de mixta republica, cuius pars posterior an prodierit, quæso, me doce; tum etiam quid habendum sit de laboribus *Arnisæi*, *Clapmarii* arcanis, *Boxhornii* item Institutionibus politicis, quæ ante biennium cum explanatione ipsius publicatæ sunt. De *Bodino* denique et *Hobbio*, qui vtrique et ciuili et iuris prudentiæ seu æqui prudentiæ communi illi et catholicæ excolendis idonei sunt et aptari possunt. Illum te magni inter nouos siue recentes politicarum rerum in vniuersum tractatores et pro merito æstimare, bene noui. *Hobbium* quanti facias, si recte memini, antehac perscripsisti. Quin reperio epistolium *Helmst. d. 23. Ian. 1651.* datum, dum tuas, quotquot digne asseruare inter tot Larium mutationes hactenus potui, literas reuoluo: *Hobbii elementa*, ais, *de ciue impie philosophantur, dum ius regendi omne ex potentia præualente suspendunt, et odium seu simultates humanas pro fundamento habent ciuilis regiminis. Quis bonus ferat hæcce paradoxa? Autor dignus videtur, quem odia omnium excipiant.*

ant *. Optem rescíscere, an hodieque idem de *Hobbio* arbitreris, postquam haud dubie ex illo tempore legisti dissertationem eius epistolicam de principiis iusti atque decori; tum corpus eius politicum, quod ex Anglico Gallice reddidit *Sorberius;* atque huiusce ipsius discursus et epistolas Gallice ante sesquiannum editas, quibus *Hobbium* ex instituto non semel defensum conspicies. *Sorberius* hic *Samuelis Petiti* nepos est, felici *Milleterii* aliorumque intelligentium virorum, veritatem ac inania papatus dinoscere non inscientium, imitamine ad Catholicam vnitatem ex vndabundo schismatum et sectarum pelago feliciter appulsus **. Quacum concorpores soli ex vero diiudicare norunt, quousque Apostolicæ Sedis potestas se exporrigat, vbinam deinde terminetur. Segrex nouitas, cum partes in illam conflauerit et inimiciter se gerat, talia existimare nescit; quemadmodum sciscit ipsa *oicumenica Iurisprudentia*, quæ est interpres et explicatrix recti et omnis honesti moris, quæue iudicationum interiores scaturigines pandit, in temperanda ciuitate et humani generis communione dirigenda rationem habens iusti

 et

* Sunt verba *Epistolæ* nostræ *IV. p. 20.*

** Vid. Vita *Sorberianis* præmissa.

et iuris, de quo tu ſapienter ſcripſiſti. Hinc dependet conſociatio iuris et imperii. Gemina iuriſprudentia eſt: *Vniuerſalis* et *Singularis*. Illa eſt omnibus populis communis; præſertim moratioribus. Hæc rurſus bipartita eſt: prior et poſterior. *Prior* tradit ius commune humanæ ſocietatis, quod partim ab ipſa natura profectum, partim moribus et pactionibus introductum, vniuerſitatem generis humani, aut certe complures eiuſdem populos inter ſe colligat, et pacis, belli, federum commerciorumque negotiis regendis, controuerſiiſque gentium liberarum dirimendis adaptatum eſt. Hanc auguſtiſſimam iuris ſapientiam *Grotius* noſter, *Seldenus libro 1.* et *Pufendorfius* explicandam ſibi ſumpſerunt. Audit etiam Iuriſprudentia naturalis et perpetua ac publica. *Poſterior* agit de iure cuique genti proprio et ciuili: puta, quomodo ius ciuile debeat condi, et conditum intelligi et executioni mandari. Hæc poſterior pars eſt, ſi proprie loquendum, portio ac ſegmen politices ſtricte ſic dictæ. *Hopperus*, ad quem nihil lectu conducibilius tuo præfamine, inter iuris partes refert. Eſtque vel vera, vel vulgaris, vel aſſimulata. Hæc complectitur facultatem Sophiſtarum, de quibus *Creſollius*, et

rhe-

rhetorum, queis de *Vossius*. Ista est leguleiorum ac pragmaticorum. Illa est cum Nomothetica seu legislatoria; tum Dicastica siue iuridicialis seu iudiciaria. Versatur vero hæc circa leges iam conditas, vt et exequutioni dentur, et intelligantur recte. Vbi triplex genus interpretandi oritur: *Academicum* ICtorum et Antecessorum, vt *Cuiacii*, *Bachouii* etc. *Forense*, iudicum in iudiciis, pragmaticorum in foro et curia: quo refero *Antonii Fabri* et similium studia. *Politicum* in senatu secretiore seu supremo consilio, siue in sacro Status Consistorio: huc putem spectare operam tuam, quam es pollicitus de *politico legum examine.* Hinc, nempe ex iuris communis prudentia, pendent iudiciorum moderamina et bellorum: horumque sub notione *iusti.* Politica iis statumina subdunt dogmata et vsus *Artis Imperatoriæ*, cuius finis victoria: tum Chrematistices, quam illustrant opera *Felwingeri*, *Bornitii* et aliorum; illam *Naudæus* syntagmate de studio militari. Accedit *eloquentia*, tam poëtica, quam præprimis oratoria: quo conferunt *Vossiana* tot insignia. Vnde et Historica enitescunt. De *Iurisprudentia*, quam *singularem* indigitaui, quæ huius vel illius populi seorsim ius proprium et ci-

uile

uile tradit, prout eſt conſtitutum tam publicum, quam priuatum, operoſum me eſſe hic nil attinet. Eſt hæc nil aliud, quam peritia iuris vel Iudaici, vel Chriſtiani, vel Romani, vel Græci, vel Germanici. De huius origine, qua priuatum eſt, tu optime. Leges Germanicas collegerunt *Baſilius Heroldus*, *Fridericus Lindebrogius*, *Goldaſtus*. Græcas *Petitus*, *Deſiderius Heraldus*. Hebræas *Hottingerus*, *l'Empereur*, *Seldenus*. Arabicas *Bibliander*, *Poſtellus*, *Guadagnolus*. Chriſtianas cernimus in *Euangelio*, in *Conciliis*, *Canonibus*, diſciplinis *Eccleſiaſticis*, et iuribus *Pontificiis*. De Romana Iuriſprudentia venuſte diſſeruit Manuali ſuo *Iacobus Godofredus*, *Duckius*, *Zoucheus*, *Paulus Voet*, *Gentiles*, *Forſteri*, *Speckhanius*, *Hahnius*. Tu quoque ad Tacitum. Quam vber ſit Romani Iuris conſultorum prouentus, neminem latet. Hi cum optime iuris intimiora demonſtrauerint, et prudenter ſuper iis ratiocinentur, præ reliquis orbis ſapientibus in hoc ſtudii genere merito quotidiana lectitatione teruntur. Neque perperam faciunt, qui illis quandoque comites iungunt Orientalis iuris interpretes, de quo *Imhouius* Politico Græco, et *Ioſephus Maria Suareſius*; etſi multo ampliora operæ et indu-

duſtriæ ſuæ pretia faciunt, qui S. *Thomæ Aquinatis* et ſolidiores caſuum expoſitores in conſilium aduocant. A quibus tamen omnino ſepoſtos et remotos velim turbam illam et vulgus *caſuiſtarum*, qui nimia indulgentia moralem Chriſtianiſmi Catholici philoſophiam omnem turpiter coinquinarunt. Nouiſſimum noſtrum ius Germanicum duplex eſt: publicum et priuatum. Hoc e *Gailio*, *Mynſingero*, *Swammanno*, *Denaiſio*, *Carpzouio*, *Gylmanno*, *Rodingo*; illud, te magiſtro ac duce, diſcetur longe optime. Tuis enim in Lampadianum libellum diſſertationibus quid locupletius? Tuis Academicis cum diſputationibus, tum iuſtis tractatibus quibuſdam ecquid eſt accuratius? *Limnæum* eiuſque ſimiles Scriptores, habemus, vt indices. Non male hic vtimur *Hippolyti* quoque *a Lapide*, quem vterque noſtrum bene nouimus, libello, bono illo et ſolito ſolidiore; at ſupra modum rigido et partibus obnoxio. In eum qui calamum diſtrinxere *Reinkingius*, *Hagenius* in Comitiologia et *Sluterus*, amabo, vt placent? Hic mihi præ illis ſapit. Sed de hoc et de omnibus, quæ ſcripſi rapido iam ſtilo, oro te, iudicium mihi tuum commoda. Adde, cancella, vre, ſeca. Te enim præceptore et doctore proficere

ex

ex animo et vehementer etiam atque etiam diſcupio. Libere mecum age, et non oppanſo velo vel tantillo ſimul edoce, quid cenſeas in ordine ad ciuilem iuriſque et ſacrorum prudentiam deinceps pro vſu legendum in moralibus ſeu Ethicis. In quibus apprime diſcenda eſt tractatio de principiis actionum humanarum, quam Cardinalis *Pallauicinus in l. 2.* mihi videtur pulcherrime tradidiſſe: ea in libris Ethicis vulgo deſideratur: vti in politicis neceſſaria illa diatribe de mixtione formarum in ciuitate. Doctrina morum trifariam docetur, ni fallor. Nam eſt aut *parænetica*, quo ſpectant promiſcua *Theognidis*, *Phocylidæ*, *Catonis*, *Epicteti*, *Cebetis*, *Arriani*, *Simplicii*, *Stobæi*: in quem *Grotius* præfatus, in illum *Salmaſius* eſt egregia commentatus. Eodem refero *Ciceronis* Officia, cum *Calcagnini* cenſuris, *Grifoli* item, *Nizolii* et *Maioragii* defenſionibus. *Seneca*, *Plutarchus*, *Philo* aliique huc perinde apponi merentur. Chriſtianorum denique veterum Homiletica; *Eraſmi* item et *Lipſii*; tum *Baconi* nonnulla. Aut Ethica eſt *Characteriſtica* et per apologos, quales *Æſopi*, *Phædri*, et per morum notationes, cuiuſmodi eſt *Theophraſtus*, *de la Chambre*, *Senaldus*, *Io. Barclaius* in eicone animo-

morum, *Bœclerus* Characteribus Velleianis; *Chiaramontius* denique. Aut eſt *dogmatica* et *Apodictica*; vbi regnat *Ariſtoteles* cum ſuis interpretibus et paraphraſte *Andronico*. *Horneius* item veſtras. *Raynaudus* denique in ſua diſciplina morali, et volumine altero de virtutibus ac vitiis; *Gaſſendus* item in parte Ethica. In œconomiis mihi principe loco eſt *Ariſtoteles*, *Xenophon*, *Septalius*. Quo referam pace tua rei ruſticæ ſcriptores; *Fourmierium* quoque de nauigatione et admiralitate, *Bornitium* de rerum ſufficientia, de ærario. etc. Quid iudicas, mi amice, (ſciſcitor enim ex te non mea tantum, ſed et filii, vbi adoleuerit, tuam in diſciplinam dedendi cauſſa,) de paraphraſi in *Ariſtotelis* Politica *Heinſii*, de Analyſi *Feldii*? Is quæſo, vbi iam eſt? quid molitur? de diſſertatiunculis *Heidmanni*; de *Erycii Puteani lineis*; de *Io. Caſelii* Propolitico? Vides quantum profeceris, dum nolebas amplius turbari quæſitis et emendicationibus meis? Tantum abeſt, inde me ad moderationem talium adductum fuiſſe, vt indidem et omnino luxatas videam, non modo laxatas, habenas curioſitatis meæ. Quæ licet tibi tædioſa videatur, non mihi tamen ideo vel pœnitenda vel pudenda erit. Indignatio enim

vel

vel ſola adiget te ad impertienda mihi ſenſa animi tui, vt ne ſic quidem vnquam poſſis eruditionis tuæ opes et abundantiam mihi denegare, aut contractius admetiri. An ſatis partite me ſupra de ciuilis ſtudii ratione declarauerim, necne? an *vtile* et *iuſtum* rite internoſcere didicerim? an vtriuſque doctrina pariter et ex æquo delecter, tuum eſto iudicium et arbitrium omne. Quo melius tecum propediem de vnis ac ſolis negotiis publicis, qualia in præſens ſub ictu et incude ſunt, agere ſinar, quod videris efflagitare; ecce me ſemel et vno impetu omnibus hiſce literariis curioſitatibus leuare et exonerare volui, teque, antequam modo finiam familiarem hancce ſcriptionem, rogatum percupio, vt ne obliuiſcaris duorum illorum librorum, quos olim in literis ad *Nothaſtum* pollicitus es: quorum vnus *de Comitiis Imperii*; alter eſt *de Regalibus* ſiue *regii fiſci iuribus*: quorum hic regia per omne imperium iura a priſcis vſque repetita temporibus; ille vniuerſam Comitiorum rationem, atque adeo Regis Ordinumque iura in conſultationibus publicis, quænam ſemper fuerint, debet pandere. Hodie profecto magna, vt ſcis, diſquiſitio oritur de comitiorum neceſſitate et vſu, deque Principis Or-

Ordinum auctoritate nixi regimentis. Vides, quorsum deuergant Viennenses rectores, ministerio suo et Cæsarem et Status pessumdaturi, nisi obdatur iis repagulum sat tempestiue. Sane sine hoc vltra fuerit, vastabitur tota Imperii oiconomia, et collabetur omnis securitas, qua domi, qua foris, neque nobis pacis, quæ sine *garantia* claudicat, nec belli a Turca impendentis ratio constabit. Sed ad hæc rite expiscanda atque dignoscenda opus est multo iudicio, singulari rectitudine consilii, solertia et æquanimitate: opus patientia et præsentia animi, vt et venia defectibus aliorum ac condonatio indulgeatur, et ad rem fortiter manus admoueatur, sicubi et quam primum necesse id fuerit. Opus habemus sensus communis facultate exquisita in periculis publicis et internis et externis recte dimetiendis et apprehendendis; tum præcipue, in amouendis ac præuitandis prudentiæ architectonicæ moderamento; idque eo magis est nunc nostris rebus erigendis et stabiliendis tutandisque necessarium, quo eius ignoratio maiorem earundem ruinam hactenus edere solita. Mi Deus! quanta vbique in nostris hominibus inscitia et ruditas est ipsorum principiorum, non tantum primorum illorum *inde-*

monstrabilium et nobiscum natorum, sed maxime eorum, quae vsu et inductione per experientiam intelligentium ac prudentium virorum formata et firmata sunt, sine quorum perfecta conscientia et subactissimo prouisu non possunt a quoquam vel capi vel nosci vel iudicari vel dignosci status rationes, et *gli interessi* Principum, Potentatuum Statuumque. Tandem finio, et discam ex te, optime omnium, propediem rerum nostrarum praesentium dimensiones, sicuti de te discere soleo et ciuilis et iuris gentium socialis et omnis vitae prudentiam. De omni pariter eruditione cetera delicias meas et amoenitates exspectaturus proxime in epistola tua, quam in meum nomen adornas de Augusta bibliotheca. Vale. Oblitus ne sim nuperis meis gratulationem de consiliarii munere, non memini. Gaudeo sane, allectum te a nobili illo et clarissimo Principe in numerum esse amicorum intimae admissionis. Neque ille intelligentiorem omnium rerum consultorem adiutoremque reperire potuisset, nec vel optandus tibi fuit cultior, melior, praestantior herus. Huic gratulor te, tibi hunc. Non potest proinde quin posthac frequens sit inter nos consiliorum communicatio futura. Plurimum sane mihi quoque

gra-

gratulatus ſum occaſiones, quas creberrimas voueo, ex te proficiendi. Claudere has literas non poſſum, niſi prius de te cognouero, num quis inueniri apud vos queat adeo Belgice ſciens, vt *Grotianam Iſagogen* in bene latinum ſermonem conuertat, quæ, te optimo iudice, ipſis quin etiam *Iuſtiniani* Inſtitutionibus præferri mereatur, et feliciſſime manuducere ad iuris ciuilis prudentiam par ſit aptaque. De Viennenſium ſtatu ſcieritis procul dubio cuncta. Fingunt formidines Turcarum: corrogatum circummittunt legatos per omne Imperium auxilia in illos, quos nec ſerio metuunt, neque ſibi moleſtos fore prouident. Aſt faxit Deus, ne eorum propediem neceſſario fiant metuentiores! Comitia auerſantur. *Saxonem* ſibi ſuffragantem habent. *Treuir* ac *Bauarus* nil intercedunt: ille aſſuetudine ſeruiendi; hic ſuæ potentiæ conſcientia. *Brandenburgicus* quin paullatim ob ſuammet ſecuritatem priſtinos pro libertate ſtatus publici ſpiritus ſit recuperaturus, non diu dubitabo. *Colonienſis* non quidem reſtitat; neque tamen ſibi dum conſtat omnino. *Palatinus* ipſe neſcit, vtrum malit. Comitia velit, vt ægre aliis ſit; nolit contra, ne ſibi male ſit. Scit enim, quanti in ſe clamores ex *Wildfango* ſint de-

 to-

tonaturi. *Moguntinus* meus, vt Cæſarem, ſi a Turca reapſe impetatur, velit adiutum, ita perinde et multo magis velit comitia admaturarier. Pertæſus quippe eſt regiminis illius ſingularis, quod Viennæ prenſant, et ſibi aperte arrogant. Vſque adeo deſipiunt, vt quod maxime volunt, maxime prodant, et tempore incongruentiſſimo ſuis ipſorum rebus. Cum *Moguntino* conſentiunt *Federati* omnes, quibus *Gallia* applaudit. Mirum, ceteros Ordines tam ſupine pro ſuis iuribus elaborare, et nondum aduertere velle artes, quibus inter ſe diuiduntur, et propulſata *Deputationis* inſufficientia et rixoſitate non coïre protinus in iuſtum generalemque conuentum. An dememinerunt conſiliorum *Campanellianorum*, quæ per ruinam dignitatis Principum aulæ regnatrici gradum ſtruunt ad Imperium vnius? Ea euidentiora et clariora orbi illucerent, ſi vernacula, quæ premitur, Hiſtoria prodiret, quam ſub Ferdinando II. ſcripſit *Keuenhüllerus*, Orator in Hiſpania tum Cæſareus *.

CLVIII.

* Prodiit illa dudum, et verſatur in manibus omnium; neſcio tamen, an quiſquam inuentus ſit adhuc, qui hæc *arcana domus* in ea perſpexerit, et orbi oſtenderit.

CLVIII.

Idem agnoſcit Comitiorum neceſſitatem, ſed Caeſarem *Deputationi* Auguſtam prorogandae inſiſtere dolet.

Moguntiae d. 16. Febr. 1661.

Iudicium tuum de re Turcica et Comitiali vnice exoſculor. Plane eidem aſſentior, et eandem in ſententiam meo quoque Principi, cum nuper Herbipoli forem, conſului, iiſdem pene adiectis obſeruationibus, quaſi inter nos ita conciniſſet. Iam, dum Turcici periculi formido ceſſat, et Comitia ſatis ſupine promouentur, noua mihi calamitas euenit. Interea Viennenſes Aulici relabuntur in cogitata ſaluti et libertati noſtrae exitioſiſſima, de *Reunione*, vt vocant, *deputationis* in loco medio ineunda. Auguſtam Vindelicorum iam iterato videntur approbare duntaxat ea fini, vt Comitia ſufflaminent, et ſtatus in iurgiis attineant. Quid quaeſo, cum illi tam negligentes ſunt in obeundis ſuis muniis, agendum exiſtimas? quid ſuadere Eminentiſſimo Electori me oportet ſub hoc rerum habitu, qualis iam viſitur? Ego ſane imis medullis auerſor omnem illam tartaream *reiunctionem*, ſicut appellant. Ruina enim eſt et depraedatrix iurium Imperii, poteſtque in miſeri-

 ri-

rimam temporum labem deficere. Vincerent quippe nos et in Electorali et Principum collegio contraria vota. In hoc Episcopi pene et Vrbes omnes subblandiuntur aulæ. Treuir, Saxo, Bauarus et Brandenburgicus vt affecti sint, per est cognitum vel in vulgus. Errores, qui in republica hactenus inualuere, legibus quasi sic sanciri possent. Quod malum profecto esset pessimum, et editurum esset infinitas tricas, bella et ærumnas sine fine. In Comitiis res secus incedit. Quæ in collegio Electorio peccantur, vel vno Electorum rectiora edocto, Principum ope, in *correlatione* emendari multa possunt. Statuum enim plures adsunt, æquitatis in corpore maior habetur ratio, et magnam partem qui non sunt *deputati*, pendent a federatorum consilio. Quo stante, quid demum noxæ in publicum, etsi *deputatio* non coëat vno loco, etsi Francofurti nos legitimo loco; alii alibi sint? Fœdus enim pacem quoquo modo continet, saltem impedit quo minus validæ emergant turbæ, donec indictus et actus fuerit Imperii Conuentus, siue omnia recte et in nouam de integro *deputationem* referri cum ratione poterunt, securitatis capitibus omnibus simul expeditis, in quibus principe loco est *Garantia*.

Sed

Sed tuum iudicium audire et ſequi hauebo. Meum *titulum* vt mittam, non poſſum induci. Meum *nomen* noſti. Si hoc non ſufficit, ab *officio*, quo fungor, parum ſperem illuſtramenti. Deus te ſeruet, meque tuis literis et ſcriptis frequenter exhilaret!

CLIX.

Conringius mittit *Antimachiauellica* ſua.

Helmſtad. d. 17. Febr. 1661.

Ad binas tuas debeo reſponſum: fortaſſis etiam cras potero ſoluere, quod debeo. Nunc vero feſtinandum mihi video, ne pereat commoda occaſio tranſmittendi meas in *Machiauellum* animaduerſiones, quod ſciam deſiderari abs te illas, et illæ heri ex typographica officina aduenerint. Mittam vero tibi et illa, quæ in Galliam deſtinaui, exemplaria, vt tua cura Patrono ſeſe ſiſtant, ſimul a bibliopegis recepero, et tranſmittere potuero. Tradet vero hoc exemplar tibi Senatoris Cæſarei, et noſtri quondam Cancellarii, *Bohnii* * filius, iuuenis eximius. Cui ſi viciſſim beneficii

* Plura de hoc videſis in terſiſſime ſcripta *hiſtoria bibliothecæ Auguſtæ p. 75. not. y.*

quidquam præstiteris, ita vt possit sentire, meam sui commendationem vsui sibi fuisse, multum me profecto tibi demereberis. Perendie bono cum Deo committam typographiæ elogium bibliothecæ Augustæ, in tuum nomen edendum. Hoc excipiet manus vltima ciuilis prudentiæ.

CLX.

Idem breuibus respondet prolixæ epistolæ politicæ, moderata suadens quidem, sed in fine paradoxus et vix Christianus.

Helmstadii d. $\frac{18}{28}$ Febr. 1661.

Heri, cum insperato sese offerret occasio, misi animaduersiones meas *Machiauellicas*; præpeditus tamen celeritate abeuntis *Bohnii* ad binas tuas literas nihil reposui. Ne quidem nunc vero vacat saltem ad prolixas illas tuas, quas $\frac{1}{11}$ huius mensis exarasti, ex desiderio tuo respondere. Paucis igitur tantum accipe. Quæ in literis illis de ciuilis et iuris prudentiæ affinitate pariter ac diuersitate disseruisti, perplacent. Et vero accedis iis, quæ de hoc argumento passim, cum primis autem libro de ciuili prudentia disputaui, si paucula exceperis: quod apparebit diligenter voluenti

li.

libri illius mei caput tertium. De ciuili quoque doctrina eiusque partibus probe iudicas. De Scriptoribus illius in nonnullis, fateor, abs te dissentio. Nec vero de *Hobbio* muto hactenus sententiam. Non dissimulabo tamen, mihi non esse visum illius ex Anglico Gallice a *Sorberio* versum corpus politicum. Si autem illud vacat culpa omni, necessum est mutauerit doctrinam suam *de Ciue*, et semetipsum confutauerit *Hobbius*. Id quod si fecit, laudo equidem; librum tamen de *Ciue* eo ipso non probauit mihi, sed potius improbauit quam maxime. *Sorberii* aliquid legi pro pace Ecclesiastica, pium magis, quam doctum. Quo ingenio virum esse confirmor etiam tua illa narratione, quod nimirum a *Milleterio* passus sit sese flecti in partes Pontificias, seu potius earum partium simulatam professionem; cum ipse *Milleterius* reuera Romanensibus sit summe inuisus, et qui inania Papatus dignoscunt, cuiusmodi sunt, quos hic recte vocas *intelligentes*, interque eos ipse *Milleterius*, velint nolint, cogantur anathema dicere Curiæ Romanæ; non autem illi sese subdere: id quod liquide adeo probaui *capite tertio Concussionis*, vt omnes aduersarios rapuerim in consensum, cumprimis ferocissimos illos, *Va-*

 leria-

lerianum Magnum et *Erbermannum.* Sed hoc nihil ad rem, quam agimus. De politicis Scriptoribus plerisque itidem recte sentis, quantum arbitror. De nonnullis tamen eorum aliisque compluribus cur dissentiam, docebunt vltima ciuilis prudentiæ, quæ propediem editurus sum. De iurisprudentia plane consentis cum iis, quæ libro illo meo de ciuili prudentia docui. Tantum quod nonnulla de tuo adiicis, quorum potiora itidem me multum delectauerunt. Quæ de Scriptoribus nonnullis interrogas, videbis, spero, expedita in libro illo de ciuili prudentia: qui quoniam propediem videbit lucem, non est, quod de illis hic quidem seorsim disseram. Sed et de Iuris publici Germanici cum Scriptoribus optimis, tum de recta ratione excolendi illius iuris breui publice docebo nonnulla in meis ad *Lampadianum* librum annotationibus, quas iam tum prælo cœpi commendare, vt sint saltem compendium Iuris Germanici illius. In *Morali Aristotelis Philosophia* quædam recte desideras: ego multo plura. Omnem enim Iuris naturalis prudentiam istuc censeo pertinere: nec ordo modusque tractandi satis placet: vis etiam argumentorum Aristotelicorum videtur debilior, idque quoniam nec

pro-

prouidentiam diuinam, nec animae immortalitatem, aut vitae aliam, quam quae in hoc mundo hominibus obtingit, felicitatem agnouit. Super quibus tamen tanquam fundamentis virtus omnis superstructa est. Nec enim virtus est, nisi inanis quaedam animi generositas, absque fuerint illa, quae modo dixi. De hisce omnibus erunt alias mihi quaedam dicenda, vbi simul agam de optimis philosophiae illius Scriptoribus. A quo ordine quod remoueas recentiores quosdam *Casuistas*, laudo: nam profecto socii illi eneruant virtutem sua de conscientia probabili doctrina, ne alia nunc tangam, quam vtrum rectius tradiderit *Pallauicinus* nescio; Nec enim hactenus vidi illius in primam secundae commentarios. De scientia oeconomica dicam in prooemio ad *Septalium*, quem, vt et *Aristotelis* ac *Xenophontis* libellos, seorsim hic edi curabo, iamqne tum editioni paratos habeo, monstraturus ibi, Rei rusticae doctrinam ab oeconomica plurimum abire; etsi tu, vulgi sententiam secutus, videaris aliter sentire. Paraphrasin *Heinsii*, et *Erycii*, *Puteani* lineas quanti aestimem, dixi iam tum in Introdnctione ad Politica Aristotelis. Analysis *Feldii* non est aspernanda. Auctor in agro viuit, non procul Naumbur-

burgo, ibique ſcholas habet iuridicas. Propoli-ticus *Caſelii* elegans eſt; ſed quantum abſit a plena argumenti illius tractatione, ipſe perſpicis, præſertim facta cum meo de ciuili prudentia libro collatione. De comitiis eorumque iure ſcribere, nimis video inuidioſum fore: itaque an aliquando liceat mihi promiſſis ſtare, dubito. Tempus docebit. *Grotii* Inſtitutiones Iuris Batauici longe præſtant *Iuſtinianeis*, ſuntque omnino digniſſimæ, quæ vertantur in latinam linguam. Qui id poſſit heic loci, noui neminem, niſi quod ſperam, hoc aliquando actum iri a meo ex fratre nepote. Venio ad literas tuas $\frac{16}{6}$ Februarii ſcriptas. Recte cenſes, comitiis vniuerſalibus eſſe opus. Et vero quas affers rationes contra *Reunionem*, quam vocant, *Deputationis*, id euincunt, in Comitiis negotia illa potiſſima Imperii optime; in *Deputatione* vnita minus bene poſſe expediri. Quin igitur Comitia ſint vrgenda, equidem haud dubito. Et vero ſi tantum eſt a bello Turcico periculum, vt volunt perſuadere Cæſareani, etiam maturanda illa fuerint. Quoniam ipſis fatentibus, illa hinc inde ſeorſim conquiſita auxilia non ſunt paria viribus Turcicis, præſertim ſi bellum continuandum fuerit; de maioribus autem auxiliis in Co-

Comitiis eſt agendum. Ipſorum igitur confeſſione quam ocyſſime fuerint Comitia indicenda, vt in tempore deliberetur de viribus ſufficientibus, et quæ idoneæ ſint in longum tempus. Vtique enim prudentis eſt, ſtatim, etiam antequam bellum incipias, vires ſufficientes prouidere, et conſulere in futurum. Quod *Reunionem* tamen attinet *Deputationis*, neſcio, an poſſit tandem recuſari, ſi vrgeat Cæſar; aut num adeo magnum hinc immineat periculum. Recuſari non poſſe, vereor, quoniam iam tum a noſtris etiam partibus in illam non obſcure eſt Francofurti conſenſum. Poſſit etiam recuſatio illa haberi fortaſſis nimia reluctatio Cæſareæ auctoritati, cum tot Electores et Principes eam amplexentur. Periculum minus erit metuendum, puto, ſi *Deputationi* non committantur expedienda negotia alia, quam quæ iure iſthuc pertinent; reliqua autem omnia ſeruentur Comitiis. Hoc mihi conſilium videtur eſſe moderatiſſimum pariter et ſaluberrimum. Quæ tamen ſententia ſit ſapientiſſimi Principis mei, nondum noui. In vniuerſum ita cenſeo, nullum Germaniæ poſſe obtingere cum ſeruandæ Ordinum libertatis, tum diſſidiorum tollendorum remedium melius, bello Turcico. Sed

Deus

Deus prouidebit, cuius tutelæ te et tua omnia commendo.

CLXI.

Boineburgius mittit *Conringio* epiſtolam *Henrici Iulii Blumii*, Romæ ſcriptam, de obitu *Lucæ Holſtenii.*

Francofurti d. 26. Febr. 1661.

Holſtenium obiiſſe, ſcio, iuxta mecum inuitus comperies de literis *Blumii*, quas ecce! adiungo, et ad meas nuperas reſponſum exſpecto.

Literæ Blumii ad Boineburgium.

Illuſtriſſime Domine.

Quod minime arbitrabar, cum huc venirem, pridie obiit Dominus *Holſtenius* magnumque ſui deſiderium amicis, et famam optimam omnibus reliquit. Hæredem ſcripſit Cardinalem *Barberinum*, vel potius exſecutorem Teſtamenti, quod iam ante biennium confecerat. Quid enim ex illa hæreditate redire poteſt ad Cardinalem, niſi varia ab ipſo aut collecta, aut obſeruata, aut ex Græco verſa? quæ ſane maximi ſunt pretii, cum eum hic inter eruditiſſimos noſtri ſeculi omnes cenſuerint. Bibliothecam, ſi libros manuſcriptos, quos habebat quam plurimos, excipias, legauit patribus *Auguſtinianis*, et publicam eſſe voluit.

Non

Non eſt ea quidem admodum compoſita; ſed ſelectiſſima, et in qua cernas antiquos autores omnes, quotquot vnquam ſunt editi in vllo eruditionis genere, eſſe ex optimis editionibus. Quid conſtituerit de libris, quos iam habebat ad editionem paratos, et quibus non deerat niſi præfatio, nondum ſcio; potero id tamen proxime ſcribere, vbi Cardinalem *Barberinum* his diebus iterum adiero. Morienti non adfui: neque enim exiſtimabam, mortem tam cito ipſum eſſe oppreſſuram. Qui adfuerunt, laudant ſummam eius conſtantiam. Dignus erat longiore vita. Ego vel ideo doleo, quod non licuit mihi eum de omnibus conſulere, quæ cogitaueram, mihique occurrebant. Interea quotidie nouas contraho cum viris doctis notitias: nam tot ſunt, vt paulatim eos cognoſcere incipiam. Inter eos quoque numero vtrumque fratrem *Macedo*; Ieſuitam alterum; alterum Franciſcanum, cuius ſunt opera illa, quæ poſſides. Vir ſane eruditus eſt. Adfuit quoque Nobilis Suecus, *Skytte*, qui Olyſſipone habitum ſancti Franciſci cum fide Catholica ſuſcepit *; ſed abeſt nunc Romæ, et Preneſte agit in Barberinorum oppido. Ma-

* Ex Legato Suecico factus *Capucinus*.

Maxima quoque delectatione afficior, cum Patres audio, non ex societate Iesu tantum, etsi inter eos sunt quam plurimi et eruditissimi; sed etiam alios, narrantes, quae in tot diuersis vtriusque orbis remotissimis prouinciis pro fide Christiana sustinuerunt egeruntque. Sic tempus etiam inter aduersa non plane sine aliquo solamine transigo, dum vos tractatis maximi momenti negotia publica: quibus vt Deus bono Ecclesiæ prospeprum successum concedat, ex animo voueo, meque tibi quam diligentissime commendo. Romæ d. 4. Febr. 1661. T. M. D. obseruantissimus

H. I. Blum.

CLXII.

Boineburgius narrat, quomodo Cæsareus Legatus sit dimissus, circa *deputationis* translationem subtili distinctione vtitur, et *Bœclerum* Argentoratum relicturum significat.

Herbipoli d. 2. Mart. 1661.

Discessit hinc hodie Cæsaris legatus cum Electorali Responso, quo Cæsar officii satis accurate admonetur, Comitiaque valde vrgentur; simul tamen in casum summæ a Turca necessitatis ipsi auxilium ad bis millia peditum appromittitur, idque

que adiectis non vnis conditionibus. Iam medium locum, quo *deputatio* coëat, Viennæ recoquunt. Translatio autem istiusmodi nobis semper displicuit, nisi forsan inde nunc Comitia possint accelerari. Quid censes, si Cæsar iis diem dicat, ex. gr. sub initium anni proximi certo auspicandis, annon tum adhuc admitti translatio possit, iuribus tamen oblæsis simul prouiso? idque per conclusum Francofurti communi consensu editum. Duci enim Vienna cum suis debet ad leges; trahi non potest nisi vi, patriam disturbante. Aliud est, *deputationem* transferre, quo voluere hactenus modo incustodito illo et Comitiorum perturbatore; aliud id facere in ordine ad ipsa. Sed de Turca, crede sis, rem esse seriam. Multum modo supplicant *Viennici*, ne deserantur: pollicentur nescio quid non; etsi iis nil affidam. Sunt tamen alii quidam ipsis peiores, et statui præsenti longe inimiciores, suo contenti prospexisse, summa publici incuria. Per has Ordinum scissuras regnat aula; nos labascimus. Ceterum mitto heic literas *Francisci Ogerii* ad me, viri clarissimi, theologi Sorbonici, et qui Comiti

d'Avaux * fuit in cariſſimis. Hoc nomine mitto illas, quod quædam contineant tibi non ingrata, et quæ ad quæſita tua nupera pertineant, ad quas reſpondi. Tua, quæ et publico et mihi promiſiſti, auidiſſime exſpecto. Neſcio, an notitia tibi cum *Blauio* Amſtelodami. Is cum Grotiana Opera iunctim excudat, velim ſciat, *annotamenta in vtrumque Teſtamentum* longe auctiora editis eſſe in manu amici Pariſini, a quo ſi æquo pretio ea redimere volet, ero non inutilis proxenetes. Tui arbitrii facio, quid hac re factum malis. Vale. Audio, quin ſcio ex literis non fallacibus, *Bœclerum* Argentina meditari diſceſſionem. Quid putas, vbinam poſſit ſui vſum in publico præbere? Si Catholicus eſſet, ipſum iuuare poſſem melius. Ei cum *Kiſcro* et *Taboribus* male conuenit. Heidelbergæ, aut penes vos ſi locum obtinere poſſet, putem optime locatum eſſe.

CLXIII.

* Briennæ Comes cum *Seruieni* ingenium depinxiſſet, *Mazarini* ſimillimum, de hoc viro ita iudicat *Commentar. t. 2. p. 205. L'eſprit de M. d'*Avaux *affectoit une grande netteté et evitoit de tromper perſonne, ce qui eſt d'un honnête homme; tachant en même tems d'être trompé le moins qu'il pouvoit, ce qui eſt d'un homme d'eſprit.*

CLXIII.

Idem post varia publica et literaria, in quibus narrat, quibus nominibus *Conringium* sugillet ac arrodat *Feldius*, *Mazarini* Cardinalis obitum nuntiat, et Concussioni Conringianæ minatur.

Francofurti d. 18. Mart. 1661.

A publicis ordiar. Colonienses ratificationes fœderis prorogati, hodie omnes sunt cum omnibus commutatæ. Comitia Eminentissimus Moguntinus summe vrget. Vienna *deputationis* translationem, cumprimis in Comitiorum necem, refingere portendit. Nobis ea, si vnquam, modo est inuisa maxime, nisi si qua forsan inde Comitiorum orgio, admaturatio ac certitudo exterebrari, et ante quidem translationem, possit. Nihil autem moderabile mihi ab aula Viennensi polliceor. Insistemus tamen studiis moderati consilii, quo patriæ bene sit. *Machiauellica* nondum accepi, neque *Bohnium* vidi, insciens quoque, cuias is sit. Ciuilis prudentiæ liber est in summa exspectatione. De *Feldio* gratum, quod scribis. Analysis eius politica non temnenda. Quid in ciuilis prudentiæ capita, ni fallor, nouem illa ausus fuerit, rescire aueo. Legi eius rei quiddam,

ſed neſcio quo fato minus legendis illius viri opellis afficiar. Dicitur parare quid de principiis et vniuerſalibus iuris vniuerſi. Libens inſpiciam, vbi facultas ac copia eius videndi obtigerit. Ingenio non caret, et Ariſtotelica probe didicit, acutus ſatis, ſed ſingulari philautia laborare videtur. Omnia enim promiſcue rodit vt in *Grotio*, ita et in te. Vtinam quilibet ſuis donis rite vteretur citra alterius incommodum? Deus cuique dedit, quod alteri quandoque deſit. Mira *Feldius* cornicatur de diuerſitate *ciuilis ſcientiæ*, ac *prudentiæ* et *politices*. Etiam vim demonſtrationum, vt *Grotio*, tibi abiudicat. Affanias complures, quibus ſcatet Momica illa *Feldiana* vitiligatio, memoria recolere nunc non vacat. Nuperis tuis literis nihil iucundius mihi; nihil potius eſt. De *Boxhornii* politicis inſtitutionibus, cum eiuſdem explanatione nuper Lipſiæ editis, quid quæſo ſentis? Mihi non diſplicent. Theologiam, quam vocat, Grotianam *Feldius*, ſpiſſe et craſſe Luteranus, vitilitigat quoque. Te item ſugillat, quod cenſeas, *Ariſtotelis* in ethica demonſtrationes non eſſe ſatis fortes, quod *Ariſtoteles* prouidentiam Dei, et aliam poſt hanc vitam non crediderit. Naſutus eſt nimis. Ait etiam, Ra-

me-

meam te Philosophiam, Helmſtadii diu profligatam, ex orco reuocare. Maximi ipſe facit ſua ad *VI. Nicomach.* Cauſſatur, abduci iuuentutem a te ad neglectum Iuris Romani, et admoueri neſcio cui prudentiæ ciuili. Dicit, te Mathematum eſſe inſcium. *Sorberii* quid videris pro pace eccleſiaſtica, reſcire geſtio. Quod ais de ſimulata partium pontificiarum profeſſione; *Milleterium* item catholicis eſſe inuiſum, non capio. Illud videtur durum effatu; hoc in facto errorem inuoluit. Paucis enim Curiæ aſſentatoribus et Ieſuitarum nonnullis, qui a catholicis in aliquibus maxime reprehenduntur, diſplicere, id non eſt ſatis, vt catholicis ſumme quis inuiſus credatur. De *Concuſſione* tua ne, quæſo, ſis nimium præſidens. Forte breui et qui demonſtrandi, (cum *Feldio* loquor) peritia, et eruditione ampliore quam quali *Valerianus* innotuit, pollent, ipſi laruam et perſonam detrahent, ſi *Haunoldi* et *Erbermanni* conatus nondum ſufficiunt. Ignoſce, quod hæc ſcribo. Illam enim ſimulationem, toties bonis viris abs te obiectam, velim parcius diſpenſari, et retorqueri in alios. Sed nihil hæc ad rem. Iudicia tua de ciuili prudentia eiuſque autoribus mihi ſane ſummopere arrident. Deus

modo vires tibi et otia indulgeat, vt quæ paras, edere quamprimum poſſis! cumprimis hæc et notata ad *Lampadium*. Per eſt diu, ex quo breuiator eiuſmodi Germanicorum morum deſideratur. Quam enim exigui ſunt *Brautlachtus*, *Cubachius*, *Beſoldus*, *Beckerus*, *Hagenius*, qui epitomas conſcribere tentauere? *Paurmeiſterus*, *Hippolytus a Lapide* cum ſuo *Slütero*, *Reinking*, *Limnæus* aliique, qua quiſque dote præ altero valeant, tu optime omnium nos edocturus es. Dum hæc ſcribo, et plura molior, ecce! ſuperuenit terribilis ac flebilis nuncius, iſque certus, Eminentiſſimum Cardinalium Miniſtrorumque *Mazarinum* rebus humanis IX. Martii exemptum eſſe. Quæ hinc conſecutura exiſtimem, proxime ſcribam. Mox, credo, huc ad nos vel ipſum D. *Grauellum* rediturum, vel curſorem accurſurum eſſe. Tum plura ſignificabo. Interim, quæſo, noli de Comitiis tua diutius publico inuidere. Inuidiam rei minuit tempus, et ferent maximam partem, qui propediem in ipſis mediis Comitiis rem communem ſerio et ſincere agent. Grotianam Iſagogen, per omnia ſacra oro, fac quis bene latinus, tuuſue nepos, vertat Romanam in dictionem. Plura profecto nunc non poſſum, quin

ne

ne quidem relegere, quæ scripsi, præ mera animi afflictione, et in varias cogitationes summa distractione. Vale, et epistolam de bibliotheca Augusta matura!

CLXIV.

Conringius, post publica, *Mazarini* et *Lucæ Holstenii* obitum dolet, *Boineburgium*que rogat, vt dignum *Concussionis* suæ aduersarium in scenam producat.

Helmstad. d. 13. Mart. 1661.

Resolutionem quidem Coloniensem Cæsareo Legato datam hactenus non vidi; summam tamen eius accepi, sine Comitiorum vel indicendorum adiecta conditione auxilia promittentem. Perinde atque factum est a Principibus etiam reliquis; *Casselensem* forte si excipias. Ad cuius exemplum inducti cum primis iis, quæ Francofurti consultata erant, et spe certa, in eandem sententiam responsurum Eminentissimum Moguntinum, mei quoque Serenissimi Principes responsum suum initio quidem instituerunt; coacti tamen tandem sunt, nonnihil hinc deflectere, viso, decollasse spem de Moguntini resolutione. Vrgent nihilominus et mei Principes Comitia vnice. Quanquam

ego verear, hoc quidem anno parum effectum iri. *Deputationis* translatio fortassis possit promouere Comitia: certe idonea est ad communicanda rectius cum plurimis consilia de republica, et remouendas querelas de obstinato Principum quorundam animo in Cæsarem et Electorum plerosque, atque adeo ad mutuam Ordinum beneuolentiam conseruandam. Hoc fine videtur translationi illi non temere esse repugnandum. Ad hoc, si bellum Turcicum moueatur, possit illi *Deputationi* committi extra ordinem aliquid solito maioris auctoritatis, vt Aula Cæsarea cogatur sine eius præuio consilio nihil maioris momenti in bello isto temere aggredi.

Mazarini obitus dabit quidem aliquid turbarum inter Ministros Regios, qui indubie inter sese contendent de primo loco, nemine hactenus præ aliis multum præualente; poterunt tamen omnia facile componi, si Rex ipse sapit. Sane nunc demum apparebit, quanta sit ipsamet indoles et sapientia Regia. Rem autem feceris gratissimam, si sententiam exposueris de iis, quæ euenient. Exemplum *Machiauellicorum*, Illustrissimo Domino de *Lione* tradendum, prima quaque occasione tuæ curæ committam: missurus et alterum,

Gra-

Grauellio deſtinatum. Ille fortaſſis auctoritate ſuperabitur in aula a Comite *Brienna* *: hic moras nectet, ne redeat in Germaniam, niſi ante etiam ſuæ res probe ſint conſtitutæ, quæ hactenus patrocinio Cardinalis potiſſimum fuere ſuffultæ. Quin tu iam acceperis *Machiauellica* mea, non dubito: nec enim poſſum ſequius ſuſpicari de fide *Bohnii*, qui curanda illa ſuſcepit. Elogium Auguſtæ bibliothecæ iam forte eſſet confectum, niſi per quatuor fere ſeptimanas, euocatus a Sereniſſimo Domino meo, conſiliis intereſſe debuiſſem. Editionis tamen hac ipſa hebdomade fiet bono cum Deo initium. Illud opuſculum excipiet plena et vltima manus ciuili prudentiæ commodanda. Pergo interim ſimul in illuſtrando *Lampadiano* libro de Republica Imperii Germanici. De *Feldianis* in IX. priora capita libri mei de ciuili prudentia nihil hactenus vel fando audiui: tantum abeſt vt eius argumenti quidquam viderim. Hactenus ſane exiſtimaui, nulla me parte ab iſthoc homine petitum, quam tacita ſugillatione in ſua ad Analyſin præfatione ad Lectorem.

* Ita quidem decebat. Sed Lioneus mox Briennæ Comitem ſupplantauit.

Quæ qualis ſit, facile eſt iudicatu. Quorum tu in literis meminiſti, eorum nihil hactenus intellexeram. Vbi videro, diſpiciam, quid ex re ſit futurum. Calumnias non moror; ſed ſolidas rationes.

Milleterium ** a *Sorbona* acri cenſura eſſe notatum, credebam iam notum tibi eſſe. Habetur illa, et quidem vibrata in librum *Milleterii* de Pace Eccleſiaſtica, ſub fines animaduerſionum *Andreæ Riueti* in Annotata *Grotii* ad *Caſſandrum*. *Milleterium* inuiſum eſſe Catholicis, h. e. iis omnibus, qui viuunt in communione Romanæ Eccle-

** De hoc homine multa narrat *Claudius Sarrauius Salmaſio* ſuo *Epiſtol. 52. 64. 81. 85. 86. 108. 110. 114. 118.* qua poſtrema obſeruat, ſcriptum *Milleterii*, quo cauſſas defectionis ſuæ, ne quem lateant, complexus ſit, licet in ſpeciem fucatæ pietatis compoſitum, *malignitatem* potius prodere. Quæ quoque Magni *Salmaſii* de eius pace eccleſiaſtica ſententia fuit, quamque *Andreæ Riueto* perſuadere itidem allaborauit, ſcripta ad eum longiſſima gallica epiſtola, quæ eſt in editis centeſima. De ſcriptis viri ceteris, quæ pleraque polemica ſunt, videatur *P. Baylius* et *Baylio* inſtructior Continuator *Memoriar. Niſeron. t. 41. p. 311. ſeq.*

clesiæ, vt tuo sensu vocem illam accipiam, non dixi, sed genuine Romanensibus, quales scilicet sunt Iesuitæ, et quos hic appellas Curiæ assentatores; qui vtinam sint pauci! Hi genuini Romanenses sunt; reliqui non item. His autem inuisas esse sententias *Milleterii*, ipsemet concedis. *Sorberii* libellus de Pace Ecclesiastica iungi solet libro *Samuelis Petiti* de iure Principum edicti Ecclesiæ quæsito, a *Sorberio* edito. Simulatam cum Romanensibus communionem *Sorberio* et *Milleterio* quid ni obiicere liceat? cum vtique non minus atque nos detestentur illi Curiæ Romanæ placita Monarchica (Curiæ, inquam, ipsiusmet; non adulatorum: ceu liquide ostendi præfatione in Electionem Alexandri, et agnouit vltro *Erbermannus*. Ne alia nunc tangam) et tamen a communione illius Curiæ non abstineant. Nec enim hæc communio potest esse vere ex animo. Fucata itaque tantum est, et simulata externa reuerentia. Qui illa, quæ abs me in hanc sententiam in *Concussionis* capite tertio, in Præfatione item ad Cassandrum, aut Conclaue Alexandri disputata sunt, vel aggressus sit confutare, hactenus prodiit nemo, approbantibus illa assensu suo ipsismet meis illis aduersariis, *Valeriano*, *Hauuoldo* et *Er-*

ber-

bermanno. Vt mutem igitur, nihil hactenus me mouere potuit. Si quis Apodictices peritus, citra conuitia, et obseruatis Logicæ artis legibus, *Concussionem* meam euertere tentauerit, libenter a me audietur: nihil enim mihi veritatis indagatione acceptius. Si quem talem possis excutere, rem facturus es longe gratissimam. Reddo literas *Ogerii.* Didici inde non sine voluptate, quam parum curent doctissimi quique Gallorum tyrannicas Pontificum prohibitiones. Laudo. Hactenus sane non Romanenses, sed nostri sunt. Quæso fac, vt confutatis iis, quæ tertio capite *Concussionis* disputantur, quis accurate doceat, posse communionem cum Romana Curia obseruari, improbata illa Romanæ Curiæ tyrannide. Fateor enim, me non capere. De Anglicano illo opere Critico in Sanctam Scripturam hactenus nihil inaudiueram. Tomi Conciliorum an noua editione possint auctiores prodire, docebit dies. Saltem vtique meliora et potiora Conciliorum decreta iam habemus. *Holstenii* obitum ægre fero. Fuit vir Græce Latineque doctissimus, nec leuiter in Philosophorum scriptis versatus. Optem abs te doceri, quænam eius adhuc supersint anecdota, quibus non nisi præfationes deesse *Blumius* memorat,

CLXV.

Boineburgius ſecus geſta indicari ſibi petit, *Lionei* imaginem depingit, variorum auctorum ſcripta diiudicat, et *Concuſſioni* Conringianæ male ominatur.

Moguntiæ d. 30. Mart. 1661.

Craſtini redire equidem paro Francofurtum. Nolo tamen hanc diem tranſmittere, quin eapſe, qua tuas accepi, iiſdem reſpondeam. Verum eſt quod quereris, pleroſque noſtrates minus commode ſe geſſiſſe circa negotium Comitiorum. Reliquis fortiorem vtique ſe præbuit Dux *Neoburgicus*, ſibi ſemper vbique ſimilis in conſiliis pro Ordinum dignitate Vir. In noſtra reſponſione quid deſiderent quidam, vix eſt vt aſſequar. Mitibus verbis rem ſatis arduam et atrocem vrgemus; actione continenter exprimimus, nil remiſſuri, ſi tantundem ſtabilitatis in cetero numero reperimus, quantum *hypercritices*. Quæſo, nota pauculis, ecqua ratione exiſtiment homines noſtro reſponſo pluſculum roboris conciliatum oportuiſſe. Ego in ſinu lætor, Deoque gratiam immortalem deberi agnoſco, quod ſui nos Numinis benignitate vſque adeo erigit, vt Imperii incolumitati non male proſpiciatur. Vltra modum intendere auſa, ſcio,

ſcio, ciuilis ſapientiæ et omnis moderationis normæ parum congruens, neque tuæ mentis eſſe, vtpote qui etiam in tranſlationis opere indulgentem æquo te videaris exhibere. *Mazarini* deceſſu res in Gallia nil mutatæ hactenus ſunt. Rex regere negotia ipſe orſus eſt feliciter, *Lionco* exoticis in ſolidum concreditis. Rationarium regiminis a prudentiſſimo Cardinale ſuſcepit, pronus in eamdem agendi ex pari fundamento rationem *.

Probæ

* Editus eſt anno 1667. libellus inſcriptus: *Les Pourtraicts de la Cour pour le preſent, c'eſt à dire du Roy, des Princes et des Miniſtres d'Eſtat et autres:* quo *p. 87.* de Hugone Lioneo hæc habentur: *Il eſt de famille noble et a eſté premierement Secretaire de la Reyne Mere, et quand elle fut Regente, il s'avança dans les affaires d'Eſtat de ce Royaume, et Monſieur le Cardinal* (Mazarin) *en mourant le recommenda particulierement au Roy pour ce Sujet. Il eſt un des plus prudens de l'Europe et celuy qui a le plus de froid et de fermeté de l'eſprit - Il a êté depuis Ambaſſadeur avec M. le Marechal de Grammont en Allemagne, et on peut dire que les deux plus adroits et plus ſages* (rafinés) *Politiques de France eſtoient pour lors enſemble à partager cette illuſtre nego-*

Probæ indolis eſt ac *generoſo incoctus Honeſto;* iudicio paullatim maturiore, quam præſentiore inge-

negociation (et à mettre la diviſion entre les Electeurs). *Il eſt fort homme de bien et de conſcience, et ne ſe veut ſervir d'aucune perſonne, qui ne ſoit vertueuſe et bonne; quoy qu'il ayt eu le malheur ces jours paſſés d'avoir dans ſa maiſon un Traiſtre et infidel à ſon Maiſtre, au Roy et à l'Eſtat: mais il avoit eſté choiſi par un de ſes Commis, et non pas par luy même, et ayant decouvert que ſon ſecret ſe produiſoit aux Ambaſſadeurs eſtrangers, il l'a fait chaſtier ſelon ſes merites après l'avoir fait avouer, qu'il ne luy avoit jamais parlé.* Hiſce intelligendis inſeruiet fortaſſis alius libellus, inſcriptus: *Memoires de Monſieur de Lyonne au Roy, interceptez par ceux de la Garniſon de Lille la Campagne paſſée, le Sr. Heron Courier du Cabinet les portant de l'Armée à Paris 1668.* qui libellus inſertus eſt etiam *Parti XVI. Diarii Europæi.* Pergit pictor noſter: *Il aime la vertu et la ſcience; eſt doux, affable et d'un abord agreable, d'une exacte fidelité pour les affaires du Roy. Et quoyqu'il ſoit Secretaire d'Eſtat pour les affaires eſtrangeres, qu'il entend mieux que perſonne du Royaume, il eſt pourtant preferé à tout autre dans le Teſtament de*

genio: constans in recto, neque suæ gentis vitio sui vnquam mutator. Domi omnia sat bene composita atque pacata sunt. *Condæus*, allectus concilio Rei militaris iuxta cum Turennio, quietus est. Aulæ minutas tricas, si quas pariet hic status, facile explicatum iri reor. *Machiauellica* tua necdum vidi, neque memini, cui ea tradidisti, eum antehac videre. *Grauellum* indies exspecto. Literæ eius postremæ ferunt, festinari eius ad nos reditionem plus solito. Et opus quoque est ipso præsente. Elogium bibliothecæ Augustæ sitibundus exspecto: tum ciuilem denique prudentiam, cuius nos exspectatione tamdiu enecas.

---

de Monsieur le Cardinal pour donner instruction au Roy de toutes les affaires de Lorraine avec le Duc Charles, *qui est un des plus fins et de plus adroits de ce siecle, et ce fut luy que ce Duc dit qu'il faisoit bon traicter avec luy, mais que cela ne dureroit que trois jours. Il prit l'occasion de sa parole, et fit reussir la chose ainsi que l'on sçait par le traicté signé de part et d'autre.* Scilicet iam tum Galli inhiauerant Lotharingiæ, eamque, cum ferro nonpossent, certis pactis regno adiungendam censuerant, de quibus duumuiri nostri suo loco et tempore pariter disputabunt.

eas. Cuinam ea iam, vita functo omnium Status Ministrorum nuper Magistro, dicabitur? Quidni nemini? Nemo namque illi par hodie superest: nemo pari redhostimento erit gratus. *Lampadiana* Serenissimo *Augusto*, forti Rei Germanicæ Statori, inscribi merentur. Saluberrimum operæ pretium libro eo cum notationibus edendo facis. Id genus enim libellus exstat nullus, et si qui exstant, per sunt mendosi, fulturis nixi ficulneis et experientiæ aduersis. *Hippolyti* non malus esset, si vacaret malis, quæ ipsum reddunt infamem, tum et nisi hypotheses supponeret quasdam politicas supra modum liberales. *Feldii* aliqua in IX. priora capita ciuilis prudentiæ nuper legi Francofurti, prolixa equidem, quæ commodato nactus eram ab *Spechanio* quodam, qui filii *Scheferi* ductu mihi innotuit. *Sorbonæ* in *Milleterium* censura, ab *Andrea Riueto* suo libello subiuncta, edita fuit ante illius conuersionem **. Pridem eam legi. Optem lecta tibi eius omnia. Non inde nil ad te frugis pertineret. Si qui præter catholica fidei dogmata ostentant res alias pari

** Et quidem a Syndico solo, quod *Milleterius* iactabat, conscripta. Vid. *Baylius* voc. *Milletiere* lit. *F.*

religione amplectendas, non ii ſane ſunt genuini Catholici, ſed Zelotæ ſine prudentia. His non *Milleterius* modo, ſed et complures ipſo maiores diſplicent; perinde vt *Calixtus*, olim *Melanchton*, et alii ceteris Proteſtantium, cumprimis *Caluinianis*, multa calumnia colaphizantibus immerentes, ſeque meliores. His tamen, quotquot ineptias Witebergæ et reliquæ veſtratium turbæ probare abnuitis, nihilo inefficacius vos creditis fidei ſalutaris communione concorpores. Quid vero arbitrer hac ſuper re, proxime pandam. Neque *Concuſſio* illa tua impune feret ſuam inclementiam. Cui enim bono tantum Sedis Romanæ odium, quæ plus in nos boni contulit, quam vt tot inceſſenda ſit opprobriis? *Sorberii* non eſt is libellus pro eccleſiæ pace, ſed ipſius *Petiti*, cuius opuſculo de iure Chriſtianis per principum edicta quæſito ſubiectus eſt. *Ogerius* tui amans eſt, quin obſeruans etiam. Multus mihi cum ipſo in Gallia ſermo de tuis plane eximiis in eruditione vniuerſa laboribus. De Anglico in S. Scripturam opere ſane plæclaro propediem ſubmittam *Hottingeri* diatriben lectu digniſſimam. Si quid putes Conciliorum editioni adiungi poſſe, et quid in recuſione eorum obſeruandum cenſeas,

ob-

obſecro mone. Scribam de iis, quocunque modo voles, ſiue tuo auſpicio, ſeu meopte ſolum nomine, ad amicos in Galliam, qui talium ſunt appetentes. *Holſteniana* inedita vbi Roma accepero, tibi ſignificabo continuo. Sed cogor hic finire. Francofurto plura fortaſſis, ſuppeditante tum quoque vberiore de publicis argumento. Vale, carum et incomparabile caput! meque ama porro. Mitto hic leſſum in manes *Freinſhemii*, acceptum Argentorato a *Bœclero*. Eſt oratio bene latina, neque inamœna ob fœtus ineditos.

CLXVI.

Idem expetit, vt *Conringio* internuntio *Titius*, Theologus Helmſtadienſis, opus vnionis adgrediatur, ipſeque initium faciens oſtendit, quæ tale quid tentantibus præiudicia abiicienda ſint.

Moguntiæ d. 31. Mart. 1661.

Heſternis addo pauca. Scriptum ante omnia, quod ex officina immanis, quicum *Bœclero* male conuenit, laudatoris * recens prodiit. Debeo ti-

* *Io. Friſchmannum* intelligit, hominem turbulentum et complurium ſcriptorum ſatyricorum auctorem, qui reſidens apud Argentora-

tibi interdum eiusmodi rependere in qualecunque tandem gratitudinis auctoramentum pro transmissis tot tuis bonæ frugis plenis in ciuili argumento lucubrationibus. Dum desit mihi aliud luculentius ac vnctius quid; spero, te paruo hoc contentum fore, et animi mei inde prolixitatem duntaxat agnitum iri. *Frischmanni* hæ cartæ vel hoc nomine mihi non iniucundæ spectatu apparent, quod temporis haut illætabilis, et quod tot arduas orbi paces progenuit, memoriam et imitamina repræsentant, et in versus colligunt subrusticos pacificæ innocentiæ inaffectatam simplicitatem. Vtinam et Christianis in fidei dogmatis sua quoque redeat consensio, tranquillitas atque dilectio! Sed Vestrates in eam tam parum videntur propendere,

toratenses Regis Galliæ legatus dici gaudet, profundæ homo mentis, et quem æque morosum ac prudentem ex facie coniicias, iudice *Pruschenckio* apud *Struv. Act. liter. t. 1. fasc. 8. p. 70.* Simultatum eius cum *Bæclero* exercitarum caussa et origo panditur *collect. libr. rarior. t. 1. p. 243.* in notis ad *notitiam gentis Burrorum*, quam tamen non a *Frischmanno*, sed a *Berneggero* filio editam fuisse probat sæpius laudatus nobis Auctor *histor. biblioth. Augustæ p. 202.*

dere, vt ſpes de illa omni ſit in præcipiti, vel penitus decollet. Nolunt enim anquiri in germanas et genuinas ſuæ ſeceſſionis cauſſas, conuenienteſque medelas. Nec *Spanhemius*, vir cetera ingenioſus et pereruditus, neque *Hulſemannus* veſtras, huic commentationi vel per literas, nedum coram, admoliri mentem volunt. Si forte *Titius* a ſua facilitate impetrare ſuſtineat, vt ſalubrem iſtanc operam chriſtianiſmo catholico vna enauare deſtinaturus ſit; obſecro, id ſignifica. Faxo, vt vir pius, prudens, doctus et moderatiſſimus ** cum illo communionem epiſtolarem me internuncio inſtituat, quocumque modo et ordine volet. Tantum autem tibi eſſe otii et a politicis laboribus, quibus nos omnes feliciſſime erudis, et a publicis, quos Sereniſſimo tuo et Germaniæ vniuerſæ debes, nec credo, nec velim. Si tamen proxenetes et conciliator illic tu operis huius vtiliſſimi eſſe ſuſceperis, perinde ac ego hic, ſi ita me finis, facere occupo; poteris tum et facillime et vbere cum fructu tuas præclarus cogitationes in literis ad me capitali negotio colluſtrando atque

** *Petrum Walenburchium* de quo mox pluin mente habet, ra.

compendifaciendo impertiri et commodare. Caueamus vero vtrobique, ne dissimulentur postrema partium et recentissima argumenta, neue vnus alteri impingamus denuo multotiens dudum diluta. Prope animum aduortamus, quo legitima et veterum Christianorum mori et rectæ rationi consentanea sit disputatio. Qua fini plurimum, imo vnice, conducit, qualis in te excellens et summa est, vera philosophia et Antiquitatis sacræque Historiæ solito curatior intelligentia non modo, sed et multus iurisprudentiæ vsus. Ad mutuas enim demonstrationes atque probationes quid accommodum magis, quid aptius, quid comparatius? Nolimus quoque probris nos mutuis diuerberare, quæ a priuatorum vel dictis vel factis descendunt, quæ sectam, non doctrinam, in qua salutem sibi quisque sperat, constituunt, quæ per rerum humanarum volubilitatem ac vicissitudinem ne quidem vel mentis commentatione fingi alia possunt. Cui bono exprobare reciproca animositate vnum alteri simulationes, verbera conscientiæ, fiduciam in mundi vanitatibus! Qui Luteranum Luteranus articulum, a symbolicis vestris libris et Theologis plerisque omnibus traditum et salutis dogmatibus accensitum de vbiquitate Humanitatis Christi, quem *Calixtus*, senex

nex vtique cordatiſſimus, illaudabilem vocabat; Qui Caluinianum Caluiniſta de abſoluto reprobationis decreto inficiatur: num, ſodes, is ideo non ſinitur vel quit perſtare in Fidei et Eccleſiæ vel Lutericæ vel Reformatæ communione? Ecquis veſtrum, de erectioribus animabus loquor, approbat inconſiderata et incondita *Luteri* effata? *Formulæ*, quam appellant, *Concordiæ* definitiones, magnam ſui partem Vobismet ipſis inacceptas, quæque vnis alteriſue inter altercationes, quibus non caretis, excidere ſolita? Quis probi ac ſani cetera ſenſus Caluinicola admittit omnia *Caluini*, *Bezæ*, *Buchanani*, *Puritanorum*, *Independentium* aliorumque licentioſiora dogmata! Quotuſquiſque Proteſtantium, nempe bonorum, cuiuſmodi pleroſque eſſe reor, comprobat *Indifferentiſtas* et *Atheiſtas*, quibus et veſtri cœtus abundant, vtpote per omnem promiſcue partem veris Vbiquiſtis? Annon in Caluinianis reperti, qui Dordracenas quoque ſententias acri cenſura perſtringerent? Illine proinde communicare in fide cum ſuo grege non debent? Quid ſimulati heic eſt, dummodo in iis plene conueniatur, quæ vnanimitate perpetua, ſi qua in ſegregum turba eſt, ceu creditu, ſperatu, factu ad æternam bea-

titudinem necessaria habentur? Quid de Apostolicae Sedis *suprematu*, et in rebus *indecisiuis* auctoritate falli nescia, reapse Ecclesia Catholica, ab omnibus Sectis hoc nomine, hic concordibus, cetera discordissimis, irreconciliabiliter oppugnata, sentiat, bene nosti, si nosse velles. Si etiam adduci posses, vt, debita *Catholicorum* nostrorum dogmatum et *Theologicorum* sub distinctis notionibus adhibita discretione, rem omnem sincere et procul studio partium, perosus tandem ferale schisma, paullo vnitatis a Christo imperatae omnibus cupientior, ad animum reuocare velles; non posset, scio, quin gratia S. Spiritus illucente, pro egregia tua prudentia et perspicacitate cetera, facile esses et plene assecuturus cuncta inania molimina tuae illius superciliosae *Concussionis*, quam, quia ita vis, vt morem tibi geram, faxo adhuc alii elidant. Etsi enim iam tum satis sit vniuersum illius machinamentum a diuersis discussum et profligatum; expedit tamen, vnam rem diuersimode et nouo semper illustramentorum genere explanare, et falsum multis modis euertere, veritatemque ab eius offuciis vindicare, quae non potest vnquam satis defendi. Non desit copia virorum in Ecclesia, qui optime sciant demon-

monſtrationum Euclidearum, Ariſtotelicarum et aliarum omnium, vndecunque accerſantur, vim, pro diuerſo rerum habitu, et diffringere, et ſuam in rem viciſſim eiibrare. Hi docebunt te tuosque in religione conſecraneos artem dinoſcendi Catholica a Theologicis; Fundamentalia a Scholaſticis; vera a veriſimilibus; hæretica a tolerabilibus. Eam tamen nec male *Grotius* quoque oſtendit aureolis ſuis libellis, cumprimis poſthumo, cui nomen inditum, *Diſcuſſio Apologetici Riuetiani.* Quæſo, annon *Grotio* tantundem confidi poteſt, quantum *Luthero*, homini, vtut non indocto, at multæ labi obnoxio, quam in ipſo ſancti et prudentes viri, et ipſiſſimi quandoque ſectarum concionatores animaduerterunt? An non perinde fidendum *Eraſmo*, *Caſſandro*, *Franciſco Balduino*, *Wicelio* tuo, ipſi *Paulo Seruitæ*, *Marcantonio* de *Dominis*, *Ioanni Barclaio*, aliis innumeris, in omni parte doctrinæ verſatiſſimis, qui in vnitate Catholica Sedi Romanæ concorpores mori maluerunt, quam nouandi opificibus in ſchiſmatis diſcrimine aſſentiri? Ante omnia velim, ſi Gallice ſcitis, *Perronii* et *Riceliaci* Cardinalium; *Veronii* item in quibuſdam; tum *Milleterii* libros, nec non nuperam *Sorberii* pro ſui conuer-

 ſio-

ſione dlatribam, legi; *Belleii* item, *Walenburchii* denique. Vel ex hiſce ſolis abunde cognituri eſtis, an nos feriant tela, quæ in Eccleſiam et S. Sedem tam vehementer contortum itis. Cardinalis *Pallauicini* Tridentina breui Latine editum iri ſpes eſt. Qui Italice non ſatis ſcientes ſunt, affatim tunc inuenient, quod expendant. Quanquam forſan nec admodum neceſſe eſt, noſtrates vobis Doctores commendare, cum pleraque noſtra vel ipſi ſchiſmatici inter ſe collisi, nunquam ſibi quicquam lucrati, ſed eccleſiæ armis veritatem tuiti, ſupra quam dici poteſt, luculente propugnauerint; prout diuinam inter *epiſcopum* ac *preſbyterum* differentiam, et omnem hierarchiæ oiconomiam nobis euictam dedere Angli pſeudepiſcopi, et præ omnibus optime *Hammondus*, laruatus preſbyter, contra *Blondellum* et naſutum *Salmaſium*; etſi ille primatum ex iure vetuſtiſſimo eccleſiaſtico: diuinum ſaltem diffitetur: laborioſiſſime et ad oculum monſtrauerit. Ieſuitas faſtidis. Laudarem alias *Erbermanni* Anti-Ameſium, vbi de regimine Eccleſiæ non male diſſerit contra *Ameſium*, modiciſſimum Philoſophum et mendoſiſſimum Analyticum. Quæ de Papæ auctoritate in temporalibus diſputat, ea in medium

um relinquo. Non enim ſpectant fidem, neque credi iuſta; ſolentque accurate et ab ipſis Catholicis intra verum modum incuſtodite dicta quorundam limitari, neque ignota ſunt ſcripta in id quorundam Anglorum Catholicorum, Gallorum, Venetorum, Germanorum; quin nec in Siculis, et in media Hiſpania deſunt, qui hic nihil niſi moderabile ſuadeant. In Scotis quid Barclaiorum fama clarius? Ipſa Roma inſurrexit contra *Carerium* et *Martham*, papalis Imperii nimios amplificatores. Nota eſt quoque Luſitanorum circa hoc negotium opinio; Polonorum item, Hybernorum quorundam, et aliorum Catholicorum, qui ne *Bellarmini* quidem, viri cetera ſanctiſſimi, moderatiorem ſolito creditam ſententiam ferre poſſunt. Sed abrumpo filum, non dubitans, quin ſis admiraturus tuorum Comproteſtantium heſterni *Abrami Freinſhemii* et *Friſchmanni* venerationes, et, ſi veſtris hominibus nouis creditur, idololatricas adorationes, quibus ille *Ioannem Freinſhemium*; hic Reginam Francorum colit. Dolendum, eos, qui tam adulatoriis *Aue et ſalue Regina* vocibus mortales, nulla celſa virtute præcellentes, aut æterno Numini gratos, ſingulari nomine tantis laudibus atque adeo teneris mactant allocutionibus, eos ipſos, dolendum eſt, inquam,

quam, vertigine quasi et vaecordi indignatione agitari, quando DEIPARÆ VIRGINI ac Triumphanti in coelis Ecclesiæ congruens honos impenditur. Nihilo fortiores sunt vestri in abusus cum horum cultuum, tum aliarum rerum, clamores. Nemo magis in illos inuehitur ipsa Ecclesia, quæ per Concilia oicumenica Episcopis singulis imponit peculiarem de talibus procurationem, quæ quod minus curate proficit, non Catholicæ ecclesiæ, sed hominum oscitantiæ adscribendum est. Anomalias etiam varias et aberrationes circa illa obseruat prudentissime *Theophilus Raynaudus* suis in Heteroclitis. Vnum addo. Omnia forent in vado, et extra omnem litigii aleam, si Catholicorum sensus, cultus, vsus recte intelligerentur ab iis, qui eos vitilitigant. Totius rei cardo in vera rerum controuerti coeptarum perspicientia atque cognitione præprimis vertitur. Plura molientem scribere manum ipse instans veredarii discessus sistit. Vale, vir Amplissime, et me, si merebor, ama.

CLXVII.

Conringius Machiauellica sua mittit *Boineburgio* ad *Lioneum* Parisios curanda, et necessitati Comitiorum insistit.

Helm-

Helmstad. d. 27. Mart. 1661.

Mitto exemplar *Machiauellicorum* meorum, ipsimet Illustrissimo *Lioneo* consecratum, idque tuæ curæ etiam atque etiam commendo. Nec vero dubito, haud grauatim hanc te curam susceptu-rum, cum vltro ea expetieris, nec habeam temere alium, qui id te rectius possit. Laudabis vero saltem conatus etiam meos, si ipsa forte opera laudem haud mereatur: vltra meritum enim commendari me nolim. Libello inclusi epistolam mea manu ad *Lioneum* exaratam, quam lectam poteris suo loco reponere. Domino *Grauellio* nihil nunc mitto, quoniam ille Francofurti exspectatur propediem. Visum enim est, in id vsque tempus et scriptionem literarum et libelli missionem differre. Quamuis enim ille etiam obtulerit suam operam in libelli ad *Lioneum* curatione, te vnum tamen laudatorem mihi nunc sufficere arbitror. Quid responsi tandem retulerit a Serenissimis Principibus meis Legatus Cæsarius, indubie iam vidisti. Sensisti vero simul, quam nostri illi optimi Principes longe generosius et prudentius indictionem Comitiorum vrserint, tanquam primam auxiliorum conditionem, quam est factum a quoquam Principum alio; illis etiam, qui vo-

lunt

lunt videri maxime ſtrenui in curanda Imperii ſalute aduerſus aulæ inſidias. Non dubito autem, Cæſareos haud indicturos Comitia, niſi extremo cogente periculo Turcici belli. Sed et vereor in vicinia motus ob Bremenſium inſolentiam, et vim Suecicam iam tum paratam. Qui ſi oriantur, non fortaſſis fuerit conſultum, auxiliis in Hungariam miſſis domi latera noſtra denudare. Faxit Deus, vt compoſitis rebus firma ſtet Germaniæ tranquillitas! A tranſlata Auguſtam *Deputatione* non equidem exſpecto Comitiorum maturationem, cuius ſcilicet vnicus cuneus eſt periculum a Turca ipſimet Cæſari imminens; dandum tamen ſaltem hoc fuit et Cæſari et Principibus aliis, ne videri poſſent iuſtam habere conquerendi cauſſam. Sed et caueri facile, niſi fallor, poterit, ne quid Auguſtæ detrimenti accipiat respublica. Vale.

CLXVIII.

Boineburgius auguratur, fore, vt Comitia habeantur.

Francofurti d. 13. April. 1661.

Accepi faſciculum, cui *Machiauellica* inditeras. Legi etiam quas *Lioneo* ſcripſiſti.

sti *. Curabo omnia diligenter cum proxima secura occasione, et faxo respondeat. Elogium Augustae bibliothecae in horas exspecto, vt et propediem librum exspectatissimum de ciuili prudentia. Auide quoque legam *catalogum lectionum* vestratium in proximum semestre. *Grauellus* nondum rediit, sed credo breui adfuturum. Responsum Ducum Brunsuicensium mihi summe placuit, et ipsi Eminentissimo Electori, qui, vt antehac scripsi, satius duxit conditionem translationi *deputationis* apponere, quam auxiliorum in Turcam promisso. Haec enim necessaria esse possunt sine Comitiis; illa careri potest denique, si mos patriae et Ordinum iura in saluo esse debent. Meo Principi ego nunquam suasi, nec vnquam suadebo vel minimam in illud heteroclitum translationis negotium consensionem, nisi vnico hoc casu nuper memorato, si nempe Comitiis dies praefinitus ante ac praedeterminatus fuerit, idque ita, vt simul omnis aulae elusio praecaueatur, et infinitae comperendinationi obex obdatur. Vbi autem animaduertimus, plerosque *deputatos* heic superstites etiam sine conditione Comi-

mi-

* Legemus et nos illico. Alia enim est ab his epistola, quae praefixa libro *Oper. t. 2. p. 981.*

mitiorum translationem illam, multiplicis mali parentem, malle; quod certe nunquam fore confidimus: tum erit tempus et nobis aduigilandi. Proxime plura. Interim abs te plura exspecto, tui sane amantissimus.

CLXIX.

Conringius ad *Hugonem Lioneum*, cum ei *Anti-Machiauellica* sua nuncupata transmitteret.

Illustrissime Domine.

Videt Illustrissima Excellentia Tua, quantam ego rem sim ausus. Si in eo peccatum, parata mihi excusatio a nominis et dignitatis Tuae splendore pariter et inusitata humanitate: quorum scilicet ille mouet quemuis ad cultum; haec etiam promittit fauorem ac beneuolentiam cultoribus. Sed fortasse non est fas quicquam sinistri suspicari, aut metuere. Eoque nec dubito, facturum Te, quod petii, nempe patrocinio Tuo et me, et consecratum libellum dignaturum, si lectionem eius et diiudicationem negotia publica haud permiserint. Quod si quid vicissim in commodum inclyti Gallorum Regni, aut in honorem Illustrissimae Excellentiae Tuae queat a me in posterum

pro-

proficisci, id numquam neglectum iri; sancte spondeo. Helmstadii Saxonum in Academia Iulia IV. Kal. April. cIↄ Iↄ C LXI.

CLXX.

Boineburgius mittit *Couringio Furstenbergii* epistolam Roma scriptam, et satyram in *Mazarinum* Cardinalem.

Moguntiae d. 18. April. 1661.

Iam demum hac ipsa vespera accipio missu *Bohnii* Animaduersiones tuas in Principem *Machiauelli.* Auide exspecto elogium Augustae bibliothecae, ac ciuilem prudentiam paullo post. Quae heri Roma accepi, ecce! tecum communico. Literas *Furstenbergii* * amanter reposco, si ita tibi videbitur. Iungo malignum elogium Cardinalium Eminentissimi. Si qua ei vera insunt, nostrum non est praestare. Auersamur autem merito dicax gentis eius ingenium, quam tantus Minister vtique reddidit gloriosam. *Grauellus* cis octiduum ad nos redibit. Publica mire confusa sunt,

* Harum quoque copiam facimus lectoribus nostris cum ob dignitatem scribentis et argumenti praestantiam, tum quod *Furstenbergius Boineburgium* adpellitet *cognatum* suum.

ſunt, potioribus ciuium ea negligentibus ſupra omnem exſpectationem. Vertigo mihi oboritur et mœror iuxta, quoties illorum ſubit animum recordatio. Neſcio, an non indies propior nobis immineat diuina Nemeſis, qui et pacem domi, et foris bellum vel temperare, vel adminiſtrare neſcimus. Vale, mi optime.

CLXXI.

Ferdinandus Furſtenbergius ſignificat *Boineburgio*, quæ ſcripta affecta *Lucas Holſtenius* reliquerit.

Romæ d. 2. April. 1661.

Illuſtriſſime Domine, Cognate obſeruandiſſime.

Ita eſt, maximum interitu *Lucæ Holſtenii* damnum fecerunt bonæ artes, et literæ Græcæ ac Latinæ. Ex operibus eius prælo typographico deſtinatis nonnulla ſcribenti in mentem veniunt, inter quæ ſunt *Stephanus de vrbibus*, et *Frontinus de aquæductibus*, emaculati ac doctiſſimis notis illuſtrati; *Anaſtaſius Bibliothecarius* certis locis emendatus et pluribus auctus; *vitæ multorum Pontificum* hactenus nunquam editæ; *Concilia Africana* collecta et ordine digeſta. His accedunt complura veterum *Platonicorum Philoſophorum* monumenta, aut nunquam publicata, aut

in

in latinum sermonem versa. Vltimam autem typothetæ manum exspectant luci publicæ proxima hæc eius opera: *Regulæ* veterum *monachorum*; *indiculus*, seu vetus *Formularium Summorum Pontificum*; *Concilia Romana*, quæ edenti mors manum iniecit. Pleraque autem hæc omnia Serenissimo Cardinali *Francisco Barberino* hæredi obuenerunt. Bibliothecam suam, exquisitissimis libris editis refertam, *P. P. Augustinianis* legauit, vsui publico exponendam. Eius catalogum nactus est *Blumius* noster, qui nullo eum negotio tecum poterit communicare, Moguntiam reuersus. De *Browerii* libro maximas tibi gratias ago, cuius etiam liberalitati imputabo fasciculum, *Lucæ Holstenio* inscriptum, sed, eo nunc defuncto, per *Blumium* nostrum mihi addictum. Si quid ex *Holstenii* operibus absolutum fuerit, curabo certo certius vt nanciscaris. Interea vale et me, vt facis, ama, Tui studiosissimum, *Ferdinandum Baronem de Furstenberg*.

CLXXII.

Conringius mittit initia elogii bibliothecæ Augustæ, *Mazarini* diuitias expilationem regni prodere autumat, et *Lioneo* se laudatum fuisse sperat.

Helmstad. d. 19. April. 1661.

Hoc ipſo momento quartas accipio. Etſi igitur propoſuiſſem ſilere tantiſper, donec integrum libellum de bibliotheca Auguſta mittere liceat; ne videar peccare ſilentio, muto conſilium, et in anteceſſum mitto plagulas hactenus excuſas libelli iſtius; quamuis ſperem, et reliquas intra dies decem circiter poſſe ſubſequi. Quae accipis, et ſcripta pariter, et edita ſunt hoc Aprili menſe, vt ſolent mea omnia eſſe extemporanea. Vtinam non diſpliceant! Videbis, prolixe initio a me actum de editione Indicis, quid ſcilicet eam impediat. Qua de re iam tum ex ſententia optimi Principis quaedam ſcripſi. Accipies vero breui, et quidem fortaſſis vbi meus libellus prodierit, ipſiuſmet Principis reſponſum ad tuas eodem de argumento, ne quid porro dubites de propenſiſſimo Principis ſtudio in iuuanda re literaria; tuto autem poſſis negatam Indicis editionem magnitudini eius adſcribere. *Furſtenbergii* literae, neſcio, dolorene me potius, an gaudio affecerint. Enimuero quae ſub praelo iam ſunt, proditura breui ſpero: quo nomine laetor. De reliquis autem, quamuis affectis et typographiae deſtinatis, propemodum deſpero, gnarus, quae ſit inuidiae et aemulationis violentia in animis Italorum. Indiculus

lus editorum *Allatii* placet; quamuis similes indiculos iam tum sæpius nobis ille dederit, non iniqua fortassis gloriæ cupidine. *Mazarini* opprobrium vtinam omni ex parte sit mendax! At vero immanis illa hæreditas nimium quantum videtur prodere Galliæ expilationem. De Regia tamen auctoritate illum optime esse meritum, nemo prudens negauerit. Reddam Furstenbergiana aliaque, vbi descripsero: nunc præ festinatione non vacat. Animaduersiones meas tandem aliquando curatas esse, gaudeo. Exspectabo proxime censuram tuam, et quidem procul omni affectu. Quod *Lionco* exemplar transmiseris, habeo gratias maximas: nec enim dubito, accessisse comitem tuam laudationem. Domino *Grauello* scribam, simul accepero aduenisse. Reipublicæ mala etiam me cruciant, tantus cum passim obtineat eius neglectus, aut stupida ignorantia. De hisce proxime vberius, vt et de aliis præcedentium literarum argumentis. Vale.

CLXXIII.

Boineburgius Legati Gallici reditum nuntiat, de rebus Imperii sollicitus.

Francofurti d. 10. Mai. 1661.

Plagulas praecedaneas cultiſſimi tui ſyntagmatis de Auguſta bibliotheca ſimul atque nactus ſum, continuo perlegi, idque ſumma cum voluptate, et mentis compendio ac hilaritudine. Omnia inibi per mihi placent pariter, ac politicae in principem *Machiauelli* notationes. De ciuili prudentia, quaeſo, ne nos diuturniore exſpectatione affligas. *Grauellus* rediit. De publicis rebus multum ſcribi poſſet, et nihil ſcribere fortaſſean expedit. Procliuis enim iudicationis circa illas eſt lapſus hodie, patetque is ſtatim in ſequiores complurium interpretationes. Comitia auerſantur Viennae adhuc plus, quam antehac vnquam. Qua vel veroſimilitudine tantam auerſionem quiſquam excuſare ſuſtineat, non video. Eminentiſſimus Elector in eo eſt, vt Moguntiam nunc reuertatur. Deus eum, et omnes ceteros, bene pro patria animatos, clementer ſeruet et corroboret, quo vigilent vnanimi prouidentia coniunctim, ne ex tricoſis hiſce rerum, quas et aula et eius aſſentatores in medio Ordinum choro efficiunt, confuſionibus res et pax publica detrimentum faciant. Vale, vir optime, meque tuis et libris et literis frequenter erudi. De publicorum negotiorum tenore et nexu hodierno plura fuſius proxime. Nihil

hil illorum tritura intricatius modo eſt. Deus nos in conſiliorum veritate tueatur, atque indiſſolubili vinculo perpetuoque confœderet!

CLXXIV.

Idem promiſſa *Conringii* ſcripta vrget, in primis Lampadiana, et Suareſii libellum ei mittit.

Moguntiæ d. 13. Mai. 1661.

Tempus per mihi graue id omne eſt, quod me ſuſpendit, quo minus reliquum epiſtolæ tuæ de bibliotheca Auguſta ſatis celeriter nanciſci ſinar. Succenſeo multum hoc nomine operis, et tuam et meam honeſtam cupiditatem hancce nimis diu ſufflaminantibus. De ciuili prudentia parco plura perdere verba. Quod in *Lampadii* libellum conſcripſiſti, id vero vt edere feſtines, pene magis vrgeo, poſtuloque. Si legi poſſet, antequam prælo ſubdatur, putem profore laborem auctori. Forte moneri quædam cum fructu et editionis compendio poſſent. Nihil facilius, quam mitti per Sereniſſimi *Auguſti* quandoque Francofurtum commeantes equites. Mitto heic libellum *Ioſephi Mariæ Suareſii* * non diſplici-

 tu-

* Hic eſt ille *Suareſius*, Vaſionis in Comitatu Aueniononenſi Epiſcopus, ad quem anno 1653

turum. Venit iam fortuito in mentem commentarioli tui de successionibus scriptorum, qui per singula secula monumentis, quae superant hodieque, inclaruerunt. Egregium studii pretium feceris, si publices. Cogita, quaeso, hac de re, et illius telam detexe, orsus ab ouo, puta a primis initiis seculi ad Christum, indeque huc vsque. Forte in eam rem symbolae quid confert hic libellus *Suaresianus*; tum *Spicelius* Sinensium re literaria, *Lambecius*, *Labbeus*, *Voetius*, *Hottingerus*, *Allatius*, quos tu melius nosti, quam ego, et quisquam alius. Sed abrumpo. Vale, vir amicissime!

CLXXV.

Conringius euersionem Imperii moliri eos putat, qui Comitia, quo minus cogantur, impediunt.

Wolffembutteli d. 6. Mai. 1661.

Quoniam placuerunt primae octo plagulae libelli de bibliotheca Augusta, ne desiderium tuum morer, addo iam decem alias. Proxime sequentur

1653. *Samuel Sorbierius* religionis mutandae caussa secesserat, adscito in confirmatione honoris ergo *Iosephi* nomine, teste *Graucrolio* in *vita Sorbierii*.

tur quinque reliquæ. Octodecim illas, vt extemporanea opera a me scriptæ sunt, ita edidi vno mense Aprili inter negotia et occupationes plurimas, vt videas, neutiquam me otiari. Hic aliquot dies nunc feriabor, dum et Serenissimi Principis, et eius Nepotuli recens geniti, Natalitia hilaria celebrabuntur. Simul venero Helmstadium, curabo libellum absolui. Creuit ille sub manu, quod pro dignitate Augustam non licuerit, nisi comparatione cum bibliothecis omnis æui illustrioribus instituta, commendare. Simplice autem *Epistolæ* titulo illum inscripsi, quod desperem, assequi me posse iustam gloriam Augustæ, ac proinde peccato iam faciliorem liceat veniam sperare, quam si ipso titulo *Elogium* promisissem. Si in rem sane præsentem venires, omnia laudibus meis maiora tute deprehenderes. Aulam Cæsaream vsque adeo abhorrere a Comitiis celebrandis, quam caussam aliam dixerimus, quam quod veterem Imperii formam cupiant aulici euersam, et plenam affectent Monarchiam. *Grauellii* reditus illis hominibus summe indubie est inuisus, vt nobis merito longe gratissimus. Ego propediem gratulabor reditum, vbi libellum de bibliotheca Augusta integrum mittere licuerit.

 Con-

Consilia Serenissimae Domus Principum meorum pro tutela pristini status, vt generosa sunt, ita tibi quoque placere arbitror. Deus illa porro fortunet, et in primis seruet nobis nostrum *Nestorem*, Principem vere incomparabilem!

CLXXVI.

Boineburgius anxium de re Germanica animum ostendit.

Aschaffenburgi d. 21. Mai. 1661.

Accepi iterum aliquot plagulas opusculi tui amoenissimi de bibliothecis, quod et ipsi Electori legendum tradidi. Confido, reliquas mox secuturas. Rogo, doceas me, quid rei sit ille index bibliothecae *Iacobi Godofredi*, et an lectio eius impetrari possit. *Grauellus* iam nobiscum heic ipsum triduum et vltra est. In omnibus ipsi ad votum respondetur, neque quicquam omittitur, quod quidem ad incolumitatem status communis et pacis publicum attineat. Obfirmauimus et ita durauimus animos, vt, quicquid insidiosa illa aulicorum turba vel conuitiis, vel minis, vel missu sui similium tentatura est, id omne, Deo fortunante, sit maxime in spongiam incubiturum. Feralis illa Translationis insania apud nos equidem du-

dudum euiluit. Scis autem, quomodo in talibus procedi poſſit. Abrumpendum filum tam noxiſium. Sed paulatim Comitia vnice vrgentur a nobis. Aula eorum eſt fugitans nunc plus, quam antehac vnquam. Quid ſibi his infamibus agendi rationibus velit, nemo intelligens ſufficit hariolari. Auxilia in Turcam expediuntur pro periculi præſente occurſu. Si lentum fuerit, perinde erit de illis; ſin ſubito inualeſcere pertimeſcatur, promiſſis vtique manendum eſt. In fœderis autem concilio de omnibus rebus iſtiuſmodi conlatio inſtituetur, ne quis cauſſam conquerendi habeat, et vt inuidia, quam merentur, delabatur demum in aulicos rerum nouarum cupidos, qui Turcicorum diſcriminum oſtentatione et ſe ipſos, et nos fallere ſummopere alloborant. Sed Deus viam inueniet, et patriam ſuis priſtinis, hoc eſt, legum tibicinibus fultam ſeruabit. Vale.

CLXXVII.

Conringius Suareſii libellum æque ac bibliothecam Auguſtam et Principis ſui conſilia laudat.

Helmſtad. d. 18. Mai. 1661.

Abiturienti mihi ante hoc octiduum Wolfenbut-

buttelo literæ tuæ cum opuſculo *Suareſii* oblatæ ſunt. Hoc momento curante optimo Principum accipio, quas *d. 11. Mai.* exaraſti. Vtraque epiſtola me delectat, quod intelligam, gratum tibi eſſe meum de Auguſta bibliotheca opuſculum. Id enim ita interpretor, nunc demum certiore te fide accepiſſe, quæ obſcurus rumor de bibliotheca iſthac, deque Principis inuſitatis virtutibus, hactenus vulgauerat; forte et quædam te didiciſſe, quæ ne per famam quidem allata erant: vt ſane vulgus hominum non capit tantæ bibliothecæ vim, et quantum requiratur ad tam excellentis operis ſtructuram, atque adeo quantus ſit eius conditor, Princeps vere admirabilis. Hoc octiduo per exercitia Academica vſque adeo fuerunt occupatæ operæ typographicæ, vt non niſi vnam plagulam queam addere; quanquam et altera ſub veſperam abſoluetur. Mitto vero hanc, ne deſiderium tuum morer, non dubitans tamen, ſaltem ſequente hebdomade omnibus Colophonem imponi poſſe. *Suareſii* opuſculum illo cumprimis nomine fuit acceptum, quod inde didicerim, fuiſſe illi in promptu Indices manuſcriptorum *Vaticanæ*, *Barberinæ*, *Sfortianæ*, *Mediceæ*, *Vrbinatenſis*, et

Venetæ

Venetæ bibliothecarum *, atque adeo ſpes mihi hinc nata ſit, poſſe illorum deſcriptionem Romæ impetrari. Quæſo vero, data occaſione Romæ cures certi aliquid tibi ſignificari, num illa mea ſpes vana ſit, nec ne. Peruelim ſane, Indices illos deſcriptos etiam in Auguſta Principis mei bibliotheca reperiri. Niſi fallor autem, omnium optime id reſcieris per *Furſtenbergium*, aut *Blumium*, aut *Leonem Allatium.* Rem vero gratiſſimam mihi feciſti Suareſiani opuſculi communicatione, vt et literis *Furſtenbergii* tranſmiſſis. Haſce nunc reddo, poſtquam in meum vſum deſcribi illas curaui. Hoc ſane mihi viſæ ſunt mereri, cum argumento, tum natiua elegantia. Multæ certe et amœnæ doctrinæ eſt *Furſtenbergius* ille, ** dignuſque adeo ſacro illo

* Ex his indiciis patet, *Suareſii* Diatribas duas, quarum prima vniuerſalis hiſtoriæ ſyntaxin ex auctoribus nondum editis exhibet, hic intelligi. Auctores autem iſti inediti paullo poſt integri corpori hiſtoriæ Byzantinæ fuerunt inſerti, obſeruante *Niſeronio t. 22. p. 300.*

** Per huiuſmodi encomia, in ſe vera, et per totum biennium continuata, veluti per cu-

lo Paberbornensi Principatu, modo non Coloniensis impediat. Ego illi optima et felicissima quæque ex animo precor, saltem doctrinæ caussa; quam tamen sine virtute comite non sperarim reperiri. Constanter a vobis bonum Imperii publicum, atque adeo et Comitia, in quibus Imperii salus vnice consistit, vrgeri gaudeo. Translationem *Deputationis* quantum opinor, desinent iam ipsimet Aulici mouere, vbi viderint, per illam gradum ad Comitia quæri. Vtinam pergant ordines reipublicæ curam serio agitare, et nihil nouarum rerum quærere! Quam vero ea in re, etiam ab Electoralibus nonnullis, cum oppressione totius Principum classis, peccetur, nouisti. Serenissimæ Principum meorum domus consilia erecta, mascula, prudentia, spero omnibus bonis, tibi saltem, non displicere posse. Indicem Bibliothecæ *Iac. Gothofredi* ipsemet habui, forte etiamnum habeo: nec tamen suo loco reperio.

CLXXVIII.

---

cuniculos viam sibi muniuit *Conringius* ad Principis notitiam et munificentiam, quippe qui et his et viri motus meritis, exeunte anno 1663. prior ad eum primas literas dedit, e quibus natum, quod anno 1694. *Corberus* vulgauit, bonæ frugis plenum literarium commercium.

CLXXVIII.

Boineburgius Machiauellica *Lioneo* grata futura credit æque ac sibi inscriptum elogium bibliothecæ Augustæ: quærens, cur *Honorato Fabri* nihil respondeatur.

Moguntiæ d. 25. Mai. 1661.

Eminentissimus Elector Herbipoli huc redux bene valet, et consiliis sanis rectisque vnice gaudet, quæ federatis suis placent. Comitia indies magis magisque vrget. Ipse quoque *Brandeburgicus* eadem iam incipit promotum ire. Si exemplaria paucula epistolæ de Augusta bibliotheca adipisci licet, Electori vnum dabo, vt valde cupienti. Iam legit plagulas quotquot misisti. Sed, mi amice, cur non mittis catalogum vestrarum semestralium lectionum laborumque? Permodicus est, adeoque mitti facilis. De Lampadianis tuis quid spei? Ciuilem prudentiam ne quidem porro memorabo. Ita fessi sumus tam longis eius exspectationibus. *Lioneus* nondum respondit ad acceptas politicas in Machiauellum animaduersiones, quæ ipsi procul dubio sunt acceptissimæ, eoque gratiores, quo Germaniæ nostræ pauciores talium supra vulgus intelligentes ob-

obligerunt hoc æuo. Quotus enim quisque scriptis inclaruit de hoc commate, si te et *Bæclerum* ac *Forstnerum* excipiam. Ceterum sæpe ex te sciтari propositum habui, quare *Honorati Fabri* libro, quem contra *indifferentissimum* ante quatuor annos edidit *, tamdiu parcant Vestrates dicere, alias abunde parati in omnes, qui placita sectarum explodunt. Sed semel pollicitus sum, me de religione stilum cohibere velle, ne te proritem, et bonas tuas horas, quæ publico eruditionis et reipublicæ bono impendi cum fructu possunt, corrumpam. Soles enim intolerans esse ac tener nimis, vt vix intacta ac inulta transmittas circa res fidei, quæ cuiquam apud te exciderunt. Sed calamum sisto nunc, teque rogo amantissime, vt mecum communicationem literariam benigne prosequare, studiaque liberalia, historica, politica, et reipublicæ salutaria tuo præclaro cultu illustrare pergas. Sane plurimum me tuis meritis aduinxisti nouoque vinculo, dum doctissimam atque grauissimam hancce de re bibliothecaria diatriben, omnibus doctis ex æquo charam æstimatissi.

* Inscriptum: *Vna fides vnius ecclesiæ Romanæ contra Indifferentes huius seculi. Dilingæ* 1657. 8.

tiſſimamque, indigno et immerenti meo nomini inſcribere voluiſti. Video enim vel hinc, me adhuc idoneum viſum, cui dicaretur opus tam vtile. Conabor viciſſim gratum meum animum reapſe declarare. Vale.

CLXXIX.

Conringius, promiſſo proxime libro de ciuili prudentia, ad Lampadiana perficienda ſubſidia flagitat, et quare *Honorato* nihil reſpondeatur, indicat.

Helmſtad. d. 22. Mai. 1661.

Ad literas tuas ne morer reſponſum, hoc ipſo momento, quo tuas accipio, hæc exaro. Mitto vero plagulas duas iterum epiſtolæ, et, quoniam offertur commoda occaſio, mitto ſimul exempla alia tria in vſum amicorum, propediem ſuppleturus defectum, ſimul per operas typographicas licuerit: paucula enim ſuperſunt imprimenda præter indiculum, ad plagulas circiter tres. Non eſt vero cur mihi agas gratias, quod in tuum nomen epiſtolam illam ediderim. Amo te et magni æſtimo tuo merito, eoque debet vtique amicitiæ noſtræ ſaltem tenue ſupereſſe monumentum ad poſteritatem. Fore autem et poſteritati haud

ingratum hoc opusculum, confido, saltem propter *Admiranda Augustæ*, siue potius *Augusti* Principis. Vtinam possis in rem præsentem venire, et coram videre, quæ nunc tantum audis! Eminentissimo Domino Electori placere opusculum, gaudeo. Multum enim merito tribuo censuræ Principis, cuius prudentia, candore, moderatione tranquillitas et salus Imperii ab interitu conseruatur. A feriis Pentecostes simul res domesticas, quarum curam aliquamdiu, dum publico inuigilo, seposui, nonnihil composuero, vltimam manum addam bono cum Deo libro de ciuili prudentia, sententiam dicturus de omnibus scriptis Græcis et Latinis, veteris ac nostri æui, quæ ad ciuilem parandam prudentiam faciunt. Inde demum progrediar ad *Lampadiana* annotata conscribenda; quamuis libellum quotidie binis lectionibus hodie illustrem. Rem gratissimam autem et simul vtilissimam feceris, si et ipse indicaueris, quæ, te iudice, vel perperam, vel non satis plene in Lampadiano libello sunt tradita, et alios ad similem curam excitaueris, quo in annotatis et caueam errores, et, quæ desunt, suppleam, meaque illa opera Imperio prosit rectius: vtut offensæ mihi fuerint ferendæ. Et vero video, mihi

dispu-

diſputandum etiam fore aduerſus Electoralem illam nouam Oligarchiam, quam, oppreſſa Principum reliquorum auctoritate., nonnulli hodie ſtruunt ſumma iniuria. Ad *Honorati Fabri* libellum non eſt quod a noſtris aliquid exſpectes: nec enim eſt tanti pretii, neque noſtros petit, quamuis *Calixti* nomen perſtringat; ſed potius te, et qui tecum ſentiunt, ſine ſchiſmate poſſe Pontificem Romanum non haberi pro Vicedeo, qualem ſeſe venditat. Hactenus ſane facit mecum. Ego quid ſentiam de ſperata Eccleſiæ concordia, qualem *Eraſmus*, *Wicelius* et *Caſſander* exſpectauerant, dixi ingenue et prolixe in præfatione ad *Caſſandrum.* Qualem tu moliaris, non ſatis aſſequor, niſi quod videaris cum *Walenburchiis* nonnihil conſpirare, qui, vt ingenue dicam, quod ſentio, videntur mihi cum ratione inſanire, eiurata ſcilicet priſca et vera et vnica veritatis quærendæ iudicandæque ratione, hoc eſt, Logica antiqua, ad nouas artes, ſed ineptas dilapſi, quæ tamen illis *Auguſtinianæ* appellantur. Sed tener nimis tibi videor, molliter ſcilicet habitus ab illis, quos excitaſti in me, moloſſis, *Valeriano*, *Haunoldo*, *Erbermanno*, et aliis. Tædet iam me illorum hominum; nihil mihi cum illis canibus in

posterum facile erit rei. Sacris tantum proximis diebus exarabo aliquid de dogmatibus Ecclesiæ Græcæ, obiter attacturus ridiculam illam Romanæ Ecclesiæ cum Græca perpetuam consensionem *Leonis Allatii.*

CLXXX.

Boineburgius significat, quid *Lioneus* scripserit.

Moguntiæ d. 1. Iun. 1661.

Lioneus d. 10. Maii Fontibellaquæo ad me hæc verba scribit: *J'ay receu la Lettre, dont il Vous a plu me favoriser du 24. du mois passé. Je tiens à tres grande gloire l'honneur que m'a voulu faire un aussi grand homme que l'est Monf.* Conringius, *en me dediant les Remarques, qu'il a données au public sur le Prince de Machiauel. Je veux croire, que c'est pour combattre les dangereuses Maximes de ce Florentin, et j'attend avec impatience de recevoir cet Ouvrage pour le devorer à le lire en quittant toutes affaires pour cela. Je n'en ay point d'autres nouvelles encor que l'Advis, que Vous m'en avez donné. Aussitôt que je l'auray reçu, j'en tsemoigneray ma Reconnoissance au dit Sieur* Conringius. *Cependant je Vous remercie de cette gloire que Vous avez eu la bonté de me pro-*

procurer. Hæc ſcribit Vir optimi animi. Cum hæc ſcriberet, nondum potuit accepiſſe libros ipſos, quos concredidi curandos *Oxio*, mercatori Francofurtenſi. Redditum eos iri, vel iam tum, non dubito, redditos eſſe *Heuſchio*, Argentario meo Pariſino, viro integro. Si qua porro compere-ro, reddam tibi perinde rationem. Ciuilis pru-dentia cuinam dicabitur? Ecquando reſponſum ve-niet ad meas priores de libris tuis?

CLXXXI.

Conringius ambigit, cui librum de ciuili pruden-dentia inſcripturus ſit, certus, quod non Cæſari; et quare?

Helmſt. prid. Kal. Iun. 1661.

Quæ ex literis *Lionei* excerpſiſti, perplacent.* plu-

* Supra *p. 402.* ſuam lin-guæ Gallicæ inſcitiam ingenue profeſſus eſt *Conringius.* Habuit autem conſalinos, qui Gallica ipſi literaliter latine reddebant, quæ lectu periucunda ſunt. Hinc valde con-turbatus fuit, cum *Col-berti*, et Theſaurarii, et Argentarii Francici primæ literæ Gallicæ adferebantur, doni pecuniarii annui initia deferentes. Quare ob hanc ipſam rem ami-cos in Gallia ſubinde rogauit, vt, ſi quid ſcri-berent, quod ad alio-rum conſcientiam per-uenire periculoſum fo-ret, latine ſcriberent, ne interprete egeret.

Plurimum certe tibi debeo pro conciliato tanti viri fauore. Non dubito vero, iam pridem recte curatas animaduersiones. Vtinam non fefellerint exspectationem! Mitto plagulas vltimas de bibliotheca Augusta, quibus hodie demum vltima manus adhibetur. Operæ me fecisse pretium iudicabo, si intellexero, serenissimi Principis mei inusitatos labores imposterum iusto pretio magis, quam antehac, in terrarum orbe æstimari, tibique probauero meum animum. Vtrumque enim mihi vnice fuit propositum. Post ferias Pentecostes, et vbi non nihil res domesticas composuero, statim aggrediar librum de ciuili prudentia. Incertus vero adhuc sum, cui debeam dedicare. Legatus Cæsareus nuper voluit persuadere, vti consecrarem ipsi Cæsari. Sed vereor tantum fastigium, simulque metuo vt sim acceptus, iam pridem scilicet ibi male audiens, fere ad tuum exemplum, quem videntur cane peius et angue odisse. Cogitaui de Electore Palatino, aut Administratore Magdeburgensi. Tuam sententiam et audio libenter, et sequor.

CLXXXII.

Boineburgius varia *Conringio* literaria narrat, potis-

tiſſimum ex Gallia, et de Profeſſoribus Academiæ Iuliæ celebrioribus iudicat.

Moguntiæ d. 6. Iun. 1661.

Tuæ d. 28. Mai. datæ redditæ mihi hodie ſunt vnacum plagula vna operis de bibliotheca. Id vtique ſummis modis me et delectat, et erudit, et exhilarat. Alterum de ciuili prudentia erit magis ſerium, adeoque voluptas, quam inde ſumus percepturi, erit alia; at vix maior limpidiorue. *Suaresii* opuſculum tibi gratum accidiſſe, gaudeo. Si qua eius viri plura accepero, eorum in partem te venturum, ne dubita. De indicibus MSS. Vaticanæ et reliquarum bibliothecarum, quos *Suareſius* legit, curabo, eoque nomine ſcribam *Allatio* et *Epiſcopo Paderbornenſi*, ſi is quidem Romæ adhuc eſt. *Blumius* rediit illinc Viennam, vbi iam moratur. Huc an et quando rediturus ſit, neſcio. Per enim eſt diu, ex quo nil ad me ſcripſit. Splendor Cæſareus ipſi arridet magis, quam Electoralis huius aulæ mediocritas, cum cuius conſiliis ipſius ſapientiæ videtur non conuenire. Sed hæc inter nos ſub ſide ſigilli. Dem tamen bonum tibi conſilium, vt de indicibus illis ipſi *Floro* indicium facias. Is quippe, qua eſt Romæ notitia, facilius il-

illos adipiſci et citius poterit. Solent enim, vt ſpero, hæ literarum amœnitates *Blumium* etiamnum oblectare. Vbi index *Iacobi Godofredi* in manus tuas reciderit, ſpero, eius me communicatione fines exhilareſcere. Lutetiæ quicquam a *Philippo Labbeo* editum de bibliothecis Galliæ, non memini; ſi qua occurrent, protinus habebis. Edidit iam illic *Silhonius*, notum in re politica illuſtranda nomen, librum ſub inſcriptione iſtac: *De la certitude des connoiſſances humaines, ou ſont particulierement expliquez les principes et les fondemens de la Morale et de la Politique, auec les obſeruations ſur la maniere de raiſonner par l'Aſſemblage de pluſieurs Moyens, confirmée par des exemples, et particulierement de la Religion Chreſtienne etc.* Num huius tituli menſuram impleat hic liber, tui iudicii facio. Vbi accepero, mittam. Sed quid ſuperat ſpei de *Lampadianis* tuis? de autoritate teſtimonii humani? de *Viotto* de demonſtratione et ſimilibus? De publico ſtatu nil ſuppetit memorandi quod ſcribam. Neque enim veſtri legati ſilent. Comitia vrgemus vnanimi vobiſcum conſenſione. Vtinam nec Electorii nonnulli a Principum Ordine, neque hi inter ſemet

met ipſos adeo diſſiderent! Quanta Rex Chriſtianiſſimus Eminentiſſimum Electorem fiducia dignetur, incluſum apographon teſtatur. * Eſt iam hic nobiſcum a Cæſare miſſus D. Comes *Strozzius*, qui in Angliam ituriebat; aſt retinere eum videtur pulcher nuncius de Angli connubio cum Luſitana. Ex Gallia hactenus nil noui accepi. *Ceriſier* Ieſuita Gallice reddidit *Auguſtinum de ciuitate Dei.* Dominus Epiſcopus *Godeau* pergit in ſua Gallica paraphraſi in ceterum Nouum Teſtamentum. Paulinas enim omnes fere abſoluit. *Eraſmicæ* paraphraſi, operi optimæ notæ, parum cedet. *Mercerius* Pariſiis mihi vendidit ſatis care Grotianum in Nouum Teſtamentum Commentarium, ſuprema autoris paullo ante ſuum in Suediam digreſſum, atque ſubſecutum mox ad meliora loca deceſſum, manu locupletatum et auctum. Videbo nunc, vbi edi poſſit. Hiſtoriam Francicam latiniſſime ſcripſit Ioannes *Buſſierius*, Ieſuita candidi pectoris, et cui *Thuanus* magni eſt, quod miremur, quatuor tomulis in 12mo. Pertingit ad Ludouicum hunc XIV. *Paulo Æmilio*

* Quod, quia facit ad Rerum Imperii illuſtrationem, ſubiicimus.

nihilo inferior; quin et maior, ni fallor. *Gramondum*, nimia Tacitanæ dictionis affectatione molestum, multis parasangis superat; imo et suæ classis facundos alios, quales in historica re sunt *Maffeius*, *Mariana*, *Tursellinus*, et, si per *Scioppium* licet, *Famianus Strada*. Nescio an videris *Comenii* laborem, quo *Sabondi* naturalem Theologiam contrahere in pauciora voluit ratiocinia, ratiocinator, quando ex suæ Caluinianæ tribus cerebro agit, valde labilis et debilis; cetera tamen haud spernendus. De eo et *Salmasii* postumo fœtu contra *Miltonium* quid, obsecro, censes? In ciuilium rerum iudicatione *Salmasius* parum valuisse videtur: sicut pauci vtique sunt in singulis gentibus, etsi cetera doctissimi, qui subacto et pleno sensu sint talibus in occursibus præditi. In Gallia, si quidem de iis loquendum seorsim sit, qui scriptis inclaruere, quotusquisque politices germanum ac genuinum gustum habuit, *Bodinum*, *Ludouicum* item *Regium* vbi exceperis, et hoc seculo *Naudæum* et *Silhonium*? In Italia *Maluezzius*, *Campanella*, *Claromontius*, *Septalius* aliquid sunt post *Machiauellum*. In Hispania inter politicos scriptores nomen quoddam merentur *Mariana*, non tam odioso libro de Institutio-

ne

ne Regis, quam altero de morbis suæ Societatis, quem illius esse liberaliter confitetur Cardinalis *Pallauicinus* in Vindicationibus suis; et *Eusebius Nierembergius*, Theopolitico: quanquam et is sit originetenus merito censendus in Germanis. Belgium olim *Lipsius*, *Erycius* deinde *Puteanus*, *Vernulæus*, *Chifletius* et politicorum et elegantiorum et historiæ studiorum cultu collustrarunt; vt *Scribanium* omittam. Batauiam *Boxhornius*, *Hornius* item, *Gronouius* denique, qui quiddam conatus dicitur in *Grotium* nostrum: pari forsan exitu, vt *Feldius*, acriorem *Graswinckelio* et diligentiorem meritus aduersarium. Germania talium scientes quosnam habet, si demamus te, *Bœclerum*, *Forstnerum*? *Arnisæum*, *Heidmannum*, *Caselium*, ceu nostro æuo superiores, præteruehor de industria. In Anglia *Verulamius*, *Hobbius*, tibi parum probatus, *Digbius* denique valent præ reliquis politicarum commentationum et explicatu et vsu. Lego in catalogo vestrate huius semestris æstiui, te diatriben moliri seorsim de optimis ciuilis studii auctoribus. Inde ominor, librum de ciuili prudentia nouas remoras pati, cuius alioqui pars debuit illa esse. Quæso, edoce me illas tui consilii toties summutati destinationes

nes ac fines. Forte breui in Galliam regrediar, Deo volente.

Cum voluptate perlegi exercitationum veſtratium academicarum ſyllabum, videoque in omni eruditionum variarum genere vos viros vobis conciliaſſe egregios. *Cellarius* vir eſt bene Philoſophus, et perſpicuus in docendo. *Titius* promto ingenio, et magnus veſtris Theologis futurus, vbi in Catholicos animoſius deſtomachari comperietur. Quod procul dubio non omittet facere in repetitione, quam meditatur, venuſtæ ſuæ Oſtenſionis. Iunior *Calixtus* parentis libris edendis bene meretur de vniuerſo eruditionis ſtatu. Auide geſtio videre *Apparatum*, cum amplis acceſſionibus recuſum. *Hildebrandi* ſtudia non parum placent, ſi moderatius Antiquitatis inueſtigationem perſequeretur. Quod ex *Caſaubono Horneius* ſenior ait[!], *Baronium* in illa vbique res Paparum amplificatum iuiſſe; idem contingere *Hildebrando* videtur, qui catholicæ eccleſiæ in veteribus monumentis nihil videt ſuo ſenſui aptatum; omnia illi aduertit ſcilicet contraria. *Meieri* induſtria perplacet. Videtur *Feldii* diſcipulus in Philoſophia et Matheſi fuiſſe: quod credo apparere vel ex ſola eius interpretatione *in VI. Nicomachicorum*.

Bi-

Bibliographiam eiusdem moralem, nempe Theologicam, impense desidero; non perperam suo loco opponendam Scheurlianæ Philosophicæ. *Habnius* vir iuris ciuilis intelligens, et solito amantior est ceteræ quoque doctrinæ, ad illius illustramentum facientis. *Eichelius* ei paria faciet, suum doctorem; ni fallor, *Conringium* nostrum, haud infelici æmulatu et imitamine insequens. *Voglerus* vtique satis prodit, se prodiisse ex tua officina, vir eximius et humanus. *Schraderus* antiquum tenet, natus factus ad scholæ gloriam, Latinitatis et humanitatis item omnimodum honestamentum ac decus. *Rachelius* denique multis modis antecellit *Scheurlio*, suo in professione Moralis Facultatis decessori. Fouendus hic vir et animandus ad maiora est, quibus omnino par est. Nobis profecto pares aut similes non sunt in studiorum omnis generis procuratione, et, si non desint præclara ingenia, sparguntur tamen in curas alias, vobis ignotas, nobis improficuas. Sed abrumpo filum, confidens fore, vt boni consulas hæc mea cogitata promiscua et deproperata. Nil enim te celare velim, gnarus, omnem hanc meam libertatem et sinceritatem

mi-

mihi in omnibus ſub tuæ prudentiæ ab benevolentiæ ſcuto fore ſemper innocuam et impræiudicialem.

CLXXXIII.

Lettre de Creance pour Mr. de Gravel, addreſſée à l'Electeur de Mayence.

Mon Couſin. Je renvoye à la Deputation de Francfort le Sr. de Gravel, *Conſeiller en mes conſeils d'Eſtat et privé, Commiſſaire general de mes trouppes ordonnées et entretenues pour l'alliance, pleinement informé de mes intentions ſur l'eſtat preſent des affaires, qui touchent la paix de l'Empire et les moyens de la maintenir, comme auſſi d'eſloigner de l'Allemagne la guerre, dont ſes frontieres ſont menacées par les Infidelles. Et comme en toutes ces choſes je ne deſire rien entreprendre qu'avec vos bons avis, ſçachant combien le repos de voſtre patrie et le bien commun de la Chreſtienté vous eſt à cœur; le principal point de l'inſtruction, que j'ay donné audit* Sr. de Gravel, *a eſté de ne faire aucune deſmarche en tout ce qu'il aura à negocier ſur ces matieres, que ſuivant vos ſentimens. Je vous prie donc, de ne les luy pas denier, et de prendre pour une marque certaine*

taine de l'estat que je fais de vostre intime amitié et de vostre haute prudence, la confidente maniere, dont je procede avec vous. J'attends les effects de l'une et de l'autre par vos bons conseils, pour y accommoder mes resolutions, Vous priant au surplus, de donner entiere creance au dit Sr. de Gravel *en ce qu'il vous dira de ma part: surtout quand il vous assurera de ma tres cordiale et sincere amitié, et de l'estime singuliere, que je fais de vostre merite. Et sur ce je prie Dieu qu'il vous ait, Mon Cousin, en sa saincte et digne garde. Ecrit à Paris le 16. jour d'Avril 1661.*

Louis.

de Lomenie. *

CLXXXIV.

Boineburgius Electorales prærogatiuas defendit, et inuitat *Conringium* ad literarium commercium cum

* Qualis hic et quantus vir fuerit, ostendunt *Memoires de Messire Henri Auguste de Lomenie, Comte de Brienne, Ministre et Premier Secretaire d'Etat, composés pour l'instruction de ses Enfans.* Habetur ibi gestorum in Aula Francica ab anno 1613. ad annum 1661. quorum ipse *Lomenius* pars magna fuit, succincta et candida narratio.

cum *Petro Walenburchio* instituendum de caussis secessionis ab Ecclesia Romana, eiusque remediis opportunioribus.

Francofurti d. 11. Iuni. 1661.

Tuæ d. 22. Maii datæ iam mihi redduntur vnacum binis plagulis et tribus exemplis operis laudatissimi de Augusta bibliotheca. Quæ restant, proxime exspectabo. Sane gratissimam rem mihi fecisti hac libelli tam omnibus placituri inscriptione. Serenissimo *Augusto* iam respondi pariter. Summa me gratia optimus Princeps cumulauit, dum suapte mihi manu gratiosissimas scribere literas voluit. Librum de ciuili prudentia non ego modo, sed ipse quoque Eminentissimus Elector impatientissime opperitur. Obsecro per omnia sacra, festina eum, et nos huius voti fac tandem compotes. *Lampadii* libellum relegam, et propediem monebo, si qua monenda sint. Contra Electoriam illam nouitatem nobis volentia dicturus es et grata, quo eam magis defricueris. Neque enim eam diligimus, nec e re nostra fore, si inolesceret, credimus. Ita tamen moderanda hic est iudicatio, ne etiam Electoribus suus, quo clarent, honos accidatur nimium. Præ ceteris enim quin exsplendescant in Reipublicæ quoque

pro-

procuratione, idque ex lege et more vſuque, non poteſt ambigi. De reliquis proxime ſcribam. Non autem capio ſatis, quei *Honoratus* eos petere exiſtimari queat, qui ſentiunt, ſine ſchiſmate non ſubſiſtere factos cœtus, abiecto Primatu. Eum enim Sedi Romanæ omnis antiquitas tribuit. Sine communione cum hac nemo vnquam Catholicus Chriſtianus agnitus fuit. De Concordia, qualem *Eraſmus*, *Wicelius*, *Caſſander* aliique ſperarunt, amplum, fateor, ſermonem nuper edidiſti; ſed in quo ſunt quæ expoſitione egeant. Quam ego exſpectem, duobus verbis eloquor. Nempe eam non deſperatum iri, ſi cum Clariſſimo et Reuerendiſſimo *Walenburchio* noſtro per litteras collationem, me internuncio, inſtituere velis de cauſſis veſtræ ſeparationis a catholica eccleſia, in quantum cum Sede Apoſtolica coniungitur. Cum qua quiſquis non facit, is extra arcam eſt, vt cum reliquis Patribus *S. Hieronymus* ait. Sane tutius eſt, illo in cœtu viuere et mori, qui illi connexus eſt, quam adiungi iis, qui nec inter ſe pacem, neque cum antiqua habent eccleſia. Iiſdem enim difficultatibus obnoxii ſunt, quibus veteres, quotquot a Sede Apoſtolica olim ſeceſſerunt. An S. *Auguſtino* vſurpata illa methodus,

cuiusmodi est *Walenburchica*, fuerit, necne, dispiciendum est in eius operibus; quorum testimonia abunde exhibet *Walenburchius:* cuius scripta vbi exactius legeris, scio, pro cetera tua sinceritate, iudicium quoque de ipso edes longe tolerabilius. Nouas artes, quales vobis fingitis, et ego auersor, vetere Logica contentus. Neque Walenburchicam disputandi viam adeo execraberis, si eius iteratam *Augustinianam* methodum legere volueris, vbi vestratium obiectionibus affatim respondetur. Mittet is libenter suos tibi libros, si voles. Magni enim te facit, et scio, tibi placiturum hominis ingenium, si cum eo coram agere vel semel posses. Quod temporis *Allatio* refellendo impertiri paras, id melius et vtilius Lampadianis et ceteris studiis impendis, si me audis. Si autem sacras controuersias porro tractare animus et destinatio est; age, commercio epistolico instituto, et in editionem futuram, si ita vis, comparato, cum *Walenburchio* materiam aggredere de caussis secessionis vestrarum tribuum, schismatisque tam multiplicis opportunioribus, quam qualia hactenus vel *Marcantonio* vel optimo *Grotio* occurrerunt, remediis. Profecto opus sic bonum facies, et viam sternes ad optimum cum republi-

publicæ tum vero præcipue Ecclesiæ statum. Deus te seruet et collustret cor tuum, vt tibi semper sit optime. Vale optime, optime et æstimatissime amice! Tuus ex toto pectore *I. C. LB. de Boineburg. Ioannes Pistorius* annon fuit vir doctus, Historicus etiam et Iurisconsultus et Medicus excellens? An ipsi vitio vertis, quod maluerit in communione mori cum Papa, quam incertis se nouitatibus committere, quarum vnæ alteras damnant? Ipsius fidem et religionem; tuam vero eruditionem maximi facio, maloque *Tertulliani* præscriptiones laudare cum Catholicis, quam vilipendere cum aliis; *Vincentii*que * regulas in rem conferre, quam voce tantum laudare.

CLXXXV.

---

* *Tertulliani præscriptiones* satis notæ sunt. Post hunc *Vincentius*, monachus *Lerinensis*, seculo quinto *pro fide Catholica* libellum scripsit *aduersus profanas omnium hæresium nouationes*, vbi veræ fidei tenendæ hanc regulam inculcat *cap. 3. vt id teneamus, quod* vbique, *quod* semper, *quod* ab omnibus *creditum est:* hoc etenim esse vere proprieque *catholicum*, quod ipsa vis nominis declaret, si sequamur *vniuersitatem*, *antiquitatem*, *consensionem.* Insertus est ille libellus, vnacum commentariolo *Io. Costerii*, Louaniensis

CLXXXV.

Conringius ante omnia velit, vt *Walenburchius Concussionem* fundamentorum euertat, inuertens *Boineburgii* argumenta in ipsum.

Helmstad. ipso ieiunio quatuor temporum Iun. 1661.

Praeter eas prolixas, quas *d. 6. Iun.* exarasti, hoc ipso momento accipio et quas dedisti vndecimo die. Interea non dubito, curatas esse, quas pridie Kl. Iunii misi vnacum residuis plagulis libelli de bibliotheca Augusta. Ad tuas paucis respondebo, quoniam prolixe agere valetudine prohibeor,

sis Praepositi, *Chronologiae sanctorum et illustrium virorum sacrae insulae Lerinensis*, quam anno 1613. in lucem dedit *Vincentius Barralis Salernus*, eiusdem domus et insulae monachus. Est autem *Lerinum* maris interioris insula quaedam vna alteraque sorore minore stipata, et litori Gallico inter Forum Iulii et Antipolin obiecta. Cuius nomen inter continentis Prouinciae habitatores vsque adeo exoleuit, vt, si *Lerinum* videre gestias, nemo sit, qui de *Lerino* vel fando aliquid se inaudiisse meminerit. At si insulam, cui a Sancta Margareta nomen, videndi te cupidum ostendas, non deerunt illico, qui et eam digito tibi monstrent, et, si ita velis, nauigio te illuc asportent.

or; quæ calculi doloribus vexatum me in alterum diem lecto defixit. Cum *Floro* agam propediem de catalogis bibliothecarum Italicarum; saltem Vaticanæ et Barberinianæ. Velim enim et illos inueniri in thesauro Augusto. Illam curam iam tum et *Spanheimio* commisi, vbi in Italiam proficisceretur; *Blumius* tamen poterit forte citius me voti reddere compotem, nisi Alpinum frigus ardorem pristinum literariæ rei exstinxerit, et Roma accenderit ambitionem; quamuis forte parca manu exspectationem fefellerit. Librum de ciuili prudentia propediem absoluam. Vereor tamen, vt respondeat desiderio, cum sit propædeuticus, et exspectetur potius ipsa prudentia. Diebus illis, quibus publice docebo de Scriptoribus politicis domi, animus est partem illam addere. *Grotii* Commentarium in N. T. notis manuscriptis auctiorem in manus tuas deuenisse, et gaudeo pariter, et miror. Nisi seorsim placuerit dare illa annotata, vix inuenies impressorem, quoniam hæredes Grotiani muniti sunt priuilegiis Cæsareis et Regiis, et in Critico sacro Anglicano omnes commentarii Grotiani exhibentur. Quodsi fieri possit sine dispendio tuo, suaserim equidem, vti seorsim communices posteritati compa-

ratum thesaurum, siue in Batauia, siue alibi. *Salmasii* posthuma *Anti Miltoniana* nondum vidi. Vterque mihi visus est æque imperite de Regno disputare. *Miltonius* nimirum, quasi summa reipublicæ potestas semper penes populum esse debeat; *Salmasius*, quasi omne Regnum debeat simplex et illimitata esse monarchia. Quibus admissis, non possunt non sequi absurda infinita. *Bufferii* desiderium excitasti tua commendatione. A Iesuita enim quis expectauerit *Thuani* laudationem? De *Grammondo* et *Strada* tecum omnino facio: nec enim audiendus de hoc *Scioppius*. De omnibus dicam sententiam vltimis capitibus libri de ciuili prudentia, qui quidem Latine scripserunt, aut versi sunt. In iudicio de Professoribus nostris agnosco candidum tuum pectus; quamuis ex parte dissentiam. Christianissimi autem Regis epistola vehementer me delectauit, postquam eo res Germaniæ redierunt, vt saluæ esse nequeant, nisi in æmulationem aduocatis exteris. Prius vero, quam ipse proficiscaris in Galliam, velim in tempore abs te moneri. Fortassis enim quædam tuæ curæ et ego commissurus sum pro amicitia nostra. Rem vero longe feceris gratissimam, si et ipse moneas, et per alios moneri facias, quæ in *Lampadia*-

padiano libello meisque animaduerſionibus agi debeant. Spero autem, me ita temperaturum calamum, ne quem temere offendam, niſi ſolis rationibus in medium adductis, et propoſita reipublicæ illa forma et illo regimine, quod ſemper antehac obtinuit cum Imperii ſummo fructu. *Honoratus* vnice collocat ſalutem et Eccleſiæ Catholicæ vnionem in veneratione Pontificis Romani, tanquam talis Vicarii Chriſti, qualem ſeſe Papa venditat. Talem autem tu Papam non agnoſcis. Ex *Honorati* igitur ſententia aberras a via ſalutis, et reapſe verſaris extra Eccleſiam Catholicam. Ego cum *Honorato* ſentio, ſi *Catholicæ* Eccleſiæ nomine *Papalem* intelligas. Si Dominus *Walenburchius* poterit, confutatis iis, quæ abs me in eandem ſententiam cum approbatione *Haunoldi*, *Erbermanni* et *Valeriani* (quanquam hic miſer nunc videatur aliter ſentire) diſputata ſunt, oſtendere, poſſe ſalua vera vnione negari Vicedeatum illum, quem Romana curia ſibi arrogat, rem profecto mihi incredibilem præſtiterit, neque ego tibi iſthac obiectione vnquam ero moleſtus. Ab Sancto *Auguſtino* et aliis Patribus nonnunquam adduci ſolere eius notæ argumenta, qualia *Walenburchius* vnice commendat, non diffiteor. In

Rhetorum enim ſcholis educati, quicquid modo faceret ad perſuadendum, quamuis lubricum, ſæpe arripuerunt. Abſit vero vt illa digner ego cum *Walenburchio* Auguſtinianæ methodi nomine. Longe enim etiam aliis et ſolidioribus argumentis ſolet Sanctus *Auguſtinus* agere, in præliis ſeriis ad ſolam Sanctæ Scripturæ vocem audiendam prouocans. Quam vnicam et certam ſalutiferæ doctrinæ regulam, exiſtimo, abs me non probatum, ſed demonſtratum eſſe, in ipſis hypotheſibus et axiomatibus capitis primi *Concuſſionis.* Tui Hyperaſpiſtæ eius quidquam ne quidem aggredi auſi ſunt. Tentet alius, quid poſſit; ſed ſine conuitiis. Tam paratus ſum diſcere, quam docere. Quæſo vero, mi amice, quis Sanctorum Patrum vnquam dixit, extra communionem cum Eccleſia Romana, qualis illa hodie eſt cum ſuo Vicedeatu et aliis, neminem ſaluari poſſe? Quid facit ad hanc rem Sancti *Hieronymi* illud dictum de *Damaſo?* Quid aliorum Patrum de ſui temporis Eccleſia Romana? Huius tui diſcurſus imbecillitas non poteſt te latere, modo animi affectum ſeponas. *Tertulliani* Præſcriptiones aptæ ſunt omni antiquo dogmati, quamuis falſiſſimo, conciliare opinionem veritatis, eoque pro Paganiſmo æque valent contra Chriſtianiſ-

mi

mi nouitatem, atque contra hæreſes pro Catholica antiquitate. Non poſſunt ergo admitti in *Logicis* in numero principiorum inquirendæ veritatis. *Vincentiana* non nihil ſunt meliora; non multum tamen, niſi iuues gloſſis et interpretatione. Si ſane ſeiungas illa tria *, nihil eſt falſius iſtis: *Verum eſſe quicquid ſemper placuit, aut quod placet plurimis.* Longe rectius *Ariſtoteles* dixit, talia eſſe probabilia; non autem ſtatim vera. Et tamen ne ita quidem Papatus dogmata fuerint probabilia. Tibi certe non poſſint videri talia, ſi regulas illas *Vincentianas* velis in rem conferre potius, quam voce laudare, quod ſcribis. Similis notæ eſt illud argumenti genus, quo nunc vteris: *non viuendum mihi eſſe in Eccleſia Proteſtantium, idque quoniam hi mutuo ſeſe damnant.* Argumenti huius vis ſita eſt in eo: *vbicunque ſententiarum eſt diſſidium, ibi non eſt veritas, ac proinde ab illis cœtibus eſt ſecedendum.* At vero, mi amice, hoc ipſum eſt vnicum fundamentum Scepticiſmi. Et poteris tu eodem argumento perſuadere, ne quis credat, quidquam eſſe certi, quoniam omnia ſunt diſſen-

* Vide, ſi placet, quæ notauimus ad epiſto- lam præcedentem.

ſionum plena. Fateor, eodem vſos eſſe contra Philoſophos gentiles primæ Eccleſiæ Patres. Scio vero etiam, idem argumentum ſeculo IV. et quinto a Philoſophis illius æui retortum in Chriſtianos, itidem tum diſſenſionibus mutuis laborantes. Quid vero ſi acceſſero Romano cœtui? num viuam in cœtu extra diſſidia poſito? Diſſidet ille ab aliis plurimis, et inter ſeſe ciuilem quidem alit concordiam; non autem vere ſpiritualem: quorum prius notiſſimum eſt; poſterius abs me probatum in præfatione ad *Caſſandrum*. Rogo te, ſaltem hæc pauca animo defæcato rumines. Iuxta priſcæ *Logicæ* regulas cum quouis diſputare ſum paratus. *Walenburchica* autem et tua illa plane *noua* ſunt, et veritatis inquiſitioni plurimum obſtant. *Piſtorius* fuit vir doctus; non tamen res ſacras. Si iuxta mecum perſpexiſſet ſuperſtitionem Pontificiæ Eccleſiæ, et impietatem Curiæ, nunquam ad illam ſeceſſiſſet. Vale, amiciſſime Domine, vt corpore, ita et animo, æternum.

CLXXXVI.

Boineburgius recte monet, quomodo Lampadiana ſint adornanda, et ad ſacram controuerſiam relapſus, *Conringium* denuo ablegat ad *Walenburchium*; tum literaria quædam et publica adſpergit.

Mo-

Moguntiae d. 14. Iun. 1661.

Sereniſſimus *Auguſtus* noſter, Principum Germaniae ſummus Honos, Eminentiſſimum Electorem miſſu lautitiarum Veſtratium, non vniuſmodi * ſane, maiorem in modum recreauit, inque redhoſtimentum Elector Duci optimo, et Neſtoreos annos merito, praeclarum vini plauſtrum remitti iuſſit: quod quin cuſtodite ac recte ad vos ſit peruenturum, nulli dubitamus. Sereniſſimo illi Seni, omnium non modo ſui Ordinis Magnatum, ſed et aliorum, qui bonam mentem amant, patri et patrono, ad clementiſſimas ſuas et benigniſſimas litteras, quibus tantus in omni excellentiae genere Heros meam exiguitatem dignatus eſt, humillime reſpondi. Eminentiſſimus Elector te amantiſſime ſalutat, et omnino approbat, quae occaſione pretioſiſſimi Lampadiani libelli meditaris contra affectatam illam quorundam Electorum Oligarchiam. Eſt opportuniſſima tum occaſio, quod tu ſane ſolus potes, graphice et ſignificanter proden-

* Quaenam illae fuerint, ex infra ſubſequentibus coniicere licebit. Nemo erit paullo humanior, quem tantorum Principum amicitia, more priuatorum mutuis munuſculis culta, non delectet.

dendi, quæ ex hoc inepto conatu mala ſunt neceſſario conſecutura. Simul patriæ notitiam compendio, non breuiter, ſed locis commodis et ex inſtituto, tradere poteris, atque manuductionem præſtare ad praxin Imperialem in negotio ſtatus et cetero pragmatico. Ex breuiatoribus noſtratium rerum in hoc genere *Lampadius* facile primas fert. At vero et ipſi obtigit non vnus lapſus et hiatus, quos tu facillimo negotio et ſupplebis, et ſarcies, et emendabis. Velim, ſi commodum tibi eſt, vti facies in opere de ciuili prudentia vbi politicos ſcriptores percenſes, idem et tantundem perinde faceres in Lampadiano, inſtituta quoque recenſione ac iudicatione auctorum omnium, et magnorum et breuiculorum, qui de iure, quod vocant, publico libros ediderunt. De *Honorato Fabro* quæ poſtremum ſcribis, mirationem merentur et explanationem tui ſtili, dum ais, eum non veſtrros: at quinam ſunt veſtri, et de quo grege deuiorum es tu? petere, ſed eos, qui mecum ſcilicet ſentiant, ſine ſchiſmate poſſe pontificem Romanum non haberi pro Vicedeo. Hæc enim propoſitio: *Qui pontificem non agnoſcit ceu Vicedeum, is extra culpam ſchiſmatis eſt*; eſt vera. Si intelligatur autem hoc modo: *Qui non agnoſcit primatum in*

Eccle-

Ecclesia Romana, *et cum hac communicare in fidei rebus*, puta catholice notis per Conciliorum generalium propositionem, *non vult*, *is est sine schismate:* tum hæc enuntiatio et falsa est, et sectis, hoc est, catholicam religionem perosis et insectantibus, propria, et omnibus hostibus veritatis communis. Sed hæc omnia facile patebunt, si voles cum D. *Walenburchio*, viro pio, docto et prudente ac moderatissimo, conferre per literas de caussis vestri schismatis, in quod omnes segreges et nouæ hæ tribus discesserunt. Forte maius et luculentius operæ sic pretium esses facturus, quam vbi *Allatium* oppugnaueris super re facti, ipsi, quam tibi mihique, notiore, virumque præterea honesti pectoris, et mentiri in re secus cognita refugientem, imo nescium. Si delectaueris adeo rerum sacrarum tractatione, etsi in politicis et historicis magis, imo super omnes, excellas; aggredere illud opus cum *Walenburchio*. Eius te non pœnitebit. Sed finio, iungoque epistolium a Cl. *Hottingero*, qui nummos veteres et cippos postulat. Iuuare si potes, iuua. Librorum indiculum proxime suo supplemento integrabimus. Memini de *Hobbii* ciue te parum clementer sentire. Eius apologiam *Sorberius* iam parat, prout et

cœ-

cœpit eum tueri publice in ſua gallica verſione, qua *Hobbium* eruditorum Gallice ſcientium oculis ſubiecit anno iam tum 1649. Digna ibi lectu ſunt eiuſdem *Sorberii* notata, præfamina et adiectamenta. Sed cogor abrumpere. De publicis omnia ſilent. *Waldorfius* perhibebatur nuper ad nos rediturus. Sed iam ceſſat ille infauſtus rumor. Eminentiſſimus Elector de ſuorum conſiliorum rectitudine dimoueri ſe non ſinet. Comitia promotum conſtanter ibit. *Deputationem* Francofurtanam, quæ ſola eſt legitima, conſeruare perget iuxta cum ſuis amicis, et publici boni tutoribus reliquis. Viennæ, ſcio, iam varia recogitantur, et multa eos, qui hactenus vindictæ libidine arſerunt, pœnitudo ſuorum factorum omiſſorumue diuexat. Anglicanum vero cum Luſitana coniugium crus vtrumque frangit omni illi arrogantiæ. In Polonia num felicior hanc ſit euentus propediem manſurus, coniectatio nondum eſt in expedito. Sed finire cogor vel inuitus, irrumpentibus negotiorum nouis et ſpiſſiſſimis globis, totoque inter ſe genere diuerſis. Vale, vir optime, et me tuis libris et literis frequens erudi. Plus enim boni mihi præparare ſane non potes. Vale diu et florentiſſime.

CLXXXVII.

CLXXXVII.

Idem aperit *Conringio* cauſſas odii in Aula Vindobonnenſi, ſuadetque vt ciuilem prudentiam Electori Palatino conſecret, talium intelligenti.

Moguntiæ d. 16. Iun. 1661.

Hoc ipſo momento redduntur tuæ mihi literæ, pridie Kal. Iunii exaratæ, vna cum reliquis bibliothecæ plagulis. Certe plurimum tibi debeo de inſcriptione libelli longe præſtantiſſimæ frugis pleniſſimi. Cogitabo quoque, qua ratione animi mei erga te gratitudinem declarare poſſim. Opus de ciuili prudentia tandem matureſcere ac ſerio maturari, plurimum ſane lætor. Cæſari vt dicandum cenſeam, nullæ rationes ſuaſoriæ vel tantillæ ſunt præſto. In illa aula genuinæ de re politica ſententiæ et ignotæ ſunt et exoſæ, prout res ipſa non loquitur, ſed clamat. Te proinde illic odio eſſe, qui vera et doces, et facis recta, quid miri? Me in ſummo odiorum apice verſari, non eſt dubitandum. Multam enim ipſis eorum materiem ſuppeditandi crebra mihi neceſſitas ex tot actionum heteroclitarum occurſibus incumbit. Hæc autem ſiue affectata, ſiue prouocata indignatio cum tempore exoleſcet. Sed reuoluor ad de-

di-

dicationem operis de prudentia ciuili. Eam nemini lubentius tribuerim, quam vel Electori Palatino, rerum solito intelligentiori Principi, vel priuato cuipiam, talium scienti. Iterum noui rumores increbrescunt, *Wallendorfium* adhuc venturum. Sed nihilo plus hoc suo excursu proficiet atque nuper. Eminentissimus suis gerris se a regia via dimoueri non sinet; irascantur licet ac ringantur omnes publicæ rei isti nouatores. Quod adiicitur sub finem chartulæ, tuis inditæ, Eminentissimum nostrum Moguntinum ambiisse Morauica illa prædia, Treuirensi donata * id profecto est spissum mendacium, imo vnice oriundum ex illa officina, vnde id genus plulcula subinde prodeunt. Vale, vir amicissime!

CLXXXVIII.

Idem refutat *Conringii* argumenta pro secessione ab Ecclesia Romana, et pro conuersione eius vota facit.

Mo-

---

* Agens Vindobonæ in rebus Aulæ Guelphicæ, *Andreas Neumannus*, talia perscripserat, quæ Francofurtum missa Legatus Guelphicus, Dn. *Heilandus* iussus priuatim *Boineburgio* ostendit: quibus ille hic ita respondet, vt Principi, quod scriptum, ostendi posset.

Moguntiae d. 25. Iun. 1661.

Mi optime et amicissime Vir.

Merito te tuo ita appello, adeoque et candide agam tecum vicissim. Veneror te, et tenerrimo amore diligo ob incomparabilem et amabilissimam eruditionem tuam, atque hinc literas tuas postremas, ipso ieiunio quatuor temporum datas, voco doctissimas, quales sunt. Quid enim abs te prodit vnquam, nisi tersum, elegans, accuratum, graue, eximium? Caussam tamen Fidei excipio sincera libertate, cuiusmodi in me et tua est; quanquam etiam in illa sis inter praeclarissimos eorum, qui segreges coetus sectantur, quantum quidem in caussa iniqua et desperata fieri potest. Displicent tibi *Tertullianus* ac *Vincentius Lerinensis*. Malum signum! *Clodius Catonem testem recusat: Cicero in exilium agitur*. Quid vero est, quod moueat stomachum? Iuris fuit consultus *Tertullianus*. Quis autem ambigit intelligens, ad sacrarum controuersiarum tractationem perinde iurisprudentia atque philosophia opus esse, cum ex vtraque genuinus logices vsus perficiatur? An illi veritatis antiquissimi testes valent quoque pro paganismo? Certe vel ipse titulus o-

N n stem

stendit, scripsisse bonum *Tertullianum* Praescriptiones suas aduersus sui aeui haereticos; non contra Gentiles aut Iudaeos, cum quibus aliter depugnant primi Patres Christiani suis in Apologeticis. Ais: Omnis vetus error sic se tuebitur? Immo nullus hoc modo, quando manetur intra modum rei, de qua disquiritur. Facessat hinc *Aristoteli* inuisa illa transitio de genere in aliud genus. Contineamus nos in eodem argumento. *Tertullianeae* regulae pariter ac *Vincentianae Grotio*, *Vossio*, *Calixto* olim perinde probatae, pro ea tantum veritate et ecclesia faciunt, quam CHRISTVS Dominus per Apostolos instituit, et quae per eos incorrupta serie ad *Tertulliani*, *Vincentii*, *Augustini* et nostra usque tempora defluxit. Contra illos ad vnum omnes, et non magis contra *Montanum*, *Arium*, *Nouatum*, *Donatum*, quam alios ceterarum nouitiarum tribuum cocionatores, quales hodieque tumultuantur, faciunt, qui a primaeua vnitate sub superciliosa verbi Dei praesumptione secesserunt, et, vt *Tertullianus* loquitur *c. 42.* * de arbitrio suo fidem innouarunt. Iam porro

* Verba *Tertulliani de praescript. c. 42.* haec sunt: *Vnusquisque suo arbitrio modulatur, quae*

porro quid deſtomacharis in *Vicedeatum*, quem vobis commenti eſtis? Quid vmbram diuerberas? Vbi, ſemotis affectibus partium, vel legeris vel audieris *Walenburchium*, voti tui damnas ac reus eris, neque mihi iſtac tua obiectione vnquam poſthac eris moleſtus. Fruſtra, vir doctiſſime, Curiam Romanam et Sedem Apoſtolicam; mores et fidem; Catholicam religionem et Theologica dogmata, confundere pergis. Fides et Sedes S. Petri contra inferos, et omnes ipſorum machinas, ſtat inconcuſſa, inoffenſa, illæſa. Contra licentiam Curiæ pontificiæ, contra nouitatem papalium quorundam dogmatum, contra prauos mores, quis *Bernardo*, *Gerſone*, *Damiano* et tot aliis noſtratibus vehementius, doctius, ſanctius, innectus eſt? Hi omnes vitia damnarunt; fidem ſeruarunt. Redit in memoriam Romæ, cum *Piſo* Conſul foret, *Tullius* exularet. Quales tum reipublicæ mores fuerint, ex iſtius orationibus cernere eſt. Maluiſſem ego tamen tunc homo et ciuis Romanus fuiſſe, quam aut ſimius, aut pſit-

---

quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille, qui tradidit.

psittacus, aut carniuorus. Hyperbolicum est illud Iuuenalis:

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem Oceanum.

Scis, vir optime, officium ciuis boni in republica. Eccur officium boni fidelis in Ecclesia Christiana tam operose ignorare satagis? Prouoco ad *Aristotelem* tuum in Politicis, qui vtinam in omnibus imitatione dignus haberetur! vbi agit de praesentis status bono ciui congrua obseruantia. Sed tecum quid longas gerras habeo? Infans Platoni; sus Mineruae ne facessat molestiam. Sed erga te bonitas me tua excusat: contra sententias tuas circa religionem iustitia caussae me sustentat et fulcit. Appello simul ad priores meas epistolas, et ad nostrorum quorundam, cumprimis *Riceliaci Milleterii*que scripta, vnde liquebit, iniuriam perinde nobis fieri exprobratione dogmatum Papalium, quae *Hildebrandina* vocatis, atque vobis fieri magnum nefas interpretamini, sicubi vestrae doctrinae pars habetur, quod olim *Lutherus*, *Flacius*, *Puritani* et *Independentes* hodie, maximo vtriusque reipublicae malo, docuerunt, et in praxin traduxerunt. Ceterum rogo iterum iterumque, ciuilem prudentiam et Lampadiana tua pro-

moue

moue atque matura. Tantum in talibus præſtas atque excellis, vir amiciſſime, quantum malo loco es, cum tibi cum *Tertulliani* præſcriptionibus et *Vincentii Lerinenſis* regulis non bene conuenit. Summe doleo, te ex calculo laborare, Deumque precor, vt te ſanum et incolumem diutiſſime ſeruet, et liberet ab omni communione eorum, qui Chriſti corpus, Eccleſiam, naſutis ſuis et præpoſteris ſeparationibus tam immani peruicacia dilacerant. *Blumius* dicitur in reditione ad nos eſſe cum *Wallendorfio*, qui quicquid afferat, niſi Comitiorum admaturationem et Imperii iurium tutelam complectatur, Eminentiſſimus Elector nihilo indulgentiorem ſe illi offeret atque antehac. *Spanhemius* in Italiam abiit. Auidiſſime noſcere cupio, quæ agitas de Scriptoribus ad politica conducentibus. Cupiam itidem reſcire, qua in re diſſentias a me circa iudicium de Profeſſoribus veſtratibus? Ante meum in Gallias diſceſſum te tempeſtiue monebo, et pro te ſaxo quicquid vel pro memetipſo, meiſue. De reliquis proxime ſcribam fuſius, vbi nactus otium fuero. Quæ enim in meis poſtremis poſui argumenta, ea facili negotio vindicari poterunt. Vale, vir optime, et flo-re! Vt et heic in terris, et in omni deinceps æ-

ternitate sit tibi quam optime, Deum oro plurimum. Si plagulas ciuilis prudentiæ seorsim mittere voles, summopere me tibi obligabis. *Pistorium* fuisse virum, res etiam sacras perdoctum, vel vna eius ad *Heerbrandum* analysis de Ecclesia, tum quæ ad *Grynæum* et *Pappum* non vnis scripsit epistolis, abunde satis superque commonstrant: vt sileam eiusdem indicem viæ ad catholiçam; notas item nostræ Ecclesiæ; theoremata de fidei mensura, et reliqua doctissima, quæ edidit, scripta. Ea omnia vtinam pari attentione legeres, atque illi non par modo, sed superior es in rebus politicis et noscendis, et docendis, et vsitandis; dein in historiæ cultu, Iuris item prudentiæ ac Medicæ Facultatis!

CLXXXIX.

Conringius breui responsione ad tres præmissas defunctus, obiectiones aduersarii diluit.

Helmstad. d. 22. Iun. 1661.

Hodie tertias tuas accipio d. $\frac{15}{25.}$ Iun. exaratas, curante Domino meo, Principum optimo. Quarum argumentum cum sit varium, non potero pro dignitate hac quidem vice respondere. In vni-

vniuerſum tamen hoc velim tibi perſuadeas, omnes mihi eſſe acceptiſſimas, vt nihil non, quod a manu tua proficiſcitur, vtpote doctum, prudens, et, quod caput eſt, plenum beneuolentia, mihi longe eſt iucundiſſimum. Propediem igitur fortaſſis Cl. *Hottingeri* deſiderium iuuabo, quoniam video, hoc etiam te velle. Mittam quoque libellum *de Graecae Eccleſiae* fide hic editum, addita mea quadam Epiſtola eiuſdem argumenti. Eminentiſſimi Domini Electoris animum ingentem, et propenſum in rempublicam ſtudium, et admiror, et veneror, idque potiſſimum quandoquidem paucis adeo vel ea prudentia eſt, vel illa cura ſalutis et tranquillitatis Imperii. Deus ſeruet Eminentiſſimum Principem optimo publico, et te, Illuſtris Domine, tanti Principis digniſſimum Miniſtrum! Certe auctoritati et ſapientiae Eminentiſſimi illius Principis innititur hodie bonam partem Germaniae ſalus. Nihil vero magis faciet ad aeternam Principis laudem, quam ſi nec repetita illa *Wallendorſiana* Legatio ab optimis conſiliis Principem poſſit flectere, et a cura Comitiorum. Id quod faxit Deus! Pro clementiſſima nominis mei memoria gratias ago, quas poſſim, maximas. Impenſe vero gaudeo, non in-

 gra-

gratum fore ſapientiſſimo Principi et æquiſſimo, ſi Electoralium quorundam (*miniſtros* intelligo, non ipſoſmet Principes, tantum abeſt vt omnes velim notatos) Oligarchicis conſiliis cum ruina Imperii coniunctis me in Lampadianis commentariis oppoſuero. Me ſane id agere iubet et veri pariter et ſalutis publicæ cura. Agam vero ea, qua par eſt, reuerentia et moderatione. Ceterum in commentariis illis progrediar bono cum Deo diligentius, abſoluto demum libro de ciuili prudentia. Interim omnia iſtuc facientia dabo operam vti conquiram. Qua in re ſi me iuueris, facies rem gratiſſimam. Sæpe certe vtar tuo conſilio: vt etiam Sereniſſimorum Principum meorum Legatos compellare ſæpius ſuper dubiis eſt animus. De controuerſiis religioſis doleo, fruſtra me apud te eſſe. Quod tamen vnice adſcribo nimiis tuis occupationibus, quæ faciunt, quo minus poſſis animum ad ea, quæ a me propronuntur, aduertere. Poſſe eos, qui *Vicedeatum* Papalem, quem Curia Roma mordicus defendit atque profitetur, (a nobis eum fingi hoc profecto nemo Ieſuitarum temere tecum dixerit) non agnoſcunt, cum Curiæ affe-

clis

elis Chriſtianam colere communionem, nego, pernego, et demonſtraui in *Concuſſione.* Per me licet, vti tentet Dominus *Walenburchius*, num rectius poſſit, quam factum eſt ab *Haunoldo, Erbermanno* et *Valeriano*, quæ a me diſputata ſunt, conuellere. *Honoratus* plane hic facit mecum; quanquam interdum ſibi contradicat. Ego omnino cenſeo, non poſſe non, et debere, ſchiſma eſſe inter diuerſum hac in parte ſentientes. Hactenus ſane impediunt *Hildebrandina* dogmata, quo minus communicem cum Romana Curia; quamuis illa non impediant communionem cum reliquo corpore Eccleſiæ veſtræ. Quæ hanc autem impediunt longe alia ſunt, de quibus egi in procemio ad *Caſſandrum*, quod hactenus non videris iuſta attentione legiſſe. Mali mores Curiæ non ſimpliciter imperant ſchiſma. Poſſit tamen fieri, vt imperent. Perinde ſcilicet atque in ciuili ſocietate, quo tu prouocas, non eſt fas in partem venire factionis, quæ euertere rempublicam nititur prauis facinoribus et ſententiis; ita nec fas eſt, cœtum Chriſtianum colere cum iis, qui ſalutarem fidem, a Chriſto Saluatore noſtro præſcriptam, ſuis improbis commentis aut actibus diruunt. Prius me docet *Ariſto-*

teles *; posterius cum *recta ratio*, tum aperta *vox Christi*. *Tertullianeæ* possessiones et *præscriptiones* tam aduersantur veræ et genuinæ Logicæ, quam artes sophisticæ omnes. In foro habent illæ locum, quoniam *possessio* et *præscriptio* in rerum dominio ius faciunt. Alibi non habent, quoniam sententiarum veritati aut falsitati nullum dant momentum **. Quæso, expende saltem pauca illa, quæ respondi ego *Erbermanno*. Nemo Patrum alius *Tertullianeis præscriptionibus* temere vsus est aduersus hæreses. Nec ex recentioribus optimi quique disputatorum vestrorum aduersus nos. Quod veteri Logica remota tu, *Walenburchium* aliosque paucos infimæ notæ secutus, velis iterum reducta illa *Tertullianea*, indicio est, non satis firmis principiis *tuam nouellam fidem* niti.

* *Miserum Aristotelem!* exclamat contra *Tertullianus præscript. c. 7.* *qui illis dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi, versipellem in sententiis, coactam in coniecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit.*

** Ipsius *Tertulliani Lib. III. contra Marcion. c. 1.* vox est: *Decet veritatem totis viribus vti suis, non vt laborantem.*

ti. Posse vero, *Tertullianeis* illis admissis, propugnari quemuis vetustum errorem, et religionem ipsammet Muhammedanam, aut Paganicam, certissimum est, et a me iam demonstratum *Erbermanno.* Neque abs te allatum illud de non faciendo saltum de genere in genus vel tantillum ad rem facit. Regulae enim veritatem inquirendi sunt communes et vniuersales. Si iis ergo *Tertullianeis* regulis possit pagana religio defendi; vtique citra saltum de genere in genus patet regulae falsitas. Sed quid te moror? Vale.

CXC.

Boineburgius argute diiudicat *Bussierii* nouam historiam, Thuanae aemulam, et Salmasianam eruditionem laudat.

Moguntiae d. 1. Iul. 1661.

Bussierium Iesuitam si ad te mittat quis e Gallia, scio, eum bene meriturum de bibliotheca et tua, et Augusta, cuius omnino meretur pars esse et accessio. *Thuanum* laudatum ipsi miraberis, quem nihilo parciore sinceritate ac dictionis quoque mira castimonia felicissimo imitamine sequitur. Nescio an multam sic sit a suo grege gratiam initurus,

rus, vbi liber paullo latius enotuerit. Nihil ſequiorem in ſenſum interpretari de illius *Socii* inſtituto quiſquam ſuſtineat, niſi ſi forſan in ciuili ſuſpicione autumauerit, Thuaneum candorem et totum genium ita ſedulo expreſſum a *Buſſerio*, vt nomen *Thuanum*, tribui illi ſuæ oppido inuiſum, tanto facilius demoliretur atque peſſundaret; tum et quo procedentibus annis *Thuano* inde par fatum obtingat, quale per *Iuſtinum Trogo*, aliiſque amplis Scriptoribus, per breuiatores ſuos: quanquam *Buſſerius* non ſit tam *Thuani* epitomator, quam *Adriani Valeſii*, *Dupleixii*, *Meſeraii*, qui res Francicas ſeorſum tradiderunt iuſtis operibus. Vnum apprime ſtupeo in *Buſſerii* ſcriptione. Notat tam libere quædam in rerum relatu, vt vix in ipſis *Thuani* omiſſis atque diſpunctis, quæ ex *Grotii* noſtri bibliotheca accepimus, libeiora et liberaliora narrata ſit deprehendere. Caſtratus enim is perinde fuit, atque *Guicciardinus*. Supplementa etiam mihi viſa nuſquam edita fuere. De *Salmaſii* ac *Miltonii* libellis rectiſſime, prout ſoles, iudicas. Hic Regibus abiudicat omnia; ille omnia adiudicat, pari in rempublicam intertrimento. Quæ *Salmaſius Miltonii* prioribus tribus capitibus repoſuit, lectu digna ſunt; non tam

eo

eo nomine, quod ſcopum accurate feriant, quam ob variam, quæ in eius viri libris plerumque collucet, eruditionem et ingenii vbertatem. Si qui libri mea in poteſtate ſint, eos audacter poſce, et occaſionem, qua cuſtodite mitti ac redire huc queant, monſtra. Continuo ad te curatum omnes iri, neu dubita. De *Lampadio* nil eſt, quod moneam, niſi quod preces iteratas heic denuo addo, vt tuas in eum illuſtrationes feſtinare velis. *Silbonii* liber necdum aduenit. Mittam, ſimul accepero, vt ipſus cernas, an tituli modum digne aſſequatur vir cetera validus in ciuilibus momentis annotandis. Hæc nuperis meis adiicenda ratus ſum. Proxime de ſacris, quam orſus es, telam proſequar. Vale, et tuis me literis ſæpe erige. Nulla enim ex te præſentior mihi leuatio contingit, quam ab illis.

CXCI.

Conringius laudat laudata ſibi a *Boineburgio*, et de numis Hebræorum docte diſſerit.

Helmſtad. d. 30. Iun. 1661.

Inciderunt in meas etiam manus commendati abs te libri cum *Buſſierii*, tum *Salmaſii*. Illius Hiſtoria Francica elegans ſane eſt, et palmam eripit

ipſi

ipsi *Paulò Æmilio*. In rebus superioris nostrique aevi describendis video illum alienum a furoribus Iesuiticis et Zelotarum suae partis, eoque multo aliis aequiorem, et *Thuano* fere similem, iudicio politico bonum, et stylo perspicuo eximium. Vtinam tali sint indole *Socii* vestri *Moguntini* et *Herbipolenses*! *Salmasium* inueni sibi similem. Varia doctrina et scribendi promptitudine insignem; sed confusius omnia tradentem, et de regni iuribus differentem, quasi vnica tantum regni sit species, eaque simplex et plene monarchica: qui error est capitalis. *Silhonii* liber num ad nos peruenturus sit, dubito. Fama nominis tamen iam tum eius apud me desiderium excitauit. *Thuanea* illa, quorum meministi, habeo et ego, a *Rachelio* nostro accepta. Obseruaui vero, illorum, saltem quae ad Henrici II. actus pertinent, pleraque iam tum inserta editioni illi Francofurtensi, quae prodiit anno 1625. estque meo iudicio optima omnium. Non dubito, quin profecta omnia sint ab ipsomet *Thuano*, prudenter obseruatis, et quae delenda, vel addenda forte sint; quamuis ipsemet viuens collationem illam haud instituerit, nec ausus sit illa promere, veritus offensam, qua iam tum laborabat grauissime apud Heno-

noticæ factioni et Romanæ Curiæ addictos. Clarissimi *Hottingeri* desideria vtinam adeo facile mihi sit iuuare, quam velim. Mihi Hebraicus nummus *genuinus* nullus est. Duo quidem *sicli* titulo inter veteres meos habentur, alter samaritanis characteribus insignitus; sed neuter probæ notæ. Et vero multis argumentis adductus, sentio, non reperiri quemquam *germanum* nummum Hebraicum, nisi samaritana scriptura; hos vero omnes Hasmoneis vel Herodibus regnantibus signatos; samaritanis literis tum etiam profanos vulgaresque ad vsus adhiberi solitis, vt Assyriacis illis ad sacri codicis scripturam. Serenissimi Principis mei *Augusti* filiorum minimo, sed indole nemini secundo, æreus est iustæ veritatis, de quo *Schraderus* noster commentatus nonnihil est, quod mitto; quamuis nec interpretationem eius omnino approbem, nec inditum nummo *sicli* nomen, quippe quod, me iudice, solis debetur argenteis tetradrachmis. Habeo amicum Lipsiæ, qui gaudet sibi multum aureo quodam Hebraico. Sed quoniam mihi non est visus, non audeo de eo quidquam definire: Non dubito vero, nos pulchra multa docturum *Hottingerum* secunda hac editione *Cipporum*, cum prima plurimum me quidem delectauerit. Sunt

mihi

mihi porro bini nummi perantiqui, quos *Carthaginenses* esse existimo, quod alter Punicos characteres præ se ferat. Verum horum explicationem *Hottingerus* fortassis haud aggredietur; quamuis videam, expeti ab illo Siciliam *Parutæ*, quo opere Punici nummi exhibentur. Rem gratissimam feceris, si virum doctissimum et summe industrium meo nomine resalutaueris.

CXCII.

Boineburgius pro Moguntino *Conringii* iudicium exquirit de libro *Athanasii Kircheri* Romæ recens edito.

Moguntiæ d. 2. Iul. 1661.

Mitto en! tibi *Kircherianum* opusculum, quod, quale tibi videatur, ipse Eminentissimus Elector exquirit. *Wallendorfius* huc breui veniet, nescio quid de Comitiis ac imsana illa interim translatione denuo moturus. Nisi eximie bona pro Comitiorum admaturatione attulerit, in cetero negotio plane nihil promouebit: quod etiam cum per se fœdis sequelis obnoxium est, tum Eminentissimi, cumprimis vero Imperii iuribus temerandis vnice quadrat. Si euitari id omnino, ac res omnis eodem in statu relinqui posset, donec Comitiorum

speratæ

ſperatæ fruges maturuerint, ſatius foret. Quicquid autem eueniat, fœdus quin pleno ſuo robore ſit perennaturum, nihil dubii eſt. De Turcico bello omnia adhuc ſunt in incerto. Quid ſub illo ſipario perſonæ lateat, tempus forte propediem explicabit. *Blumium* vna reuerſurum fama eſt cum *Wallendorſio*. Is vbi tandem pedem ſit fixurus, necdum liquet. Proxime plura ſcribam, Deo volente.

CXCIII.

Conringii iudicium de *Crucibus Neapolitanis*, *quæ ibidem ſupra veſtes hominum comparuerunt.*

Helmſt. d. 5. Iul. 1661.

Libellum *D. P. Kircheri* ſimul accepi, inuitante et argumenti raritate, et celebritate auctoris, perluſtraui. Placet ille omni ex parte. Quamuis raræ ſint illæ cruciformes apparitiones; ad cauſſas tamen mere naturales queunt referri, niſi quæ circumſtantiæ iubeant cogitare de vi maiore. Perinde ſcilicet hic res ſeſe habet atque de multis aliis, quæ et a natura pariter et ab arte fieri poſſunt: quæ proinde, quando ſunt facta, non ſemper ſolius naturæ opificio poſſunt, aut debent tri-

bui; ſed interdum et arti ſunt ferendæ acceptæ. Id quod faciendum eſt, quando circumſtantiæ rerum illæ ſunt, vt a ſola natura nequeant proficiſci. Quod humana autem ars eſt reſpectu artefactorum, id eſt vis diuina aut Angelica reſpectu nonnullorum, quæ, abſque illis circumſtantiis ſupernaturalibus eſſet, mere eſſent naturalia. Cruciformia autem corpuſcula tenuiſſima oriri, nihil habet a naturæ viribus magis alienum quid, quam illa, quæ contingere videmus in niuibus, in cryſtallis, in ſalibus aliiſque anima carentibus rebus. Eſt tamen, fateor, difficilius nonnihil expeditu, cum figura certa corporum animatis fere ſit propria, quæ cauſſa ſit certæ figuræ in corporibus inanimatis. Ego iamdudum libro *de fermentatione ad* § *114.* meam ſententiam propoſui, nec hodieque illam muto. Quæ *Athanaſius Kircherus* hic habet, non improbo tamen. Poteris etiam legere, quæ de figura hexagona niuis diſſerit iuxta ſua principia in Meteorologicis *Carteſius*. Quæ in niue autem, eadem et in pruina nonnunquam occurrunt, vbi et cruces varias licet intueri. Probe autem obſeruandum, haſce cruces cum ea, in qua Saluator noſter eſt paſſus, non con-

ue-

uenire etiam figuræ ratione. Hæ scilicet decussatis constant lineis æqualis longitudinis hunc in modum ; at illa Romanorum crux ex stipite composita fuit, et ligno arrectario, stipitis summæ parti annexo  Quemadmodum igitur alia quæuis decussata non sunt veræ cruces Romanæ (quamuis *Tertullianus* in *Apologetico*, alibique Patres alii similitudinibus istis glorientur); ita nec hæ. Id quod ideo obseruari meretur, ne temere cum vulgo opinemur, natiuis hisce crucibus significari Romanas illas, quas Passio Saluatoris adeo euexit in venerationem, cum sint figura ipsa plurimum diuersæ. Eapropter non etiam talibus crucibus aliquid portenditur sacrum. Sed et non video, qui possint talia phænomena portentis diuinis accenseri. Cum duo scilicet sint signorum genera, alia naturalia, alia arbitraria; cruces vtique tales non sunt signa naturalia. Arbitraria vero signa intelligi nequeunt, nisi accedat explicatio eius, cuius arbitrio signa illa valent: vt characterem *A* nemo intelligit absque interpre-

te. Eſt autem hoc commune omnibus ſignis arbitrariis, quamuis ſint res naturales. Sic iridem nemo nouit ſignare gratiam illam diuinitus promiſſam de nullo inpoſterum futuro cataclyſmo, niſi qui illud ex ſacris monumentis didicerit. Iam vero non reuelauit nobis Deus, apparentes ſparſim cruces eiuſmodi quidquam ſignificaturas; cum tamen ex ſolius Dei arbitrio deberent valere et portendere quidquam. Nihil itaque illæ nos docere aptæ ſunt, ac proinde nec a Deo in ſignum conſtituuntur, cum Deus vtique non velit vanis ludibriis agitari nos *. Vt redeam ad initium epiſtolæ, placet mihi libellus *Kircheri*, ſi paucula excipias; minoris tamen momenti. Quam meam ſententiam ſi itidem probauero ſapientiſſimo Domino Electori, impenſe equidem mihi gratulabor. Quid *Wallendorfius* ſit allaturus, mirabor equidem, præter illam tranſlocationem *Deputationis*. Gaudeo vero ſtare Eminentiſſimi Principis animum firmiter, Deumque obſecro, vti bono Germaniæ perſtet ille in annos plurimos, tuo ad-

* Haud paullò felicius cum ex eiuſdem generis propoſita quæſtione ſe extricauerit *Conringius* alio tempore, ſcenam aperimus, qualem in literas relatam inuenimus.

adiutus prudente consilio. In nostris Principibus, præcipue in vere *Augusto* nostro, scio nunquam desideratum quidquam iri in publicum salutare.

CXCIV.

Dissimilis *Conringii* responsio ad ineptam Generi epistolam.

Generi Epistola.

Besekovv d. 13. April. 1678.

Hoch-Edler, Vest vnd Hochgelahrter,
Insonders Grossgünstiger, Hochzuehrender Herr Vater.

Ich habe mir bißher offt vorgenommen an Hochgeehrte Eltern zu schreiben, vmb zuförderst Deroselben Zustandes Nachricht einzuholen, welcher doch verhoffentlich erträglich seyn wird. Dann auch vmb zu berichten, daß ich den 23. Februarii im hiesigen Haußgarten ein Goldstuck von 2 thlr. gefunden, welches mir in etwas wegen der Vmstände bedencklich fürkommet. Bin aber allezeit verhindert worden, vnd hat das Schreiben müssen nachbleiben. Thue es aber hiemit, vnd bitte zugleich das lange Stillschweigen nicht in vbelen zu

vermercken, auch, so bald es seyn kan, uns von erwünschten Wolergehen erfreuliche Nachricht ertheilen zu lassen: so es auch Hochgeehrten Herrn Vater nicht zu entgegen, das Recept wegen der Krebsbutter zu übersenden, gestalt der bewuste Patient gross Verlangen darnach träget. Es schreibet zwar Mhhl. Vater in Seinem letzern, dass hiebey das Recept zu empfangen: habe aber nichts gefunden; wird also seyn beliegen blieben.

Mit dem Goldstück verhält es sich also: Da ich bemelten 23. Febr. war der Sonnabend vor Reminiscere, mit meinem Herrn Diacono auss der Beicht-Vesper gieng, fragte Er, was wir gutes neues? Ich antwortete: nicht viel vom besten; die Frantzösen hätten noch immer stattliche Progressen, und wann dem Glauben beyzumessen, da man vorgiebet, die Jesuiten sollen mit unter dem Hütlein spielen, und einen Frantzösischen Kayser verlangen, der militarisch, mächtig und mit Gewalt die Stiffter wieder an sich bringen könte; so dürffte man wol bald eine grosse Veränderung haben. Respondebat: Er wolte ein solches nicht hoffen. Darauff giengen wir von einander. Ob ich mir nun schon vorhin vorgenommen, ich wolte biss 6. auff meine Predigt meditiren; so konte ich doch

mei-

meine Gedancken nicht beysam behalten, wegen der Reden mit besagten Herrn Diacono gepflogen: Liess mir also etwas Brod und einen Trunck Bier von meiner Iungfrauen reichen, und resolvirte mich umb Glock 4. zu Bette zu gehen, und umb 10. wieder auffzustehen. Immittelst hatte ich unter allerley Gedancken auch etwan diese: Wird der König in Franckreich Kayser, so wirds freylich die Stiffter gelten, und dürffte gar auff eine Reformation hinaus lauffen; so wären dann die Lutherischen Priester übel daran, und wird die Rey auch an dich kommen, dass du wandern must: doch möchte es nicht so gehen, wie es der König in Franckreich im Sinne hat etc. Unter solch und dergleichen Gedancken, dabey ich recht von Hertzen betrübt war, als ich mein Brod, und trunck mein Bier, und wolte gleich zu Bette gehen. Weil es aber noch Tag und lieblich Wetter war; sagte ich zu meiner Haussfrauen, Sie solte mit in den Garten gehen, ich wolte ihr einen Fleck anweisen, den sie die Mägde zu Melonen solte graben lassen. Damit giengen wir beide in den Hauss-Garten, und stunden bey einem Ruck, der schon gegraben, und besahen den Regenbogen, der

ſich eben damals am Himmel zeigete. Wie vvir nun alſo ſtehen, ſiehet ſie etvvas rundes auff der Erden liegen; in Meinung aber, daſs es das Oberſchäligen von einer Schnecke, damit ſonſt ihr Hauſs geſchloſſen vvird, kehrte ſie ſich nichts daran. Gleich darauf vverde ichs gevvahr, vnd ſahe ſo fort, daſs es ein Ducaten, *hebte ihn auff, vnd ſagte: Nun vvill ich zu Bette gehn; ich habe vvas ich haben ſoll: Zeigte ihr den Ducaten. Darüber ſie hefftig erſchrack, vnd fragte, ob ich mich nicht auch erſchrocken hätte? Nein, ſprach ich, vvarumb vvolte ich erſchrecken? Vnd vvann ihrer ſchon mehr vvären, ſo vvolte ich doch nicht erſchrecken. Ich ſahe mich hierbey nach der Vberſchrifft vmb; kunte ſie aber nicht zuſamm bringen, vveil es alte Litern oder Munchen-Schrifft: giēng darauff auff meine Stuben, vnd kleidete mich aus. Nachdemmalen es aber noch etvvas liecht, ſprach ich zu meiner Liebſten: ich vverde doch nicht ehe mich legen, biſs ich die Schrifft geleſen. Nun vvar es eine Frantzöſiſche Crone, vvie der Goldſchmidt ſaget: ich aber halts fur einen Ducaten, vveil es ſchön Gold vnd das Ducaten-Gevvicht hatte, mit 3 Lilien auff einer; auff der andern halb, ein Creutz. Vber den drey Lilien ſtunde:*

FRAN-

FRANCISCVS DEI GRATIA, FRANCORVM REX. *Vmb das Creutz aber folgende Wort:* VINCIT. *Xps.* REGNAT. *Xps.* IMPERAT. *Xps.* *Habe ich mich nun vorhin nicht erschrocken; so erschrack ich bey Lesung dieser Wort wvarhafftig so sehr, dass mir zu Muthe, alss wvürde mir ein Zober voll kaltes Wassers vber den Leib gegossen, vnd sagte zu meiner Liebsten: Dieser Fund bedeutet wvol nimmer etwvas gutes; kunte auch die gantze Nacht nicht ruhen, vnd hatte zu schaffen, dass ich meine Predigt zusam brachte. Ob ich mir nun schon vorgenommen, niemand kein Wort dauon zu sagen: so muste ich doch gegen mehr besagten meinen Herrn Diaconum heraus gehen bey solcher Occasion. Gleich den Sonntag darauff nach der Früh-Predigt sagte Er zu mir: Es hat mir diese Nacht etwvas geträumet; wvill nicht hoffen, dass es einen Streit zwvischen vns bedeuten möchte. Das wvar nun dieses: Es hatte Ihm geträumet, wvie wvir Geld mit einander gefunden, vnd dauon habe Er sonderlich ein schönes Silberstuck bekommen. Darauff antwvortete ich Ihm: Ich hätte gefunden; aber Er nicht: Seins wväre ein Traum; meines, wvas ich Ihm erzehlen wvolte, hätte sich wvarhafftig begeben; vnd hiemit erin-*

 ner

nerte ich Ihn des gestrig gehaltenen Gesprächs, vnd vvas ich vveiter für Gedancken gehabt, vnd ich den Fund darauff gethan hätte.

Nun ist es vvol all vvunderlich. Der Sonntag vvar Reminiscere: die Gedancken giengen auff den Frantzosen: das Geld ist Frantzösische Muntz: die Vberschrifft ist allerdings nach des Königs *inFranckreich seinen Sinn: dann ich je nicht zvveiffele, dass Er gerne* Kay*ser vväre, vnd seine dessein dahin anstelle. Der Traum, der zugleich selbe Nacht mit eingefallen, ist auch nicht zu vervverffen: vvo der Ducaten muss herkommen seyn, vveis ich nicht: ich habe dergleichen in meiner Gevvalt nicht einen einigen gehabt: so kan er auch nicht in der Erden gelegen seyn, dann er vvar gantz blanck vnd sauber: dass Gott solte mir vvas dadurch offenbahren vvollen, da achte ich mich nicht den Mann darnach, alss der ich hierzu viel zu vnvvürdig. Ob der Teuffel sein Gauckel-Spiel darunter, ist schier mehr glaubig, vveil er gern den Leuten eine Nase drehet, vnd Furchtsame gerne noch mehr furchtsam machet, oder vns gar hirunter in einen Verdacht zu bringen gedencket, gleich vvären vvir gut Frantzö-*

sisch

*ſiſch * geſinnet, vveil vvir dergleichen ausgeben; vvelches doch viel nicht glauben vvürden. Aber ich habe es, auſſer dem Hr. Diacono vnd Hrn. Amptſchöſſern, noch keinen einigen Menſchen vertrauet; vverde es auch ehe nicht vveiter von mir ſagen, bis Mhhl. Vaters Iudicium ich erſt daruber vverde vernommen haben. Sonſten ſind vvir, Gott lob! vvol auff. Der gütige Gott verleihe, daſs vvir von Hauſs dergleichen vernehmen. Der Hr. Ampt-Schöſſer vvartet auff Gelegenheit, bey der erſten vvieder 100. thlr. zu ſenden. Immittelſt vvird HHl. Vater gebeten, M. Andreas, ſo er etvvas bedürfftig, auſszuhelffen; an guter Bezahlung iſt nicht zu zvveiffeln, maſſen ich ſelbſt dafür ſtehen vvill: nur daſs ihm nicht zu viel auf einmal abgefolget vvird, immaſſen der Geſchvviſtrich viel, vnd der Vater ſo nicht den Nachdruck geben kan, vvie das Söhnigen vvol meinet. Es wird ihn auch der Vater nach Pfingſten durch einen eigenen Wagen vermuthlich abholen laſſen, mit welcher Ge-*

---

* Socer talis eo tempore fuit, licet erga generum id diſſimulauerit.

Gelegenheit auch meine Liebste zum vvenigsten, vvo vvir nicht beide, vberkommen, vnd hochgeehrtesten Eltern eine Visite geben dürfften. Immittelst dieselbe befehlend dem allgevvaltigen Schutz Iesu Christi, vnd ich verbleibe nebst schuldigsten Gruss Meines Hochzuehrenden Herrn Vaters zeit Lebens gehorsamer Sohn, Paul Priefer.

Conringii Responsio.

Helmstad. d. 26. April 1678.

De iis, quæ ex literis tuis hodie mane de *aureo* inuento intellexi, sententiam meam, quia ita vis, statim significabo. Nummum ipsum quod attinet, miror inscriptum esse literis, quas *monachales* vulgo appellamus, cum mihi sit ad manum aureus Lvdovici XII. Regis, qui bene formatis characteribus refert verba ista: Perdam Babilonis nomen: cum item *Franciscus* Rex fuerit elegantiæ perquam studiosus. Illa porro formula: Christvs vincit etc. vsitata quidem iam fuit seculo Christiano nono in Litaniis sacris Ecclesiasticis vniuersi Francorum Regni, atque adeo et in Germania, quæ tunc audiebat *Regnum Francorum Orientale*; a Rege autem *Francisco* in-

nu-

nummis fuiſſe vſitatam; hactenus non audiui. * Nec tamen dubito, *Franciſci* nomen recte abs te eſſe lectum. Si ad manum tibi fuerit mea Cenſura Diplomatis Lindauienſis, poteris obſeruare *Capite XV.* illam, quam dixi, formulam, CHRISTVS VINCIT. CHRISTVS REGNAT. CHRISTVS IMPERAT, Litaniis adhiberi ſolitam iam olim. Ac proinde hactenus quidem illa nihil praeter ſolitum fuit ſignificatum, etiam in iſthoc tuo aureo. Circa inuentionem illius nummi, fateor equidem, nihil me deprehendere ominoſum aut diuinum. Similes enim inuentiones frequenter ſatis contingunt forte fortuna. Quantumuis enim de nimium felicibus progreſſibus Gallicanis fueris ſollicitus, cum aureum iſtum inuenires, et celebranda proxime eſſet Dominica *Reminiſcere*; per accidens tamen et caſu eiuſmodi ſolent paſſim contingere. Quin igitur praeſentia potius attendere oportet, et Deo agendae gratiae, quod praeter omnem ex-

* Poſt tempora Conringii Dn. *Leblancus p. 264.* ſex huiuſmodi *Franciſci I.* aureos ſpectandos exhibuit, in quibus ordine ſecundus per omnia conuenit cum deſcriptione *Prieſeriana.* Habentur praeterea huius generis tres in *Numophylacio Molano-Boehmeriano Part. 3. p. 69.*

exſpectationem te aureo iſthoc quaſi donare voluerit. Si nihilominus etiam in futurum voluit te Deus inuentione iſthac admonere; equidem arbitrator, in id inuentum abs te nummum iſtum, vt *Reminiſcaris* liliorum, in campis naſcentium, quæ exemplo ſuo nos commonefaciunt, non oportere nos cura rerum futurarum multum angi. *Reminiſcaris* item, dum *Chriſtus vincit*, *Chriſtus regnat*, *Chriſtus imperat*, non eſſe fas a ſeculi potentia Eccleſiæ quidquam metuere aduerſi. *Reminiſcaris* denique tu cumprimis, poſſe te ſecuro eſſe animo ſaltem in domeſticis rebus, cum ipſis Gallicanis aureis vltro oblatis illæ adiuuentur. Non eſt ſane, cur inuentione illius quidem aurei quidquam ſiniſtri a Gallo portendi Eccleſiis noſtris, aut etiam reipublicæ arbitreris; ſed omnia potius felicia. Si ſane Regis *Franciſci* fortuna debeat huius *Ludouici* ſortem ſignificare; breui omnis huius bellica felicitas deſinet in grauem miſeriam non minus, atque illius res initio proſperæ poſt mutauere. Dum porro, non qui *Chriſtianiſſimus* audit, ſed ipſe *Chriſtus vincit*, *regnat*, *imperat;* LVDOVICI *victorias*, *regnum*, *imperium* poſſumus comtemnere, ratione cumprimis Eccleſiæ. *Ein veſte Burg iſt vnſer Gott* etc. Ieſuitas

ſal-

ſaltem quam multos, imo et alios Papiſticæ cohortis Zelotas, optare *Ludouicum* Imperatorem, non quidem dubito etiam ego, haud ignarus præſertim, quam illi exultauerint, cum in Batauis initio omnia ex voto Gallis ſuccederent. Certus autem ſum, ne quidem Papam idem cum ineptis iſtis Zelotis optare; multo minus quenquam Principum Germaniæ, quamuis partium Papiſticarum. Sed et in illis votis nihil omnino eſt præſidii collocatum rebus Gallicanis. Itaque riſum et exſibilationem magis merentur, quam ſollicitudinem. Hæc mea eſt, Gener optime, de aureo tuo ſententia. Quapropter gratulor tibi repertum illum nummum, imo, vt maiores atque opimiores theſauri tibi obtingant, Deum precor. Vale autem ac ſalue plurimum cum vxore aliiſque amicis.

Tuus affectu Pater *H. Conringius* D.

Inſcriptio literarum:

Perquam Reuerendo, Nobiliſſimo Doctiſſimoque Domino Paulo Priefero, Eccleſiarum Beſekouienſium Inſpectori, Genero meo longe cariſſimo.

CXCV.

Boineburgius mittit *Lionei* reſponſum, pugnat pro præcipuo Electorum iure, et denuo ad ſacram controuerſiam delabitur.

Fran-

Francofurti d. 1. Iul. 1661.

Inclufas a *Lioneo* nudius tertius accepi, quas mitto impræfens. Ignofces homini occupato, quod et iufto ferius et negligentius debito refponderit. In meis, primo Iulii datis, ita fcribit: *J'avois receu quelques jours auparavant les exemplaires des livres de Monf.* Conringius, *qui ont fait du depuis ma plus ordinaire lecture aux heures, que mes occupations me permettent d'y employer. Il y a dans cet ouvrage à fe divertir et apprendre beaucoup. Je vous addreffe toute ouverte la refponce *, que je fais à ce grand homme. Je vous prie de la faire cacheter apres l'avoir lue et d'y faire mettre la fubfcription de fes qualitez, que je ne fçay pas.* Sub harum vmbra potui labori obfignandi et fuperfcriptionem allinendi parcere, ni fallor. Vbi liber de ciuili prudentia abfolutus fuerit, quæfo, mitte geminum mihi eius exemplum, vt vnum *Lioneo* mittere poffim, qui eum auide etiam exfpectat. Videtur is liber tandem

* Præfixa quidem iteratæ editioni Anti-Machiauellicorum hæc epiftola fuit, vnde et legitur *Oper. t. 2. p. 982.* Quia tamen illic aberratur nonnihil ab autographo; non piget eam hic fincerioreın et correctiorem dare.

dem ſerio proditurus, vti tuæ, poſtremum nempe 22. Iunii ſtili veteris ſcriptæ, indicant. De bibliotheca Auguſta perinde mittam proximo mercatu **. *Lampadiana* et ille, et Eminentiſſimus Elector, qui te ſalutari iuſſit, cupide exſpectant, neque hic ægre fert, veritatem priſci ſtatus exponi lucide, et affectatas illas oligarchicas nouitates redargui. Non putem vero tibi perſuaſum eſſe, vt quidam rerum inſcientes ſibi perſuadent, Electoribus nihilo plus iuris præter Electionem in reipublicæ adminiſtratione competere, quam ceteris Statibus, cum ad oculum pateat, magnam eſſe differentiam inter efficacitatem ſeptem votorum parem cum ſeptuaginta vel octoginta ***.

Ce-

** Scilicet in Galliam ad *Lioneum* mittere in animo habet *Conringii* epiſtolam de bibliotheca Auguſta.

*** In ſcriptum redegit *Boineburgius* prærogatiuas Electorales XXVI. quas ex *Bœcleri notitia Imper. l. 6. c. 2* in inſtitutiones iuris publici ſuas tranſtulit *Vitriarius lib. 3. tit. 8.* Quæ ibidem *tit. 10.* de XXXII. iuribus Moguntini ſingularibus traduntur, ex eiuſdem libri Bœcleriani *c. 6.* deſumta, ex Boineburgicis ſchedis itidem hauſta ſunt.

Ceterum tu hæc recte interpretaberis, quo ſane nemo talia rectius intelligit. Te duce ac magiſtro cum voluptate diſcimus. In ſacris quod adſcribis æſtui meorum negotiorum, rectius ego tuæ in rebus fidei *nimiæ* (indulge verbulo) *obſtinationi* imputauero, quæ quippe facit, quo minus præſertim tu poſſis ſoleaſue ad ea, quæ a me et aliis me melioribus maioribuſque, Walenburchiis et reliquis Doctoribus, proponuntur, animum aduertere. *Vicedeatu* tuo non ſecus, ac mali Aduocati nonnullis formulis, ſponte abuteris. Si cum *Honorato* facis, bene eſt. At is, miſſis *Hildebrandinis* placitis, et Curiæ erroribus eorum curæ et autoritati, quorum eſt, relictis, cum Epiſcopo Romano communicat. Prauos mores ſchiſma in eccleſia imperare poſſe, nunquam aſſeret quiſquam intelligens in Proteſtantibus. Non eſſe fas in partem venire factionis, quæ euertere rempublicam nititur prauis facinoribus et ſententiis, certum eſt; vti nec fas eſt, cœtum Chriſtianum colere cum iis, qui ſalutarem fidem improbis ſuis commentis diruunt. Vtra autem pars hoc faciat, patebit ex inſpectione cauſſarum ſchiſmatis veſtri, ſi eas cum *Walenburchio* expendere voles. Vbinam, ſodes, commenta eiuſmodi indu-

xe-

xerunt ſancti Patres? Oicumenica Concilia? Vltro cœcutiunt, qui, pro tuendo ſchiſmate ac fugienda vnitate, vnius aut alterius errorem vel ignorantiam arripiunt, idque toti corpori imponunt. An negligenda ſtudia philoſophica, quod *Ramus* aliiue ineptierint? Aies: Non ero Ramiſta, ſic neque Papiſta; ero autem Chriſtianus. Si per *Papiſta* Curiæ vitia intelligis, recte habet. Sed in vnitate fidei, caritatis, obedientiæ in nauicula et communione *Petri* eiuſque ſucceſſorum ſit oportet, qui ſaluus fieri cupit. Id quod perfacili negotio demonſtrari poteſt. Quod cum iis communicare non vis, qui malis moribus ſunt, recte facis, ſi talium ſocietatem fugias. Si ideo in ſchiſmate manes, *catharum* hoc olet. Si porro extra vnitatem te Chriſtianum eſſe poſſe credis, ex eorum eris numero, contra quos ſcribit *Honoratus*, et vereor, vt Proteſtantium doctiſſimi illis eximi queant. Manet ſane inconcuſſum illud vetus: *Cur ſeceſſiſtis?* Iam vero miſer *Tertullianus* iterum vapulat. Vellem ex eo probari paganiſmum a quoquam. Ille ſic infit: Vos Marcionitæ! vos reliqui nouatores, Chriſtianos vos dicitis; et veram penes vos eſſe eccleſiam. Aio, imponere vos hominibus. Fuerunt Chriſtiani ante veſtra

ſomnia. Erant et ante vos hæretici. Illi Chriſtiani veram eccleſiam conſtituunt, qui continua ab Apoſtolis ſucceſſione ad nos vſque peruenerunt, docuerunt, cœtum fecerunt, a nullo alio anteriore diſceſſerunt: illis concredita ſunt Chriſti chariſmata: illis adeſt paracletus. Vos ex alio patre eſtis. *Tertullianus* videlicet argumentatur, ſuppoſito Chriſtianiſmo. Quis inde probabit paganiſmum? Si quis paganorum, talem ſe aſſerens, nouos Deos ſine Senatus Conſulto induxiſſet, aut receptos reprobaſſet; recte ei a pagano obiici quitum fuiſſet: tu ſacra polluis; non ſic noſtri maiores ſtatuerunt. Apage! Contra Gentiles Patribus alia argumenta ſuccurrerunt; in alio enimuero genere. Alioqui an non iidem contra hæreſes iiſdem argumentis vſi ſunt? Oſtendite nobis ſucceſſionem Epiſcoporum, clamant *Auguſtinus*, *Optatus*, omnes. Si quando ad ipſos Ethnicos Philoſophos prouocarunt, qui veritatem huius vel illius conſequentiæ diiudicarent, an non initio propoſuere: ambo nos dicimus Chriſtianos; in his et his conuenimus; hic modo hoc affirmat, negat ue; ego alterum. Non dubium, viciſſe Catholicos ex hypotheſibus Chriſtianis. Sed hæc hactenus. Liber de fide Græcorum eius epiſtolæ

cauſſa,

caussa, quam tu adiecisti, erit pergratus. Attulit secum quædam *Allatii Blumius*, quæ conabor vicissim mittere. *Viotti* de demonstratione vbi tam diu hæret? Sed terminanda scriptio est isthæc. Auocor enim ad alia. *Wallendorfius* pristinam cramben recoquit. Prima quoque responsa feret. Maxima potissimaque sui ad nos reditus ipsi videtur caussa fuisse domesticarum rerum curatio, et corporis in acidulis. A Cæsare attulit literas priuatas; at sine caractere Legationis solemnis. Comitiorum lautiores et solito ampliores spes facit. Quæ tandem promotum iri serio, non est diffidendum. Translationem interea mallent Aulici insidiosissimi; sed fraus nimium liquido pellucet. Eminentissimus Elector legitimo loco se amoueri non sinet. Vobis paria esse iudicia, confidimus. Latet enim sub hac translocationis perenni machina, quam agitant rerum in Imperio nouatores, infinitus malorum suggestus. Ea obtenta, non Statuum vnitatem, sed Electorum in id modo consensionem, vt lites ferantur, intendunt. Qui rem omnem putat recta via, et aliquanto consideratius, næ! is vltro reperiet multa fœda, quæ ex illa translatione suppullulant. Digna tuo stilo commentatio, vbi in *Lampadio* de *Deputationibus* agitur.

CXCVI.

Hugonis Lionei epistola, qua *Conringianae p. 512.* exhibitae respondet.

Munus libri tui, praestantissime *Conringi*, accepi, ex quo memoriam mei vigere apud te, et video, et laetor. Tu et tua mihi semper magna. Auide legi et perlegi. Omnia me intellecturum, minus arbitraturum, ne existima. Nos enim, qui ab vsu quotidiano atterimur, incrassamus * illa politica. Tu altius subuolas. Vides, peruides, subtilia quaeque. Quam multa noua, quam multa vetera depromis ex tuis fontibus? Ad quod video magna tibi duo adesse auxilia, ingentem in euoluenda antiquitate diligentiam, et limatum iudicium. Quid dicam aliud? Inuideo illis, quibus coram te vti fas est. Sed cum adductum me dico late diffusa tua eruditione, vt te, quanti facio, faciam, nihil dico, nisi quod cum tota Germania, quam illustras, commune est, imo cum sparsa praeclara omnia amantium vniuersitate. Quantum ad *Machiauellum*, quem elegisti, cum quo luctareris, ex magnitudine aduersarii laudem asse-

* Id est, *crassa* vel *pingui Minerua tractamus illa politica.*

affequeris, cui tamen per candorem tuum nihil detrahis, multum ab illis remotus, qui, quoties nobis figurare virum pessimum volunt, ponere solent *Principem Machiauelli*, tanquam ex obdurato probitatis et legum omnium contemptu, ex dolis malis et perfidia per longam scelerum consuetudinem conflatum: quæ certe non fuit illius mens. Sed hæc latius exsequi, tuum est. Meum autem, gratias agere, quod frontem libri tui nominis nostri præscriptione honestare volueris. De tutela autem, quam a me mutuaris contra calumniam et liuorem, sicut illi, qui Insignia ædibus appendunt contra vim aut proteruiam, non indigent præsidio nostro tot monita et exempla politica, quibus tua pagina scatet. Tanta luce eloquii tui et ingenii perfusa, a solerti tua manu et arte polita, firma valent per se. Tu vale in animis hominum, fama rerum, et tua opera in æternitate temporum.

Datum in secessu Fontisbellaquei ** pridie Kalend. Iul. anni 1661.

Promptissimus Seruitor
Hugo Lioneus.

CXCVII.

** Doctiores Galli pro *Fontebellaqueo Fontembriaudi* scribunt, quia veterum monumentis con-

CXCVII.

Conringius Electorum prærogatiuam agnoſcit, Auli-

conſtat, eo loco, quo nunc caſtrum hocce ſitum eſt, villam fuiſſe, quam a poſſeſſore vel conditore *Fontem Briaudi* appellauerint. Vulgus autem *Fontainebrieau* paullatim in *Fontainebleau* et in neſcio quem *Fontembellaqueum*, quaſi *fons a bella aqua* dictus ſit, mutauit. Tota hæc epiſtola *Hugonis Lionei* manu ſcripta eſt; compoſitam autem ab alio, et quidem, ſi diuinare fas eſt, a *Io. Capellano* crediderim. *Hugo* enim ipſe bellæ latinitatis expers fuit; ſcribendi facultate in vernaculo ſuo idiomate pollens, teſte *Boineburgio* ſupra *epiſt.* 147. Ceterum ad fata viri, præter ſuperius dicta, pertinent quoque, quæ de initiis fortunarum eius narrantur in *Sorberian. p.* 173. *L'Abbé* Quillet *étant à Rome, et frequentant la maiſon de l'Ambaſſadeur de France, qui étoit le Marechal d'E*ſtrées, *il y entra pour Secretaire de l'Ambaſſade par le décez d'un autre qui y étoit. Cette place fut briguée par Mr de* Lionne, *ſur lequel il l'emporta, et de* Lionne *ſe jetta au ſervice de Mr.* Mazarin *faute de meilleur employ, et au refus de* Quillet, *qui choiſit et prit le pire: ainſi que l'evenement l'a verifié. Car* Quillet *eſt mort ſans avoir davantage avancé ſa fortune, et de* Lionne *eſt monté heureuſement aux premières charges de l'Etat.*

licos Vindobonnenſes taxans, et religionis cauſſa ipſum *Boineburgium.*

Wolffembutteli d. 9. Iul. 1661.

Vix ingreſſus eram Wolffenbuttelum, cum plurimum exhilaratus ſum literis et tuis pariter et Illuſtriſſimi *Hugonis Lionei.* Non egent hæ vlla tuâ excuſatione, cum ſciam, profectas eſſe a viro ſummis negotiis occupatiſſimo. Potius miror, potuiſſe illum horas aliquot perluſtrando libello impendere inter tot occupationes. Impenſe certe gaudeo, placuiſſe ſtudium viro tanto. Vbi prodierit liber de ciuili prudentia, ex conſilio tuo mittam et eius aliquod exemplar. Illud argumentum iam incipio denuo voluere, certus, perductum iri vno quaſi impetu ad finem; etſi ſuperſit pars illa omnium pene difficillima, quæque maxime eſt obtrectationibus obnoxia, cenſura ſcilicet ſcriptorum omnis æui, quæ ad politicam poſſint prudentiam facere. His abſolutis, demum *Lampadiana* aggrediar iuſta cura. De auctoritate *Electorum* abſit, vt tam abiecte ego ſentiam. Fuerunt illi iam quadringentos amplius annos primarii *Senatores Imperii*, eo ſcilicet loco, quo in Polonia et Suecia ſunt, qui *Regni Senatores* appellantur, quibus proinde fas fuit, extra etiam Comitia omni-

 um

um Imperii Ordinum de minoribus Imperii negotiis cum Cæsare aliquid constituere; de maximis vero præconsultare. Nisi fallor, hanc sententiam potero probare et Eminentissimo Principi Electori, vtpote cuius sapientia et moderatio mihi comperta est. Si tamen etiam sic falli me existimaueris, libentissime abs te instrui me patiar. Interim rogo, commendare me pergas summo Principi, quem non minus ob virtutem et sapientiam, quam maximam dignitatem, veneror. Deus illum nobis seruet in annos plurimos! Ita enim mihi persuasi, saluam fore rempublicam, illo Principe superstite. *Wallendorfium* hoc agere, quod acturum suspicabaris, et ego iuxta tecum doleo equidem. Non dubito autem, sapientissimum Dominum Electorem fortiter sapienterque, vt semper, illis ineptis molitionibus sese oppositurum. Fiat! Fiat! Vidi hic, et cum stupore legi, quæ Aulici isti Austriaci Deputatis ordinum Regni Hungariæ proponere non erubuerunt. Turcam præ foribus habent, aut certe dicunt sese habere, eoque reapse opus nunc quam maxime est populi Hungariæ beneuolentia et amore erga rempublicam, qualis illa est hodie. Hi tamen nudata fronte audent hac ipsa difficili tempestate et omnes offendere, et cumprimis omnibus Vrbibus et Euangeli-

gelicis iustam pessima quæque suspicandi caussam præbere. Hoc vero est sapere?

In Theologicis grauiter te falli, tantum quoniam præ occupationibus minus iusto iis intendis, non possum non iudicare. Egone dixerim, inter Ecclesiam Romanensem et Euangelicam caussam schismatis esse solum *Vicedeatum papalem*, cum toties affirmauerim, etiam libris editis, multos Romanensium *Vicedeatum* illum non admittere? Hoc volo, neminem salua conscientia posse in vera vnione Ecclesiæ viuere, si *Vicedeatum* non agnoscat, cum iis, qui illum adorant. Hoc ipsum ego demonstraui in *Concussione* mea, approbantibus omnibus meis aduersariis. Tentet quis alius, num id possit confutare! non declamationibus, quibus tu, Amice, potissimum agis; sed per solidas argumentationes, ceu fieri par est in seria veritatis disquisitione. Cum *Tertullianus* hæreticorum nouitatibus opposuerit talia, quibus possit et pagana religio sese defendere, vtique peccauit contra æternas regulas disputandi. Debent enim principia disputationum ita sese habere, vt ex illis nihil falsi deduci possit. Quod autem Pagani et Muhamedani possint sese tutari Tertullianeis argumentis, probaui ego in Responsione ad *Erber-*

bermannum *. Modo per negotia liceat tibi illa legere et examinare cum cura, non repeteres hæc adeo

* Sed hæc non ſatisfaciunt *Boineburgio*, qui per illam ad abſurdum deductionem tranſitum in aliud genus committi clamat *ep. 195*. Melius forte ex hac lite ſe extricaſſet *Conringius*, ſi iuriſprudentiam in conſilium adhibuiſſet, cogitaſſetque, *Tertullianum* Iuriſconſultum *præſcriptiones* appellare, quæ vulgo *præiudicia* vocantur, et operantur quamdam *præſumtionem*; præſumtionum autem omnium eam eſſe naturam, vt cedant veritati, hoc eſt, vt probationem contrarii admittant. Quemadmodum autem in iuriſprudentia genus quoddam præſumtionum auctoritate ciuili ſtabilitum eſt, contra quas nulla valet contrarii probatio, et quæ propterea *præſumtiones iuris et de iure* vocantur, qualis exempli gratia eſt res iudicata, contra quam, tranquillitatis publicæ cauſſa et ne lites ſint æternæ, nulla contrarii allegatio in foro admittitur, ſed quæ, quidquid contra iactaueris vel probaueris, pro veritate habetur; ita in ſacris quoque ad continendos in officio Chriſtianos ſubſecuto tempore adfectata quædam eſt falli neſcia auctoritas Pontificis, quæ, perinde ac res iudicata in ciuilibus, ex albo nigrum et ex nigro album faceret. At enim vero cum hanc ipſam pro articulo fidei catholicæ nullo

adeo ſæpe, et improbares. Argumentum illud, quod a ſucceſſione petunt veſtri, miror, abs te etiamnum vrgeri, prodita eius vanitate libello meo ſingulari, cui titulus *Defenſio Eccleſiæ Proteſtantium.* Quæſo te, lege cum cura: deſines omnino ficulnea illa laudare. Vale.

CXCVIII.

Boineburgius vrget reſponſionem, tranſlationem *deputationis* omni modo impediturus.

Moguntiæ d. 12. Iul. 1661.

Miror, te nihil reſcribere de *Silhonii* libro *, cuius bis mentionem in meis ſuperioribus feci. Mi-

lo in Concilio, nullo a Pontifice venditari, aſſeueret ipſemet *Boineburgius ep. 201. fin.* conſequens eſt, deficiente huiuſmodi in ſacris lege et falli neſcia auctoritate, non ſolum contra Tertullianeas præſcriptiones, ſed et contra aliud quoduis genus præſumtionum contrarii probationem eſſe admittendam, eoque probato vnam ſolamque triumphare veritatem.

* Et quid de libro ſibi non viſo reſcriberet Conringius? Agitur autem de libro, cuius *titulum* attulerat ſupra *p. 536.* et quem ipſe nondum e Gallia aduenisse dixerat *p. 573.* atque hic denuo confirmat.

Miror etiam, te ita diuturno me ſilentio mulctare, neque quicquam reſcribere, an acceperis catalogi *Hottingeriani* initia. *Silbonii* libellum ſpero me breui accepturum, cuius te participem facere non omittam. In publicis omnia me rectius forte noueritis. *Wallendorfius* nobiſcum adhuc eſt; at ſolito remiſſior in adurgenda illa infelici tranſlatione. In quam vt conſentiatur, nunquam nos adduci ſinemus, antequam certiora de Comitiis peruiderimus. Dummodo et reliqui, cumprimis Colonienſis ac Palatinus, firmi perſiſtant, et publici curam gerant, vti confido, operoſiorem. Vale, et me ama, tuiſque libris frequens recrea et exhilara.

CXCIX.

Idem tenax propoſiti in impedienda tranſlatione *deputationis*.

Moguntiæ d. 22. Iul. 1661.

Binas a te ſimul accepi. De Crucibus, quas *Kircherus* ita operoſe depinxit, proxime ſuam tibi vult ſententiam per me ſcribi Eminentiſſimus ipſe Elector. De publicis ſcito, omnia penes nos in priſtino ſtatu eſſe, nobiſque indies plura maioraque

raque argumenta obuia fieri, quæ dissuadeant translationem illam, Comitiorum pestem et præsentissimam necem. Neque nimis operiosus pro illa est ipse *Wallendorfius*, adeoque maximam nobis molestiam ac inuidiam non is, sed nostri Colonienses ac Palatini facessunt. Nihilo tamen omissior in tuendis Imperii iuribus Eminentissimus Elector Moguntinus erit, quanquam vel solus ex Electoribus remanere cogeretur, ne sic quidem se a Principum *Deputatorum* cœtu, et tam liquido iure, seiuncturus vnquam. Quod de *Busserio* recte iudicarim, gaudeo. De tuo libro prudentiæ ciuilis iterum siles. Quid debemus tandem de eo credere, vel sperare? Coloniensis Elector cis paucos dies hac transibit. Decretoria tum inter nos pugna erit. Certe Eminentissimus adduci se non sinet, vt per eiusmodi, quam nonnulli intendunt, inter status dissociationem, ac illegalem Electorum confluxionem, patriam nouis tricis et turbis inuolui otiosus aduertat. Qui oculis talia cernere idoneis cœcutire tamen malunt, næ! ii seuerum aliquando iudicium susserant necesse est. Plura modo adiicere non vacat. Vale, et me ama!

CC.

Conringius ſcriptum contra *Allatium* abſolutum nuntiat.

Helmſtad. d. 17. Iul. 1661.

Iam in alterum diem cum grauiſſimis doloribus colicis conflictor, et lecto ſum affixus. Quoniam tamen nonnihil leuaminis mihi videntur literæ tuæ, quas $\frac{22}{12}$ Iul. Moguntiæ exaraſti, præbere; reſpondeo, quamuis ægra manu. Ante omnia rogo, Eminentiſſimi Principis fauorem mihi porro conciliare ne graueris. Equidem ita ſentio, eius ſapientia et auctoritate magnam partem ſtare hodie Imperii tranquillitatem, cuius proinde conſiliis Noſtri Principes, quos inter nouiſti ſapientia item excellere illum vere *Auguſtum*, libenter adhæreſcunt. *Wallendorfius* non eſt multus in vrgenda tranſlatione, quoniam Aula iſta malit omnem Conuentum *Deputatorium* ſublatum e medio, vtpote aduerſum Monarchicis conatibus, et veretur fortaſſis, ne facta illa tranſlatione maior fiat conſpiratio et concordia Principum. Palatinum et Colonienſem miror, paſſos ſibi verba dari, nec attendere, quid agatur. Deus iuuet generoſa veſtra conſilia! Quæ cum tendant ad Electorum

ctorum cum reliquis Principibus conſociationem, non vero ad diſcordiam et horum illegitimam depreſſionem, non poſſunt non eſſe ſalutaria. De crucibus Eminentiſſimi Principis ſententiam * auide exſpectabo. Interea indubie iam acceperis meas, quas $\frac{19}{9}$ Iulii Wolffenbuttelo ad te dedi. Prodiit demum heſterno die *Confeſſio Græcæ Eccleſiæ*, per *Metrophanem*, Patriarcham Alexandrinum, conſcripta. Illi præfixa eſt mea quædam epiſtola prolixior, qua ſimul apologiam inſtitui aduerſus *Allatium* pro communi ſententia, non tam mea, quam Conciliorum plurimorum et Romanorum Pontificum, omniumque Doctorum Romanenſium, *de Eccleſiæ Græcæ a Romana diſſenſione*. Simul oblata fuerit occaſio, tranſmittam. Si per valetudinem licebit, hac ipſa hebdomade præfabor in vtiliſſimum opus *Bartholomæi Viotti* de *demonſtratione*, vt ſequente poſſim denuo aggredi librum de ciuili prudentia. Iniurius ſane in me es tuis ſuſpicionibus, quaſi otier ego, aut argumentum illud nolim ſuſcipere.

---

* Hæc obliuioni data eſt, aut epiſtola, qua perſcripta fuit, intercidit.

CCI.

Boineburgius **translationem *deputationis* nullam futuram nuntiat, et post magnum in sacro negotio zelum effundit.**

Moguntiae d. 5. Aug. 1661.

Debeo responsum ad plusculas tuas multiplex. Id, quod serius solito aduenit, adscribi debet et occupationum tot plaustris, quibus adobruor, et absentiae meae. Fui enim *Darmstadii*, cum funus D. Landgrauii GEORGII deduceretur. Tum Coloniensis Electoris aliorumque, et appropinquantis nunc Ducis *Neuburgici* iter, plurimaque superuenientia ac fortuita negotia, me adeo distrahunt et afflixerunt, vt vix otium scalpendis, quod dici solet, auribus satis amplum nancisci licuerit. *Deputationis* translationem iterum pure ac simpliciter *Wallendorfio* denegauimus, inque id adduximus Electorem quoque Coloniensem, vt se a nobis reliquoque coetu Francofurtensi nullo modo sit disiuncturus. Saltem ita res est nunc constituta, vt omnis *deputatorii* conuentus transferendi mentio abiicienda necessario sit; vnica vero Comitia perurgenda veniant. *Hassi*, *Wirtenbergici* et reliqui omnes, (*Palatini* res incertae sunt) nobiscum conueniunt. De Vestratibus minime

omni-

omnium eſt dubitandum. Librum tuum de ciuili prudentia vereor, vt morbus tuus multum ſit acceleraturus. Deus eum tollat morbum, teque diu florentem, incolumem et laboribus reipublicæ tam vtilibus aptum ſeruet! Lampadiana proxime ſecutura confido.

Nouellam tuam et ficulneam fidem quod ſpectat, illa ſane ceteræ tuæ eruditioni, quæ per eſt eximia et plane incomparabilis, eſt diſſimillima, vt merito mirer, te non aduertere, te in ſchiſmate degere, et nihilo melioribus niti fundamentis, quam reliqui ſectarii omnes. Recte ais, principia diſputationum ita ſe habere debere, vt ex illis nihil falſi deduci poſſit. Vos vero, quotquot eſtis, qui a communione cum Romana Sede ſeceſſiſtis, plane eadem habetis, et vos mutuo ac inuicem inſimulatis magnorum errorum, idque ex merito et vero. Num quod enim vobis, qui Helmſtadii ſchiſma incruſtatis, aliud ceteriſque ſectis haud perinde commune in promtu eſt, quo melius verbum Dei intelligere ac interpretari noueritis, quam illi, quos habetis pro erroneis, etſi Catholicæ Eccleſiæ pari odiorum acerbitate infenſis? Edic illud, ſi habetis! proloquere! Quid affert rectius hoc in genere *Lutherus*, *Calixtus*,

Kemnitius, quam, *Caluinus*, *Chamierius*, *Arminius*, *Socinus*, *Episcopius*? Nolo me immiſcere rebus, meum captum excedentibus, quales ſunt Theologicæ. Aſt pro cauſſa tam manifeſta, tam iuſta, ac eiuſmodi eſt ſacra hæc, vel infans philoſophari poſſet. Duo videris apprime in tuis voluere: primo, neminem ſalua animi religione in vera vnitate viuere, ſi *Vicedeatum* non agnoſcat, cum iis, qui eum adorant. Secundo, peccaſſe *Tertullianum* contra æternas diſputandi regulas, cum hæreticorum nouitatibus oppoſuerit talia, quibus et pagana poſſet religio defendi. Quod primum ſpectat, in Conciliis, in ſanctis Patribus *Vicedeatum* non reperies; nedum in profeſſione fidei, non nouitiæ, ſed priſcæ, plenius autem explicatæ occaſionibus datis, quales *Vincentius Lerinenſis* memorat. Quei igitur ob confictum hunc ac commenticium *Vicedeatum* vnitatem deſeret *intelligens*, et ſanus quiſquam vinculum pacis dirumpet? Notum eſt, ſtolidos nonnullos gloſſatores, maxime Canoniſtas, delirare hunc in modum non ſemel; ſed longe maior et melior meus mihi eſt *Conringius*, quam vt ei oſtendi oporteat, homunciones eiuſmodi nec ſancire fidei dogmata, neque conuellere poſſe. Quid

de-

denique tibi vis per iſtum *Vicedeatum?* Offendi ſolent doctiores veſtratium duabus potiſſimum rebus, *Hildebrandinis dictatibus*, et perſonali *Papæ infallibilitate*, ſeu *inenarrabilitate*, vti *Marcus Antonius de Dominis* loqui amat. Illos ipſe fateris multos Catholicos non admittere; imo quis Regum Catholicorum, aut Principum, aut Rerumpublicarum practice iſtos admittit? Quod aliqui ſuauiter ſibi perſuadent, te tuique ſimiles, ſi cum cura et ſemoto affectu examinare, quam vitilitigare malitis, non morabitur. Soli nos craſſi Germani, aut ad inſolentis Curiæ minas et ampullas dignitatem Imperii proſtituimus, aut ſuperbi, effrænis ac petulantis monachi delirationes ſequimur, atque ſic inconſutilem Eccleſiæ togam diſcindimus. Non ſic ceteri Catholici Reges ac potentatus, ne quidem Iberi, nedum Galli, nec Veneti, neque Mutinenſis, non Parma, non alii, quiqui ſint. Fidem ſeruant, vnitatem colunt, iura ſua maſcule tuentes. Perſonalem *Papæ* (puta cum adiunctis neceſſariis moraliter adminiculis) *infallibilitatem* quidam noſtratium propugnant; ſed nemo audebit eam venditare pro articulo fidei catholicæ, pro quali in nullo Concilio, a nullo quin etiam Papa hactenus habitus eſt. Si

hæc res autem non eſt fidei, vti ſane non eſt; ergo ſchiſmati nec ipſa vel tantillam præbere cauſſam apta eſt, adeoque non video, cur in vera vnione cum talibus degere nequeas. Ceterum quid de *Hildebrandicis dogmatibus* ſentiat Ieſuita *Cauſſinus*, videre eſt libri de Regno Dei *diſſertatione*, ni fallor, 27. * Sed protinus abrumpere cogor. Vale, et me ama tui amantiſſimum.

CCII.

Idem noxam conſiliorum pandit, ſacris quæſtionibus finiens epiſtolam.

Moguntiæ d. 20. Aug. 1661.

Recte iudicas, Comitia per tranſlationem, cuius mala hactenus inanimaduerſa, vnice impeditum iri. Principibus, qui Electorum auctoritati vl-

* *Nicolaus Cauſſinus* e S. I. diſſertationes ſuas in libros Regum inſcripſit *Regnum Dei*. *Sotuellus*, ſuorum ſociorum encomiaſtes perpetuus, memorare ſuperſedit *Cauſſini* exilium; licet eius cauſſa ſatis honeſta eſſet. Nam cum anno 1637. pro Regina Matre Regem interpellaſſet, Ricelia coque procedente ſermone non peperciſſet; in Armoricos exulatum abire iuſſus eſt, inde non niſi poſt fata Regis et Cardinalis Pariſios reuocatus.

vltra, quam par eſt, indulgere defugiunt, nihil euenire profecto grauius poſſet nocentiuſue: vti per partes exponi facillime debebit in opere Lampadiano, vbi ages de ordine ſuffragiorum et conuentuum Imperii firmitudine, ſine qua omnis rerum ſtatus in incerto, atque noſtræ reipublicæ ingenio nihil magis aduerſum foret. Caue, mi amice, credas porro Aulicis illis inſidioſis, qui tam inuerecunde tibi impoſuerunt. Comitia vtique ſerio amoliuntur, ne quidem Turcarum formidine expugnati. Ea retardabunt, donec fœdus conſtiterit. Securitatis publicæ et garantiæ negotium expediri omnino nolunt, quo liberas ſemper manus ſibi retineant in omnis generis occurſus caſuum, quos pro amplitudine domus animo præfigurant. Pacem cum *Porta* dum adhuc ſperant, quamdiu item credent, minus impedita fore per Imperii circulos mittenda contra Anglos auxilia, ſi qua forte in Belgio ſuo Hiſpani ex occaſione Luſitani belli efflagitauerint; eouſque ſane extrahent Comitia. Quod cum ſub perſona tranſlatæ Auguſtam Vindelicorum multo diſſenſionum inter ſtatus diſcrimini obnoxiæ *deputationis* nullo negotio aſſequi et obtinere ſe poſſe certo confidant; vel eo nomine adeo inſiſtunt prauis

postulatis suis, per quæ translationem exsculpere tandem et extorquere contendunt. Quibus tamen heic nunquam vel tantillum proficient, quantum libet varias in id machinas admoueant. Librum de ciuili prudentia seueris conuitiis an demum abs te exterebare et exprimere liceat, breui constabit. Lampadianus labor vt felicissime succedat, Deum precor. Illo certe plurimum prodesse poteris publico, dum haud dubie necessaria nostratibus illustramenta sui suggerere voles, prout quam optime omnium potes, et fidem circa illa præcipuam mereris, saltem infinito potiorem, quam quando de sacris argumentis aduersus Catholicos differis. Mi amice, declamationes inaniores nusquam temere quisquam leget, nisi in Vestratium aliorumque segregum scriptis, quoties Catholicam, vnde sese proripuerunt, ecclesiam infectantur. Si qui inter eos citra ambages disputant; *Arminianis* forte, quin ipsis *Socinianis*, ex principiis Reformationi vestræ suppositis solito exactius incedentibus, hæc gloriola debebitur; *Luteri* et *Caluini* sociis minime. Per Deum immortalem! Annon signo et indicio est liquido, caussam vestram desperatam, et schismatis, non dicam hæreseos, notam iniustam esse, quod *Tertulliani præscriptiones* ferre

ferre ita dedignamini? Dic, quæſo, vel vnicam ratiunculam, nedum firmam, quæ valeat, rationem, quare credi oporteat, vos in iurgiis veſtris et concertationibus, quibus vnitatem catholicam diffinditis, rectius vti arte, quam vocas, interpretatrice ac Logicis regulis, quam cetera ſectarum turba? In rebus captum hominis exſuperantibus quænam vobis alia noſcendi via ſuppetit, præter concluſionem, quæ partem debiliorem ſequitur præmiſſarum, quarum alterutra eſt luminis naturæ? Vale!

CCIII.

Idem longum numerum init ſcriptorum, in iure publico vtilium, deſiderans de iis iudicium *Conringii*, et, quo modo et ordine *Receſſus Imperii* legendi ſint, exquirit.

Moguntiæ d. 25. Aug. 1661.

A materie ſacra ad ciuilem ſi tranſiero, mihi vtile fuerit, tibi forte nec ingratum. Memini te ſcribere, quod operi de prudentia ciuili ſubiungere pares recenſum auctorum eo pertinentium. Quid ſi perinde Lampadiano ſubiiceres Scriptores, ad notitiam Imperii et publici Germaniæ iuris comparandam proficuos, ſuperque iis tuum interpone

neres iudicium? Id autem ſi facere ſubterfugias, te oro, mihi ſeorſim ac priuatim ſuppedita farraginem illorum, et tua circa eos iudicia. Breuiatores Iuris publici, vt vocant, noui nullos, praetor *Brautlachtum*, *Cubachium*, *Wurmſerum*, *Beſoldum*, *Sprengerum*, *Beckerum*, *Hagenium*, *Danielem Ottonem*, illumque, qui epitomen libello Reipublicae Germanicae, Leidae edito, indidit, atque *Lampadium*. Hi autem ſunt valde diuerſi, ac plerumque parum ſolidi, ſi demas *Lampadium*. Is igitur vna cum tuis illuſtramentis propediem erit vnicus nobis manuductor et introductor ad talia. Proximus ab eo eſt *Hippolytus a Lapide*, qui altero tanto nobiliorem de ſe frugem redditurus fuiſſet, ſi ferale caput de Domus A. eradicatione omiſiſſet. Vtiliſſimus ſane futurus, ſi tuis ſtricturis ac notaminibus colluſtratus et depexus prodiret, vel ſi in Lampadiano labore ſubinde ad ipſius aberrationes diſpungendas velles reſpicere. Lectu praeterea conducibiliores ſolito deprehenduntur, ac fortiores in rerum iudicationibus, *Paurmeiſterus*, *Arniſaeus*, *Buxtorfius* ad A. B. *Mylerus*, *Fibigius*, *Arumaeus*. Quae *Hippolyto* obiectant *Reinkingius*, *Tabor*, *Hagenius*, *Slüterus*, ea vero plus ſcholae olent, quam curiae, inaedifica-

ca-

tata maximam ſui partem erroneis Monarchiſta-rum principiis. Potiorem famæ partem hodie occupauit *Limnæus*, ſpiſſis voluminibus identidem magis magiſque inclareſcens, cui quæ *Wizendorfius* quidam oppoſuit, neſcio, annon ſatius eſſet, nunqum fuiſſe ſcripta, cum *Reinkingii* mendoſiſſimam duntaxat crambem de ſtatu noſtrate tædioſe recoquant. Pulchra quædam reperiuntur in diſputationibus iunctim editis olim a Marpurgenſibus et Giſſenſibus, item Weſtphalis quibuſdam ICtis, a Ienenſibus etiam, tum et præcipue Baſileenſibus. *Beſoldus* deinde, *Carpzouius*, vterque *Stephanus*, *Sinoldus Schütz*, *Stella* cum *Oſtermanno*, *Engelbrechti* denique multam contulerunt ſymbolam ad iuris publici, quod vocant, cognitionem. Apprime vero laudari merentur *Dillingenſes*, *Franciſcus Burkardi*, et quotquot ſcripſerunt in pacificationem religioſam, in Auream Bullam, in Capitulationem. *Lehmannus* item, *Zeilerus*, *Herwardus*, *Hortlederus*, *Lunderpius*, *Freherus*, *Goldaſtus*, *Gretſerus*, Auctor nuperus *der Grundfeſte*, *Mallincrotius* de Archicancellariatibus, *Seckendorfius*, *Rumelinus*, *Viſcherus*, et ſcriptores de electoratu et Vicariatu Palatino et Bauarico, de Adminiſtratione et tutela Palatina, de iuribus Vrbi-

bium et Nobilitatis Imperialis, de iure coronandi, de causa Iuliacensi, et similibus. Neque perperam fecerit, qui diuertere quoque volet ad politicos libros, et ad centones *Schönborneri*, *Althusii*, *Alstedli*, Keckermanni, *Iacobi Martini*, *Werdenhagii*, *Cellarii*, *Conzeni*, *Reinardi*, *Königii*, *Wendelini*, vbi multum, etsi locis maxime indebitis, de Iure publico dissertant. Expedit etiam inspicere *Vossii* annotata ad *Lonigum* de translatione Electoratus in Bauarum; *Grotii* quædam in editis ab *Isaaco Grutero*, *Hornii* dissertationes quasdam politicas, et scripta eiusmodi alia peculiaria. Tum et *Bodinus* de republica et methodo historica, cum suis antagonistis, vtiliter euoluetur in materia status Germanici, ad cuius penitiora qui penetrare cupit, legat præprimis *Onuphrium* de comitiis, *Sigonii*, *Auentini*, *Iulii Pflugii*, *Lehmanni*, *Lindenbrogii* quoque de LL. antiquis, *Beati Rhenani*, *Chifletii* omnia, ac *Blondelli* Francica, imo ante omnia tua omnia. Quæ præterea huc pertinere existimes, et quid de omnibus supradictis censeas, et de aliis heic intactis, oro te summa prece, mihi animi tui optima sensa pande: tum pariter, quid arbitreris de politica institutione *Boxbornii*, cum eiusdem notis et explanationi-

bus.

bus. De *Hobbio* diu eſt ex quo tuum me iudicium docuiſti. Vale, et reſponde tuo obſequentiſſimo ſeruo. B. Quo ordine et modo exiſtimas cum fructu legi poſſe *Receſſus Imperii*, *die Reichs-Abſchiede?*

CCIV.

Conringius refugit cenſoris perſonam ſibi impoſitam; politices tamen Scriptorum cenſuram offert, et polemicum quid in ſacris promittit: denique Receſſus Imperii quomodo legendi ſint, docet.

Helmſt. d. 21. Aug. 1661.

De conſiliis Auſtriacæ Aulæ omnino tecum conſentio iam magis magiſque. Circumſpectant omnes occaſiones ſtruendi deſideratam Monarchiam, cui nihil magis inimicum, quam Imperii Ordinum conuentus: hic proinde modo hoc, modo illo prætextu cauetur, ne coëat. Et tamen ſalus Imperii in Comitiis collocata eſt. Forte bellum Turcicum, quod iam declinari amplius non videtur poſſe, mutabit conſiliorum illam iniquam pertinaciam. Quæ in literis exaratis $\frac{15}{25}$ Auguſti de variis Scriptoribus rerum Reipublicæ Imperii ſcribis, itidem perplacent. Quin miror, adeo ſedulam illi doctrinæ abs te datam operam. Num

vero

vero in *Lampadianis* annotatis censuram tot Scriptorum addere ausim, dubito. Nosti, quae vis sit inuidiae et obtrectationis. Omnes laudari volunt; nec tamen, a me quidem, possunt. Fortasse satis fuerit, meliore calcata via, et ratione docendi obseruata, tacite ostendere, quid in quouis laudandum censeam, aut vituperandum. Minus certe hoc pariet odii. Sed et non difficile adeo fuerit, qui meliora viderit, sequiora iusto pretio aestimare. *Recessus Imperii*, me quidem iudice, maximo commodo legi poterunt, obseruata temporis pariter et argumenti ratione. Quae nempe eiusdem sunt argumenti, ordine temporis obseruato, legi velim, simulque addi historiam temporis illius ex *Sleidano* aut aliis petitam, cumprimis vero *Acta* ipsa *Comitiorum*, quae in Archiuo Moguntino desiderari nequeunt. Si enim Acta ipsa et historiae addantur; mens et intentio legum longe rectius potest perspici, quae alioquin saepe per est obscura. Reuera autem prudentia Legum consistit in ratione Legum recte perspecta. Politicorum scriptorum censuram videbis additam libro de ciuili prudentia, quae iam iterum praelum subire coepit. Bibliopolae nostri adferent exemplar tuis vsibus consecratum, vna cum Epistola,

et

et libellos cum *Metrophanis* de doctrina Ecclesiae Graecae, tum *Viotti* de Demonstratione: vtrumque meo prooemio illustratum. Vtinam *Viottus* placeat, teque manuducat ad solidas sectandas demonstrationes, etiam sacris in controuersiis! Ab hisce absunt profecto *Tertullianeae* praescriptiones, et quae splendido *Augustinianae* methodi titulo feruntur, quantum sophistici elenchi ab apodicticis. Quoniam video ea parte maxime te laborare, dabo operam, vt in tui gratiam clarissime ostendatur illarum artium futilitas. Enimuero impossibile arbitror, quenquam bene sapere in sacris, qui illas male sapiendi artes sectatur. Tantisper igitur non etiam tecum de sacris controuersiis amplius quidquam agam. Vetus Aristotelis est illud, et longe verissimum: *Absurdum est simul sapientiam quaerere, et modum sapiendi. Vale!*

CCV.

Idem recens edita quaedam mittit, et haud obscure dedicationis Anti-Machiauellicorum praemium a *Lioneo* exspectare se significat.

Helmstad. d. 23. Aug. 1661.

Tradet bibliopola et *Motrophanem* et *Viottum*: vtrumque mea quadam praefatione illustratum.

Wolf.

Wolffenbuttelo etiam Cluueriana Geographia ad nundinas indubie mittetur, quam itidem prolixa epiſtola ornaui. Non dubito etiam Maltam *Niederſtedii*, quæ itidem hic prodiit cum meo prooemio, iam tum viſam. Vtrum omnia mea perinde ſint placitura, neſcio; de pleriſque tamen bona ſpes eſt. Certe ipſi libri non poterunt diſplicere. Librum de ciuili prudentia denuo prælum ſubiiſſe iam intellexiſti, opinor. Vbi ad finem omnia fuerint perducta, mittam, vna cum exemplo ad *Lioneum.* Quanquam verear, vt apud illum vnquam ſim facturus pretium operæ impenſæ: niſi fortaſſis ille officii abs te fuerit admonitus. Quod vti facere ne graueris, rogo; quantumuis non is fuerit primarius dedicationis ſcopus *. Quod addidi exemplar epiſtolæ de bibliothe-

* Ignorauit *Conringius*, quod *Nicolaus Heinſius* omnium optime nouit, nec ignorare amicos ſuos paſſus eſt. Cum enim *V. C. Io. Georgius Græuius* ei conſilium de dedicando Duci *Montauſerio* Heſiodo ſuo aperuiſſet, reſcripſit is: *præmium ſi quod ex eius arca tibi polliceris, ſpes iſtas fouere nolim, qui ſciam, per Gallias moris vix eſſe, vt iſtiusmodi clientelæ magno vendi tentur.* Cui *Græuius:*

theca Augusta, quæso, cures tradi *Hottingero*. Literas, quas ad illum pariter et *Vorburgium* exaraui, mittit tibi ipsemet meus Serenissimus Princeps: imo iam acceperis, quantum opinor. Vale!

CCVI.

Idem iuniori *Vorburgio* pro paterno opere sua omnia historici et politici argumenti misit.

Helmstad. d. 23. Aug. 1661.

Binas literas tuæ curæ committo: quas tamen, vt possis ante legere, mitto inobsignatas. In *Vorburgianis* videbis desideratum diu Vorburgianæ Historiæ elogium. Si quidem ita visum fuerit *Vorburgio* iuniori, nec ego refragabor, quo minus edendo fortassis volumini alicui præfigatur *;

 quam-

us: Sub vmbra tuæ commendationis audebo ad beneuolentiam illustrissimi Ducis adrepere. Si quid aliud accesserit, quo Musis meis sit melius, sic habebo, id præter spem euenisse, et omne in lucro deputandum esse. Syllog. Burman. *t.* 4. *p.* 47. A *Boineburgio* tamen exoratus *Lioneus* ex longo interuallo auream *Conringio* catenulam misit.

* Subiungimus id, quia lectu dignum, neque historiæ *Ottonum*, vel eius continuationi, quæ nulla in lucem prodiit, præfixum deprehendimus.

quamuis raptim a me sit exaratum. In titulo illius iunioris *Vorburgii* si peccatum abs me est, excusabis, scio. Misi iam pridem Francofurtum omnium historicorum et politicorum meorum operum singulorum, quæ quidem haberi adhuc possunt, exemplar vnum, vnique omnia fasciculo conclusa cum *Vorburgiani* nominis inscriptione transmisi Beckensteinio. Illa si nondum sint curata, quæso, repetas a Beckensteinio, et tradas *Vorburgio.* Ego vicissim exspecto a *Vorburgio* Historiæ Vorburgicæ quicquid post tomum decimum in lucem prodiit: nec enim horum quicqnam mihi visum est hactenus. Literæ, quas ad *Hottingerum* exaraui, vti vides, maxime pertinent ad rem nummariam veterem, in cuius elaboratione quoniam ille hodie versatur, fortassis poterunt hæ meæ esse ipsi alicui vsui. Abs te exspectabo plagulam vltimam Hottingerianorum scriptorum: non etenim nisi vnicam misisti. Quæso vero simul des operam, vt nanciscar, quæ in negotio Vicariatus Palatini hinc inde sunt disputata. Nec enim mihi vel mei libelli exemplar aliquod superest. Vale!

CCVII.

CCVII.

Conringii elogium Operis hiſtorici, *a Io. Philippo Vorburgio* conſcripti, ad fratris filium, qui cetera edere parabat.

Helmſtad. d. 21. Aug. 1661.

Volumina hiſtorica, a Patruo iam mihi deſtinata, ipſo mortuo, tua cura recte iam ante annum accepi. Nunc tamen demum ad te haſce literas exaro, non quod non iamdudum gratias tibi debere me pro ampliſſimo munere maximas agnouerim, ſed quod ſimul voluerim animi ſententiam de voluminibus iſtis ſignificare; id vero non licuerit, niſi illis maiore quodam ſtudio excuſſis: quod hactenus præſtare vetuerunt infinita negotia. Neque vero ego dubito, ſi qua etiam in mora longiore culpa eſt commiſſa, illa autem fuerit vtique me inuito commiſſa, pro candore tuo, qui ab amicis omnibus mihi laudatur, proque ea, qua vales, rerum peritia, facilem mihi apud te veniam polliceri. Ago autem omnino gratias tibi, quas poſſum, maximas, quod non minus tu, atque Patruus, dignum me iudicaueris dono adeo eximio. Et ſane magis eximio munere non me quis temere donauerit, ſi vel magnitu-

dinem eius ſpectem. Ego vero non tam hanc, quam verum eius pretium, quale in erudito orbe meretur, æſtimo: quo nomine ſane mihi per eſt eximium. Iuro enim tibi, Nobiliſſime *Vorburgi*, omnia me exſpectatione maiora inueniſſe. Enimuero perſuaſus eram, ſolas res Germanicas, ſaltem haſce potiſſimum, Patruum eſſe perſecutum. Reperi autem Romana etiam, tantum non omnia. Reperi et Eccleſiaſticam hiſtoriam ferme vniuerſam octingentorum prope annorum. Quantum ſtudium vero, quanta induſtria hiſce omnibus eſt impenſa! Dixerim, nihil Patruo non lectum, nihil non cum cura tractatum, quod huius ſit argumenti. Ad minutias vſque ſane video expedita omnia, ne quidem omiſſis ipſiſmet Chronologicis et Geographicis litibus. Certe quod ad primam vſque memoriam faciat Germanicarum rerum, quæ tamen hinc inde variis demum ex fontibus hauriri poteſt, plane nihil ſilentio præteritum eſt. Iam cum, vt recte *Tullius*, prima hiſtoriæ lex ſit, ne quid falſi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis: veri amantiſſimum profecto probauit ſeſe Patruus tuus. Equidem haud diffitebor, erraſſe eum nonnunquam,

quam, et prodita videri nonnulla a vero abſona; at ſiue amore, ſiue odio lapſum illum alios decepiſſe, nuſquam deprehendo. Quin adeo ipſi veritas cordi fuit et amori, vt non dubitauerit extra Germanicæ hiſtoriæ campos in Eccleſiaſtica, quæ potuiſſet non tangere, ſpreta magnorum nominum auctoritate, ſpreto odio plurimorum, quod verum dicenti neceſſario ſubeundum ſibi eſſe haud ignorabat, fabulas receptas hactenus et magno plauſu iactatas complures cum firmis rationibus confutaſſet, iuſto zelo explodere; alia etiam hactenus laudata vel excuſata acriter vituperare, et dignis animaduerſionibus excipere. Nec vero ipſimet Eccleſiaſticorum Annalium conditori pepercit, ſicubi viſus eſt ſtudio partium addictior: tantum abeſt, vt in alterius cuiuſquam gratiam falſi quicquam diſſimulauerit. Etenim qui Hiſtoricorum ſiue veteris ſiue noſtri æui Patruum tuum veritatis ſtudio vicerit, noui neminem. Non *voluit* autem duntaxat id, quod verum eſt, narrare; ſed *potuit* etiam, ab acumine quippe iudicii egregie inſtructus, quæ tertia boni Hiſtorici dos atque virtus eſt, poſt induſtriam ſcilicet atque veri amorem. Neque vero temere credulus quidquam admiſit in fidem ſine præuio examine; ſed et in

ipſo examine cenſorem ſeſe præſtat ſeuerum, acrem, ſubtilem: ceu fieri par eſt, præſertim in iis, quæ mendaciis ſunt obnoxia multum et erroribus, qualia ſunt vtique vetera illa Germanica noſtra et Eccleſiaſtica. Talis cum eſſet Patruus, effecit id, quod tituli voluminum præ ſe ferunt, hoc eſt, Germanicam Hiſtoriam veterem a prima vſque origine dedit integram, et cum hanc, tum Romanam atque Eccleſiaſticam omnem ab infinitis liberauit erroribus: id quod hactenus potuit nemo. Nec enim tituli quidquam vana fide iactitant, quod alioquin multis per eſt familiare. Id miror, quod vir, negotiis Reipublicæ maximis et difficillimis inter haſce belli Germanici tempeſtates occupatiſſimus, tantum potuerit laborem non ſuſcipere duntaxat, ſed etiam peragere, cum ſcilicet, iudice etiam *Tullio*, hiſtoria nec inſtitui poſſit, niſi præparato otio, nec exiguo tempore abſolui. Miror item, quod non contentus Germanica docere, quæ tamen voluit operis eſſe argumentum, diffuderit vſque adeo ſeſe per Eccleſiaſtica et Romana, etiam illa, quæ cum rebus Germanicis nihil habent affinitatis. Miror denique, quod, cum initio nonniſi ab *Ottonibus* noſtris Hiſtoriæ ſcribendæ exordium fecerit, integros duodecim Tomos gran-

grandes, quasi in antecessum, præliminares voluerit esse ipsi Historiæ corpori, secus quam initio constituerat. Desino tamen mirari, quando cogito summum veritatis studium, summamque industriam viri incomparabilis. Hæc sane videntur illum abripuisse, quamuis inuitum. Quantumuis sane historia Germanica a tam multis alienis admissis nonnihil acceperit obscuritatis et nimiæ amplitudinis; quoniam tamen, quicquid heic est culpæ, multis, imo plurimis et quidem inexspectatis bonis Romanæ pariter atque Ecclesiasticæ historiæ compensatur, ecquis velit succensere, vel conqueri? Ego vero eo auidius exspecto ipsummet Germanicæ historiæ corpus, quoniam præambula volumina, nisi fallor, iam feliciter vident lucem. Et quidem, quantum intelligo, *Ottonum* Historia iam pridem typis descripta est; certe iam ante hosce triginta annos deducta est calamo ad *Henrici IV.* tempora. Reliqua etiam ad *Wenceslaum* vsque iam absoluta est et perfecta anno seculi huius tricesimo quinto. Nec enim dubito, ipsum illud historiæ Germanicæ corpus æque magna industria, æque accurato iudicio, æque postremum magno veritatis studio esse confectum. Hæc vero historia denique gerendis hodie

Imperii rebus vere eſt vtilis. Ab *Ottone* ſcilicet *Magno* demum exordium cepit illa forma Imperii Germanici, quæ hodie nonnihil ſuperat, atque ex eo demum tempore Reipublicæ Germanicæ ſtatus hic noſter in vſum deductus eſt. Atque ego equidem certo mihi perſuadeo, tua cura hæc etiam omnia prodituva in lucem, et quidem propediem: nec tamen non, id vti omnino facias, etiam te atque etiam rogo. Bene certe merebexis de ſummi viri, Patrui tui, exiſtimatione; optime de Republica Imperii; quandoquidem ad conſilia permultum iuuet, illa vetera haud ignorare, et tamen pauciſſimis talia diſcere conceſſum eſt, niſi iuuentur opera et induſtria aliena, qualem eſſe Patrui tui ſine omni cunctatione audeo aſſeuerare. Deus te ſeruet, Nobiliſſime *Vorburgi*, quo ſis aptus et hiſce edendis, et porro iuuandis Reipublicæ Germanicæ commodis, cumprimis autem vſibus Eminentiſſimi Electoris, Domini tui, cuius ſapientia et moderatis conſiliis ſtat hodie partem maximam Germaniæ ſalus. P. S. Spero, iam pridem a bibliopola noſtro Beckenſteinio, Francofurti degente, curatum eſſe faſciculum meorum librorum hiſtoricorum et politicorum, quos miſi in leue antidorum. Simul alia

mea

mea illius argumenti prodierint, sequentur et illa, modo non ingratum fuerit, leuia isthæc arripere.

Inscriptio literarum:

Genere et virtute Nobilissimo Viro, Francisco Ioanni Wolfgango *de* Vorburg, E*minentissimi Principis Electoris Moguntini Consiliario et Præfecto etc. Fautori et Amico magno.*

CCVIII.

Boineburgius iudicia de scriptoribus iuris publici priuatim sibi petit, et in vsus filii, translationi *deputationis* rursum iniquus.

Moguntiæ d. 6. Sept. 1661.

Literæ tuæ *d. 21. Aug* datæ summa me voluptate affecerunt. Quoties enim discendi ex te occasio est obuia, semper intimo pectore lætor. Quæ mones de ordine legendi *Recessus Imperii*, perplacent, et iam dudum eandem tenui sententiam. *Sleidanus* in historia excellens et lectu iucundus sane est, cum ob rerum grauitatem et dignitatem; tum quia dictione vtitur latina perspicua ac tersa. Ad illum, quem ratione Imperii legum nunc præspeculamur, finem quinam præterea legi mereantur, obsecro, me doce. De variis Scriptoribus rerum reipublicæ Imperii, vt et in Lampadianis

notatis tuum depromas iudicium, ipse tibi suadere nolim. Inuidiosa enim et calumniæ obnoxia foret illa opera. Optem proinde, et iterato te precor, vt mihi hanc commodare seorsim velis, et propediem ea in literis ad me tuis haud grauatim defungi digneris. Inseruiet et mihi, et filio posthac, quem probe, vbi ætas eius maturior fuerit: iam enim nondum quinquennis est: educari et institui in sana de statu publico doctrina curabo, si Deus eousque me prouiuere sierit. Vtinam, te duce, aliquando in studiis optimis proficere posset! Saltem ei auctor ero, vt Helmstadii aliquandiu illa colat, vbi non facile Conringianis discipulis carebitur, vti confido. Deus te seruet sospitem diutissime, ac ad rectiorem de republica disciplinam subinde magis magisque illustrandam atque corroborandam nunquam non alacerrimum! Politicorum scriptorum censuram auidissime, imo totum de ciuili prudentia opus, quamprimum operiar, vna cum *Viotto*. Gratus erit labor, qui refellendis *Augustinianis* et *Tertullianeis* in disputando regulis insumetur. Inde quippe harum fortitudo et robur eo luculentius poterit inclarescere. Neque insuauis hæc disquisitio erit ipsi *Walenburchio*, quicum si super *prauis* istis, quas vocas, *sa-*

ſapiendi artibus collationem epiſtolarem inire voles, tempus certe non male collocabis. De publicis omnes bene ſperamus, poſtquam periculoſum illud Viennenſium conſilium de tranſlatione *deputationis* tandem eliſimus. Id adhuc recoquunt gnauiter, et exſequi ſe nunc facilius poſſe autumant, quia diem Comitiis in octobrem anni 1662. edixerint. Scilicet hæc magnopere ſic feſtinantur, et inde patet, quam cito opus noſtra ope habeant contra Turcam. Res vero eſt in eo ſtatu, vſque etiam adeo pellucet vafrities illa obſtinata, vt tranſponi Auguſtam *deputatio* omnino nequeat, niſi velimus in multos annos Comitia differri et plane tolli, niſi etiam, quæ modo maligna agitat aula domi, adulatoriis decretis, in ſpeciem publicis, confirmari. Quod per eſſet facile, ſuffragiorum tanta multitudine prædominante. Eminentiſſimus in illam tartaream tranſlationem nunquam ſuam præbebit aſſenſionem. Vale et reſponde. Spero, vos firmos perſtituros in ſententia recta pro *deputatione* Francofurti relinquenda. Eam enim inde mouere, et Auguſtam transferre, eſſet perterebrare, imo euertere iura ſtatuum, Comitiis ire exſequias, et bella ſerere noua. Quæſo, reſponde, vt ſciam, an vos illa temporis Comitialis de-

terminatio, ſatis euanida et luſoria, vllo modo afficiat, et vt certior fiam indies de veſtra conſtantia, a qua mihi polliceor optima quæque.

CCIX.

Boineburgium mire afficit *Vorburgii* deſiderium, de tranſlatione *deputationis* ſemper eadem ſentientem.

Moguntiæ d. 16. Sept. 1661.

Quas et ad Cl. *Hottingerum* et iuniorem *Vorburgium* ſcripſiſti, eas vtrique miſi, ſimul atque aduenerant. De Vorburgico opere iudicium tuum ſane exoſculor: liberale illud, candidum et pereruditum. Vnum doleo, illum virum non prouixiſſe eo vſque, vt rebus noſtris, quarum erat intelligentiſſimus, propiora nobiſque proin ſcitu conducibiliora, ab ipſo tradi quita fuiſſent. Magnus erat vir in conſilio, arbitrandis cunctis, quæ eueniebant, aptiſſimus, iudicio ſubactiſſimo, et animi maxime ingenui. Si labores ſuos hiſtoricos continuiſſet intra modum ſeſquiſeculi poſtremi, multum profuiſſet reipublicæ noſtri Imperii, cuius omnia, vt tu politicis obſeruationibus, ita ille hiſtoricis illuſtraturus ex aſſe fuiſſet, ac in ſolidum. Deflere eius viri fata ſatis necdum videor

or posse, cum caussis dictis, tum ideo, quia in ipso magnam operæ meæ pro publico fulturam amisi, quam hactenus nondum sarsi, neque sarcire possum. Quæ ab *Hottingero* venient, ad te fideliter curabo. Nostra ad Cæsarem responsio, per *Wallendorsium* heri cum peculiari cursore expedita, nos iam extra omnem ponit inquietudinem. Comitia quouis tempore grata rataque habemus. Translationi assentiemur nunquam. *Saxoniæ* quoque *Elector* Eminentissimum meum, iam ex tertiana decumbentem, ad colloquium inuitauit; medio se inter ac nos loco. *Coloniensis* ipse et *Palatinus* Augustam transponi et Francofurto *deputationem* submoueri postulant. *Treuir*, iam eum Gallia et cum federatis in societatem coire parans, interquiescit. *Bauarus* per Coloniensem, *Brandenburgicus* quotidianis ad nos literis, eadem pro translationis negotio chorda oberrant. Eminentissimus Elector Francofurti opperiri comitia, vbi maturuerint, mauult, quam inconsideratissima istac aliouorsum transcursione nouas turbas serere. Quin nobiscum sitis in recto hoc instituto perstituri, nulli ambigimus. Vale et responde.

CCX.

CCX.

Conringius continuationem *Vorburgii* per *Blumium* optat, in vſum Electoris febricitantis puluiſculum mittit, et *Walenburchio* ad ſcribendum contra *Concuſſionem* ſuam excitato reſpondere non abnuit.

Wolffembutteli d. 10. Sept. 1661.

Placere meum de *Vorburgio* iudicium, gaudeo. Vellem vero tecum et ego, tantam operam ab illo impenſam in res potius Imperii noſtri, quam in remota illa, et magnam partem a Germanicis aliena. Quod ſi tamen pari, vt præcedentia, perſecutus eſt ſtudio omnia ad *Carolum* vſque *quartum*, ceu promiſit; poſſumus etiam ſic contenti eſſe, et gratulari nobis, ſimulac prodierint in lucem. Vtrum autem prodibunt *, nec ne, equidem neſcio: poteris autem me docere. Quod ſi vellet, haud difficulter poſſet *Blumius* ea in re facere pretium operæ. At fortaſſis ambitio non patitur chartis manum admouere. Quo loco huius res ſint, quæſo, ſignifices. Audio enim verſari illum in aula veſtra; ſed neſcio, qua conditione. Quæ mea ignorantia prohibet etiam quidquam ad illum literarum dare, cum optime tamen ipſi cu- iam

* Scribendum erat *proditura ſint*.

piam. Quæ de publicis negotiis narras, summopere placent non mihi duntaxat, sed etiam hic longe me potioribus. Febre autem affectum Eminentissimum Principem Electorem, præ aliis dolet Serenissimus Dominus meus: idque quoniam pro Nestorea sua sapientia agnoscit, Eminentissimi illius Principis auctoritate, prudentia et moderatione bonam partem stare hodie salutem Germaniæ. Nos, quotquot sumus, non desinemus vota facere pro sanitate recuperanda tanti Principis. Si propior essem, nihil omitterem etiam eius, quod ab arte mea medica proficisci possit. Ne nihil tamen etiam absens agam, mitto descriptionem puluisculi, quo febres tertianæ nothæ, quas appellant, cuiusmodi hodie sunt frequentes, et solent esse autumnales, feliciffimo successu possunt depelli. Quod si iam restituta est valetudo, id quod auditu fuerit iucundissimum; poteris in aliis medicinæ illius experimentum facere, non tuto duntaxat, sed etiam salubriter. Reuerendissimum Dominum *Walenburchium Concussioni* meæ nouum responsum opponere, percepi ex Serenissimo Principe ANTONIO VLRICO, in quo viuam AVGVSTI Patris imaginem iam vidisti. Quæso vero, moneas virum, ne tam proli-

xæ

xæ ſcriptioni det operam, quam neruoſæ, et ſequatur illud meum *mathematicum* diſputandi genus potius, quam laxum illud et declamatorium. Ac primo quidem dicat, ſtatum controuerſiæ recte, nec ne, conſtituerim? deinde, num axiomata et hypotheſes meæ veræ ſint, nec ne? ac denique, num ex illis principiis recte abs me ſint deductæ concluſiones? Cumprimis vero tentet aliquid ad caput ſecundum, quod antagoniſtæ reliqui fere intactum reliquerunt, videatque, num poſſit probare mihi, cum curia Romana poſſe vinculo fidei coniungi, qui negent *Vicedeatum*, quem Curia ſibi arrogat. Poſtremo tertium quoque caput aggrediatur, quod nemo aduerſariorum vel verbulo attigit. Vt moneatur abſque conuitiis rem agere, ſuperuacaneum arbitror. Scio enim, virum eſſe grauem, et procul a ſcurrilitate *Viti* tui, *Cornæi* et ſimilium Loioliticæ fæcis. Quæ *Titio* aliiſque nuper iterum oppoſuit, nondum vacauit legere, vt nec ipſemet *Titius* noſter vidit. Simul vero Helmſtadium rediero, ſaltem percurram librum; quamuis prolixitate ſua a legendo me pene detineat. Vale!

CCXI.

CCXI.

Boineburgius post publica de *Bucelino*, tum scitu iucunda narrat de *Scioppio*, *Scioppii*que scriptis posthumis.

Moguntiæ d. 19. Sept. 1661.

Debes mihi ad binas mearum responsa, quorum eo sum appetentior, quo argumentum illatum erat ponderosius. Nempe translatio illa toties commota nos hactenus plusculis fastidiis diuexauit. Vndiquaque impressiones in nos factæ pro ista sunt, cumprimis a toto Electorum cœtu. Eminentissimus, quod videat maximas ex ea ærumnas, contra boni ne minimum quidem inde consecuturum, eam constanter recusat, fretus *Deputatorum* Francofurti Principum consensione, ac fida consiliorum cum illis societate. Sane nostris rationibus, compendiisque publicis, statui item fœderis, nihil posset nocentius contingere: nihil ad vægrandem Ordinum ac ciuium dissociationem inducendam foret inutili istac translatione efficacius commodiusue. Opperiri igitur tempus Comitiorum Francofurti statuimus, coniunctim interea reipublicæ necessitatibus aduigilaturi, eoque loco, quem nobis ius et mos vetus constituit, et quem hucusque sub difficillimarum tempestatum

 nu-

nuperarum occursu valde opportunum rebus nostris patriis in pace continendis et salutarem experti sumus. Maneamus, sodes, vna, vbi tam bene successit omne pro publico consilium. Comparatiores hinc ac expeditiores ad Comitia commigrabimus, animisque magis compositis, qui certe, si in translationem illam herilem, seclusis ita *indeputatis*, consentiretur, facile asperari, et ad negotia in communi Comitio explicanda maxime inidonei reddi queant. Plures in hanc rem considerationes tibi notae sunt, quarum proinde recensu lubenter supersedebo. Vnum hoc duntaxat te rogo, mihi quamprimum vestratia circa hanc irritabilem delicatamque materiem sensa perscribere digneris, quo et ego sciam, eum in modum mea regere satis tempestiue, qualia sibi poscit rei teneritudo, et quae meo quoque Electori quoquo pacto sint tolerabilia, saltem innocua. Ceterum magno nunc desiderio teneor Francofurti tuos tandem, quos ad me destinasti, videndi libros. Beckenstenius *Vorburgio* suos necdum tradidit. Sunt homines parum comes, quin difficiles et subinfidi. Catalogum semestrium in Academia Iulia exercitationum auide exspecto. Mitto interim *Bucelini* commentationum indicem, ne

mo-

modo nihil reddam. Amo hunc monachum eo nomine, quod Germanicæ etiam Historiæ insignem operam nauat. In cuius tractatione quotus quisque pretium laboris fecit, si *Lehmannum Vorburgium*que excepero? Complures tu vero nobis memoraturus procul dubio es, cum Lampadianis notationibus conspectum eorum præfixeris, qui Status et Iuris publici in Imperio notitiam suis monumentis illustrarunt. Quod vt facias, iterum te atque iterum oro. Vale.

Mitto simul aliquid *Scioppii*. Cuius forte manus seu scriptura non fuerit ingrata, nec incommerita reponi inter schedas id genus alias, quibus bibliothecæ Augustæ et pulcræ ornantur. Scribit *Bucelinus* mihi, cui *Scioppius* per fuit familiaris, se exquirere et missurum mihi, si apud *Weingartenses* repererit, catalogum librorum Scioppianorum. Ad CCLX. diuersi generis libros, libellos et tractatus scripserat. Omnem MSS. librariam supellectilem habet Romæ Eminentissimi ibi Residens, *Pierucius* *, Patauinus, magnæ eruditionis

* *Petruccium*, quod idem est, adpellitat hominem *Ezechiel Spanhemius* in epistolis, sui iti-

nis homo, apud quem *Scioppius* ſupremum hoſpitium habuit, dignam ſane, quam magnus aliquis et opulentus Princeps coëmat. Reſpublica Veneta illam emere antehac voluit; neſcio num id ſit factum: imo dubito. Plures annos, quibus in monaſterio *Weingartenſi* vixit, perpetuus aſſiduuſque in ſcribendo fuit, diebus maximam noctis partem iunxit, et vtilia pene vniuerſa, priuſquam cum Patribus Societatis collideretur. Alia inter ingens et vaſtum opus *dictionarii* cuiuſdam ſubciſiuis ac ſubſecundariis horis, cum et quotiens a maioribus ac difficilioribus ſtudiis ſibi temperaret, molitus eſt, cuius modica fragmenta, dum metu hoſtis vaſa colligeret, *Bucelinum* apud reliquit, ex quibus pagellam hanc vnicam dono hic mihi miſit. Mira cum ſcripſit *Scioppius*, tum meditatus eſt. Ex ſolis diuinis literis de conſolatione animi ac ſenii, omnia, ſolis ſacrorum oraculorum

itineris Italici cauſſa ad *Nicolaum Heinſium* ſcriptis, cui denique Roma d. 23 Dec. 1661. nuntiat hæc: *Petruccium, auarum theſauri Schoppiani cuſtodem, adire, ſed non enim gere in publicos vſus licuit, qui illum, vt pici aurum ſuum, defoſſum tenet, non niſi grandi ære ab intento et uigili cuſtode eliciendum. Syllog. Epiſt. Burman. t. 3. p. 825.*

rum verbis adeo ſcite connexis, vt nemini non lacrimas exprimeret. Hæc et coram Ratiſbonæ frequenter mihi *Bucelinus* commemorauit, et iam denuo in nouiſſimis ſuis ad me literis repetiit. Sed tempus eſt finiendi has gerras.

CCXII.

Idem, quæ *Conringii* acceperit, nuntiat, et reliqua vrget.

Francofurti d. 22. Sept. 1661.

Quod ſuades, vt e tabulariis noſtris ſelecta quædam ad notitiam legum noſtratium depromi curem *, id vero per eſt gratum, et efficere ſtudebo. Cenſuram Scriptorum publici iuris noſtri plenam et fuſiorem proxime abs te exſpectabo. Ea me ſummopere exhilarabis. Nemini vnquam erit nota, vnice futura inter mea cimelia, qualibus omnia tua appono. *Lampadiana* et prudentiam ciuilem Deus prouehat breui ad felicem exitum, et exempla nobis admaturet! Quæ miſiſti, omnia accepi. Geographiam *Cluueri* cum tuo proloquio emi quoque. Quæ *Lioneo* voles mitte-

 re,

* Reſpiciunt hæc ad *ep.* *204.* vbi de *Receſſibus* Imperii legendis quæſtio agitata.

re, lubens curabo, cumprimis ciuilem prudentiam: quam eccui dicasti? *Lioneus* gratum se proxime exhibebit reapse. Neque ego ero ingratus. *Hottingero* tuum librum de Augusta bibliotheca misi heri Heidelbergam. *Vorburgio* iuniori inscriptum fasciculum heri demum accepi. Dabo ipsi, simul ac Spira redierit. De publicis proxime. Omnia manent in pristino statu. *Deputatio* hinc est ineuulsibilis. Eminentissimus Elector loco legali non decedet. Neque ambigit de ceterorum suorum *Condeputatorum* et *Federatorum* pari constantia. Deus fortunet recta consilia, et paces vbique roboret, tuamque tibi valetudinem ad reliqua, quae publico paras, absoluenda! Vale, vir optime, et ama tuum prisca fide tibi ex animo in solidum addictum B.

D. *Heilando* ** non respondeo, quod sperem eum hic mox me esse reuisurum. Eminentissimus

** *Polycarpus Heiland*, quem *Conringius epist.* 220. *Saluatorem* vocat, Serenissimi Ducis *Augusti* Consiliarius intimus fuit et Legatus adhuc in Concilio foederatorum Principum Francofurtano, Senio confecti et in Aulam reuocati vices subire iussus est collega dominus *Alexandri*. Vid. *epist.* 219.

mus Elector te salutat. Summe gaudebat de iudicio tuo, quod de *Vorburgianis* libris historicis scripsisti. Ipse tuas litteras legit omnes.

CCXIII.

Boineburgius Lioneo aurem se vellicasse significat; *Viotti* et *Hopperi* methodum incusat.

Moguntiae d. 24. Sept. 1661.

En! iterato te rogo, oro, precor et obsecro, vt tuum mihi iudicium de Scriptoribus publici per Germaniam iuris transmittere in confidentia mutua velis. Id nemini visendum obtinget vmquam. Ad *Lioneum* scripsi, vti decet, et gloriae tuae ex animo velificatus. Non erit nullum operae pretium, scio. Mitto heic libellum, quo me *Horstius* donauit. Si meliora haberem, pari promptitudine ad te deferrem. Neque tamen ego ero ingratus. Sum quippe citra omnem exceptionem, inque solidum, tui amantissimus, B. *Viottus* per mihi placet, nisi quod malim stilum eius continente filo profluere extra affectationem illam dialogisticam, qua et *Hopperus* altero tanto apud me magis exiguus est. Malo modum commentandi Aristotelicum, quam Platonicum; Grotianum tumque, quam ceterorum.

CCXIV.

Idem de acceptis iudicat, et controuerſias theologicas Theologis relinquendas ſuadet.

Moguntiæ d. 28. Sept. 1661.

De *Blumio*, qui iam in veſtris oris fuerit, tecum omnino ſentimus, Elector et ego, ſi me addere fas eſt. Cauſſam, quam adiungis, quare *Vorburgio* ſuffici renuat, acu tetigiſti, et vna comprobamus. Eminentiſſimus tibi immenſas gratias agit de miſſa formula medicinæ, quam penitus approbat. Vult eam experiri in aliis. Eſt talium haud inſciens. Multum te diligit, et ſuæ beneuolentiæ teſtimoniis adhuc inſigniter decorabit. De *Walenburchio* noli ambigere. Eſt grauis et lenis vir, tuæque eruditionis candidus prædicator. Aget, vt ipſum et te decet. Si me ſequuntur illi homines, non eris cauſſam habiturus incandeſcendi. Publica ſtant bono et recto loco. Tranſlationem Deus prohibeſſit et exſtinguat penitus! Eam odio dignam et fuga exiſtimamus. Cenſuram tuam de Scriptoribus Iuris publici proxime opperiar, vt et de ciuili prudentia librum, Lampadiana, annotata in Ariſtotelis laudationes, deque demonſtratione, experientia, et teſtimonii

nii humani auctoritate. Ecce! quoties nouis te oneribus tuopte nutu fatigas? Quae in *Metrophanem* praefaris, olent ſtudium partium enorme. *Viottiana*, et in *Philippi Cluueri* Geographiam quae praefaris, ſunt peregregia et eximia plane, vt et quae in Meibomiana. Theologica veſtratia; rectius feceris, ſi relinquas pererranda *Titiis*, idque genus ceteris zelotis, Lutheranarum gerrarum et Wittebergenſium nouis reſtauratoribus. *Titii* autem *de ad mortem praeparamentis* quae prodierunt, ſumme placent, iuxta ac *Hildebrandi* vetus *moriendi ratio*. Paucula ſi demas, Catholici ſunt in his libris. In cordibus id magis ſunt, vti confido. Praeſtans enim, qua valent, eruditio non ſinit vos bonos viros ita exerrare, vti ſimulatis. In verbis vtique eſtis ipſis Wittebergicis illis ſannionibus longe Lutheraniores. Sed fides opus Dei eſt. Eam quod non habent omnes, aequo animo ferendum. Dolendum vero, eos, qui habent, vitae ſuae filo non incitare illos, qui ea carent, ad habendum. Sed finio. Vale!

CCXV.

Idem poſt alia Electorem medicamen Conringianum ſuis ex fratre nepotibus miſiſſe nuntiat.

Moguntiæ d. 13. Octobr. 1661.

Ecce! ab *Hottingero* nostro et ad te, et ad me literas, quas festinari ad te conuenit, quo respondeas ocius. Is reditum parat ad Heluetios suos, et Heidelbergam relinquet, satur rerum illarum. Ceterum miror, quei fiat, quod tam diu a te nullas accepi, et vbi hæreat censura priuata de Iuris publici Scriptoribus, quam, quæso, mecum communica. Neminis obtutum conscientiamue vnquam subibit. Coloniensis Elector iam est in domum reditione. Hac transibit. Translationis illud tetrum negocium paullatim consilescit. Periculosæ aleæ plenum fuit, et sub hoc lapide dormit pestilens scorpius. Eminentissimus in illam translationem nunquam consentiet, quicquid eueniat denique. Nimis enim liquet nobis, quid per eam intendatur, idque in singulos dies fit magis perspicuum. *Walldorfius* se reditioni apparat quoque, re non confecta, quam volebat. Vix huc redibit, talibus mandatis onustus. Comitia multis modis vrgemus. Videmus nobis impendere discrimina mirifica, et noua pacis intertrimenta, nisi status præsentis situm et habitum omnibus modis custodiuerimus. *Treuir* ad fœdus accessum faciet paucos intra dies, vt spero.

Com-

Comparemus nos ad maiora, et consensione perpetua maneamus in regia via. Elector te salutat: plene conualuit. Deo sint laudes et æternæ grates! Tuum medicamen misit duobus suis e Fratre Nepotibus, quorum vnus *Leidæ*, alter *Oxenfurti* in Anglia laborant ex tertiana. Proxime plura. Vale!

CCXVI.

Conringius gaudet ob Electoris valetudinem restitutam, iudicium de Scriptoribus iuris publici refugit, Walenburchica *Titio* excutienda permittit.

Helmstad. d. 3. Octobr. 1661.

Ad integras quatuor tuas responsum debeo præter morem meum; nulla tamen culpa mea. Responsum enim, quale quidem tu desideras, nonnihil otii exigebat; illud vero omne negotia mihi eripuerunt, quibus tantum non fui obrutus quatuordecim amplius diebus. Lætor vero ante omnia, rediisse sanitatem Eminentissimo Principi Electori, et nihilominus haud inacceptam fuisse remedii formulam, quam misi. Lætabuntur item indubie omnes boni, saltem qui intelligunt, quantum Germaniæ rebus præsidium sit positum in

tan-

tanti Principis valetudine. Quos inter nemini ſecundum eſſe ſapientiſſimum Dominum meum, caue dubites. Deus optimum illud et incomparabile Principum par in plurimos annos bono publico conſeruet! Neque vero, illis ſaluis, eſt, quod temere ſiniſtri quidquam metuamus tranquillitati Imperii: quæ vtrum florentibus Auſtriæ armis contra Turcas, qualia illa hodie decantantur, an nonnihil repreſſis, maiore ſit in periculo, fortaſſis etiam tu deſinire dubitaueris; quamuis non dubitem, ſecuritatem audere te polliceri, quamdiu fœdus recte ſeſe habuerit; habiturum vero ſeſe illud recte, ſaluis illis optimis et ſapientiſſimus noſtris Principibus. Cenſuram prolixam aliquam librorum, qui de rebus Germanici Imperii commentati ſunt, cum iam tum ſententiam meam ſatis teneas, et ipſe in hiſce ſis verſatiſſimus, videris ſine cauſſa poſcere. Sed et in animaduerſionum *Machiauellicarum* initio ſtatim abunde docui, ad quam normam, me iudice, libri omnes ſint exigendi. Libri item de ciuili prudentia *cap. XII.* prolixe docui, quid pertineat ad accuratam cognitionem cuiuſlibet ſingularis reipublicæ. Nec te latet, notitiam rerum Imperii aliam eſſe vniuerſi corporis; aliam ſingulorum membro-

brorum. Hiſce probe obſeruatis, non eſt difficile, iuſtam cenſuram Scriptorum noſtrorum inſtituere. Tibi certe non poteſt eſſe difficile, qui iam tum vales rerum vſu et multa lectione. Fortaſſis, vbi legeris cenſuram Scriptorum omnium politicorum, quæ accedit libro de ciuili prudentia, etiam vſum iudicandi promptiorem habueris. Quæ præfatus ſum in *Meibomiana*, *Viottum*, *Melitæ* deſcriptionem et *Cluuerianam* Geographiam, non diſplicere, gaudeo. *Viotto* vero velim adiungas *Piccarti* Iſagogen in Ariſtotelem, Altorfii recuſam: imo Piccartiana omnia, imprimis quæ titulo *Philoſophiæ Altorfinæ* prodierunt in lucem. Quod mea ad *Metrophanem* diſſertatio minus placeat, adſcribo tuo in *Allatium* affectui; quamuis non dubitem, etiam tibi videri, Allatianam illam concordiam vt paradoxam, ita inanem eſſe. Quæſo, legas ſimul, quæ nuperrime prodierunt Argentorati auctore *Elia Veielio*, de Eccleſia Græcanica hodierna, vbi et tui nominis honorificam memoriam reperies. Iuuenis enim quidem eſt ſcriptor ille; ſic ſatis tamen eruditus, et in illo argumento verſatus. *Walenburchiana* exſpectabo, et quidem animo veritatis cupidiſſimo: quem ſi attulerit etiam *Walenburchius*, non ſine fructu fuerit

di-

diſputatio. Mirum vero, te ſimul et excitare illum aduerſus me, et mihi ſuadere neglectum certaminum eiuſmodi ſacrorum. Niſi fallor, vim affectuum animi agnoſcis ipſemet, mi Amice. *Titio* tradidi *Walenburchii* librum: mihi excutere non vacauit. Ex *Titio* autem intelligo, magnum illud opus quam maxime niti artibus *Pyrrhoniis* vel *Scepticis*, vt et *Nihuſianis* ac *Veronianis*: quod profecto fuerit deploratæ cauſſæ lamentabile indicium. Quid ſane miſerius, quam præſidium cauſſæ collocare in nouis illis et rectæ rationi aduerſantibus artibus, ſpretis analyticis antiquis? Enim vero, mi bone, ne quidem Veſtratium aliquis, docens veritatis indagandæ artem, talia hactenus vnquam probauit. Regulæ autem diſputandi non aliæ poſſunt eſſe, aut debent eſſe in Theologicis, ab iis, quæ ad veritatem indagandam pertinent, ſaltem earum rerum, quæ vel omnino vel ſaltem ex parte nituntur auctoritate docentium. Id quod extra affectum partium poſitus haud negaueris. Vale!

CCXVII.

Idem poſt protrita de *Scioppio* et *Bucelini* conatibus iudicat.

Helmſt.

Helmſtad. d. 9. Octobr. 1661.

Hoc ipſo momento, quas $\frac{13}{3}$ Octobr. Maguntiaci exaraſti, vnacum Hottingerianis accipio. Non dubito, iam, antequam hoc reſponſum meum redeat ad te, vltimas meas fore redditas, atque adeo non opus mihi eſſe ob ſilentium aliqua excuſatione noua. Eminentiſſimum Dominum Principem Electorem plene iam reſtitutum valetudini, ex animo lætor. Faxit Deus, vt hoc bonum totius Germaniæ commodo ſit diuturnum! Addo et hoc merito: Faxit Deus, vt puluiſculus ille meus etiam cognatis optimi Prineipis bene vertat! Te vero rogo etiam atque etiam, promptiſſima obſequia mea nunquam defore quacunque data occaſione Magni illius Principis vſibus, vti perſuadere porro ne graueris. Stare firmam ſententiam de non mutando *Deputationis* loco, multum gaudeo. Omnino enim tibi iam dudum aſſentior, aliquid monſtri alere illam ſtrenuam vrſionem mutationis. Comitiis Imperii publicis vereor ne Auſtriaci citius indigeant, quam arbitrantur. Habent enim quidem initia belli Hungarici ſeſe haud male; ſunt autem dûntaxat initia, a quibus ſucceſſus ſolet ſæpenumero plurimum diſſidere. Quamdiu *Waradinum*

dinum in manibus erit Turcicis, nunquam ſecura erit Tranſyluania, et hac a Turcis occupata, actum erit de eo, quod Hungariæ eſt reliquum perpuſillum. Habemus Turcam iuuenta et ambitione feruidum, in arma pronum, et copiis vndique aduerſum Chriſtianos inſtructum, et apud Perſas pace firmiter ſatis conſtituta. *Hottingero* paucis reſpondeo. Vir eſt incomparabilis cum induſtriæ, tum Orientalium rerum peritiæ. Mitto literas non obſignatas, quo abs te etiam poſſint inſpici, priuſquam tradantur. Pro libello tranſmiſſo nuper ago gratias. Miſi illum, ſimul accepi, ob raritatem argumenti (fœtum enim lapideum repertum extra maternum vterum hactenus nemini fuerat auditum) incomparabili Principi meo, vbi adhuc hæret. Quod ſcribo, quo intelligas, non ſtudio quodam diſſimulari abs me ſententiam. *Scioppii* ſchediaſma non potuit non mihi eſſe acceptum ob hominis famam; quamuis non bonam *. Habeo indicem librorum eius non-

* Doctis impoſtoribus vel ob ſolas confictas genealogias accenſeri meretur *Scioppius*, in quibus principem locum tenet *Burenſis* anno 1629. Imperatori oblata, qua Burenſes a Pria-

nondum editorum. Ex quo didici et hoc, hominem fuisse fanaticum, vel certe diuinationibus deditum, detortis huc illuc Scripturæ dictis: vt erat hominis ingenium violentum. *Bucelini* conatus perplacent. Vtinam vir bonus præstet, quod promisit! Mihi, ne quid dissimulem, indices illi edendorum operum videntur habere nonnihil ostentationis. In Olympiis solent, non qui volunt, aut possunt vincere, sed, qui vicere, coronari.

CCXVIII.

Boineburgius cui alter filius natus, *Deputationis* translationi quomodo obuiam iuerit, narrat, iudicia de Scriptoribus I. P. denuo flagitat, et *Titium Walenburchio* iniquum putat.

Moguntiæ d. 18. Octobr. 1661.

Tuas *d. 3. st. v.* datas eopse momento accepi, quo et a Serenissimo Electore Palatino literæ mihi

*Priamo deducuntur, et non Cæsaris solum, sed et Hispaniarum Galliæque Regum ac plurium Germaniæ Principum familiis innectuntur. Hoc Scioppianæ impudentiæ specimen insertum est Scripto Paderbornensi contra Mauritium de *Buren* emisso 1658. fol.

redduntur, propria manu exaratæ, quibus perhonorificam tui et amicam mentionem facit. Ante omnia te certiorem facio, ante quinque dies Deum mihi donasse filiorum alterum. Parum abfuit, quin eo audentiæ procurrerem, et Serenissimum nostrum *Augustum*, Ducum et Principum nostratium Augustissimum sane Nestorem, illi patrinum deligerem. Nolui tamen molestiam optimo et prægloriosissimo Seni facessere. Veneror, et, si par est ita loqui, diligo summum illum in omni laudabili rerum genere Principem sane ex animo. Sed spero, meas, queis *Hottingeri* incluseram, te recte accepisse. Elector *Coloniensis* hac transiit nudius tertius secundo Rheno, cui Eminentissimus Elector in sua eam in rem perornata naui obuiam processit, inque ea Coloniensem hilariter et prolixe tractauit, et vna cum naui, quam ei donabat, quatuor hinc milliaribus infra vrbem hanc dimisit. Omnia per bene composita sunt, manetque Coloniensis in pristina sententiarum pro publico hactenus felicium rectitudine. Tot eum validis ac solidis argumentis retinemus, vt disiungere se a nobis ne possit quidem. Eramus autem plane inter nos soli, duo Electores, Ego, Comes Furstenbergius, et ego.

Ita

Ita tandem ſperamus, belluam illam brutam tranſlationis debellatam et peremptam eſſe, atque paullatim homines noſtros deprehenſuros, quantum in hoc momenti ſitum ſit, vt hæc molitio in fumum abeat. Semel enim ſinere, vt rectus ac ſanus ordo, vota in collegiis et ſenatu edendi et colligendi, interprimatur ac exſtinguatur, adeoque contranitens aula fauſtos ſucceſſus ſortiatur; annon inde reipublicæ genuinum regimen tranſuerteretur in longe aliud? Aut quippe aula eo modo, quo tranſlationem contra Imperii mores et recentes leges machinata eſt, per extracollegialia ſuffragiorum ſolitariorum implicamenta proficiet impoſterum, aut non. Si illud euenerit, prout ſemel re obtenta euenturum certo eſt; cui tum bono Senatus aut conuentus Ordinum habebuntur? Ad quid Aulæ iis opus? Sin impetrare hæc, quod ſic quærit, non vſque quaque valeat; id tamen conſequetur, vt ſemper quoſdam Statuum ſibi adiungat; quoſdam tuto aſpernari poſſit. Inde colliſio ac commiſſio procerum perpetua, et plerorumque Electorum et Principum potiorum diuiſio, per quam aula regnat. His ergo principiis obſtandum. Tibi quoque in tuis Lampadianis incumbet peculiaris cura, materiem iſtanc

de votorum nulla, nisi in collegiis, vi et obligatione curatius aliquanto exsequendi. Eo videlicet res nostræ truduntur, vt, quod vnus alterue Principum bono et pacis cupido animo toties fodicatus et derelictus extra ordinem et collegium suum vel consulit, vel euentualiter pro circumstantiarum superuentu pollicetur, id aula, velut inconditionaliter ac pure condictum, sibi præstitum cupiat; etsi omnis rerum habitus postilla VI. VII. mensibus exinde interlapsis, penitus mutarit. Sed hæc confido superatum iri firma in rectis sensibus consensione, qua nostri in Imperio Status ratio omni externo impermixta tandem peruidebitur, et cum *deputatio*, tum fœdus sollerti constantia, modo et loco debito, continuatibur. Velim iccirco, *Heilandum* Francofurtum breui redire, suetum rerum nostrarum modulis. Scis autem tutemetipse, qui sunt sui inuicem scientes genii, et mutua voluntatum concordia iunctissimi. Alii enim recens admoti, priusquam noscant nosci digna, multum sibi postulant ignosci. Ceterum vt ad tuas veniam, doleo, imo plurimum doleo, te censuram mihi tuam denegare de publici iuris conscriptoribus. Belle me reiicis ad generalem obrussam, cui boni Scriptores aptandi veniant.

De

De ea tu ſane initio *Machiauellicorum* optime. Aſt ad eam qui appenſitari in ſpecie ferant, non ais, neque credo te credere, me ex *XII. capite* libri de ciuili prudentia ſatis diuinare poſſe, quid tu cenſeas ſeorſim de auctoribus noſtratium rerum, quo quiſque loco haberi mereatur; in quo hic, ille, iſte, præcellat; quid capi vtilitatum poſſit ex hoc; quid ex illo: in quo erret hic, illeue. Nec ſufficiet, niſi generatim, ad hunc, quem ego præſtulatus ſum, ſcopum; tametſi legero propediem Politicorum, quam ſub finem operis de ciuili prudentia, forte diu non prodituri, attexere paras, cenſuram. *Viottiana* perplacent. *Piccartiana* in Ariſtotelem, a *Dürrio* recuſa, habeo, et pridem legi, qualia erant antehac. Quæ ſub titulo *Philoſophiæ Altorfinæ* exſtant, inquiram. *Veielii* quæ recens prodierunt de Græcæ eccleſiæ ſtatu hodierno, nuper in nundinis vidi, ſed oblitus ſum commercari. Mei quei mentionem inibi facere quiuerit, non aſſequor. Francofurtum ſcribo, vt huc, ſi ibi adhuc venum proſtat, deuehatur. Aſt, mi optime, in eo erras, quod putas, me in te concire *Walenburchium*. Malim enim te incumbere vnis et ſolis noſtratibus rebus, et miſſas facere Theologicas. Tecum au-

 tem

tem per literas priuatas vt *Walenburchius* conferret, nuper optaui; sed ita tamen, vt id omne fieret quam minimo temporis tui impendio, quod debes iis, quæ vulgo rectius et intelligis et tradis. *Titii* iudicium de *Walenburchicis* scriptis nil moror. Est is vtique stribligine Wittebergensi refertissimus, et acer Catholicorum hostis. Quod Pyrrhonica et sceptica deliramenta impingit viro eximio, in eo facit indoli sectæ conuenienter, quæ calumniari nondum dedidicit. Aggrediatur *Titius*, si vir est, *Walenburchica*, cumprimis quæ in noua editione leguntur *Augustinianæ methodi*, et liberet suos e confusione et lerna illa, quam hæc ætas videt lugetque, sectarum, idem in disputando contra Ecclesiam principium habentium, et eodemmet plane argutandi furore turgentium. *Titius* ille quare non tentat quoque aliquid in *III. motiuum Ernestinum*, sicut priora duo vellicare ausus est? Temnere talia et *Honoratiana*, non est satis. Refellenda, et cum pondere, sunt, idque comiter. *Honoratus* et *Walenburchius* non merentur conuitia; nulla cuiquam faciunt. *Allatium* ipse obiurgaui nuper, quod *Hottingerum* nostrum tam acerbe excepit. Absurdum est, intolerandum est, ita etiam aspera-

rum

rum vocum oppofitu veritatis cauffam offufcare, ne pelluceat. Vix perfpicitur; etiamfi omni conatu intelligentia fe humana citra omnem affectuum prauitatem in id intenderit et exferuerit. Neutri parti non vitio verto conuitiorum licentiam. De ciuili prudentia commentarius ecquando tandem ferio prodibit foras? Deum oro, vt te feruet et incolumem ac fofpitem, adeoque indies nouis roboret viribus, quo alacriter abfoluas, quæ bono publico paras, mihique eam lætitiam procures, quæ ex tuis et libris et literis mihi fane fumma et maxima eft. Vale, Vir optime! *Titii* ne putes omnia mihi parum arridere. Teftor, quæ nuper *de præparatione ad mortem* edidit, per mihi placuiffe, et, fi pauca demas, *Hildebrandi* quoque de eodem argumento liber non difplicet.

CCXIX.

Conringius loco *D. Heilandi* miffum iri Francofurtum *D. Alexandri* nuntiat, quem valde laudat, et *Blumium* vifurum fe Hanoueræ fperat.

Helmftad. d. 12. Octobr. 1661.

Mittit Sereniffimus Dominus meus Francofurtum, loco valetudinarii *Heilandi*, *Alexandrum*,

vt corpore integrum, ita animo et prudentia praeualidum; induſtria quoque et dexteritate et candore plane eximium, doctrina denique ita inſtructum, vt nihil temere deſideres. Verbo vno, talem, quales tu amare ſoles. Id quod ideo ſignifico, vt ſcias, quicum viro impoſterum tibi ſit res futura in conuentibus: ſimul vero, vti inuitem te ad arctiorem cum illo familiaritatem colendam. Intereſt autem plurimum, ceu optime omnium intelligis, publice pariter priuatimque, noſſe animum illorum, quibuſcum negotia communia ſunt peragenda. Ego non dubitaui viciſſim *Alexandro* noſtro certam de prudentia, candore, doctrina reliquiſque tuis virtutibus omnibus fidem facere, ne quid moretur amicitiam, quam vos inter conciliatam velim. Cum vtriuſque vero animum habeam probe perſpectum, minime etiam ambigo de felice voti mei ſucceſſu. Propediem Hanoueram proficiſcar, fortaſſis inuenturus ibi *Iulium Florum* noſtrum. Vtinam liceat de illo pares mihi virtutes polliceri! Vbi conuenerimus, monebo et increpabo hominem libere, pro vetere quodam meo iure, vt quem ego annos aliquot educauerim. Vale!

CCXX.

CCXX.

Idem promittit denique cenfuram defideratam, et *Titium* excufat.

Helmſtad. d. 28. Octobr. 1661.

Commoranti mihi Hanouerae literae, quas $\frac{8}{18}$ Octobris exaraſti, recte ſunt traditae. Ante omnia gratulor ſecundo natum tibi filium. Faxit Deus, vti creſcat in familiae tuae gloriam, ſalutem Reipublicae, et verae Eccleſiae Catholicae incrementum! A Sereniſſimo Electore Palatino mentionem mei factam honorificam, gaudeo equidem. Non me latet tamen, quanta in eiuſmodi laudibus vis ſit affectuum. Tu optime de me mereberis, ſi gratiam illius etiam magni Principis mihi conſeruare ſtudueris. Eminentiſſimum Principem Electorem Colonienſem in viam reductum regiam illam tuendae reipublicae, auctoritate et prudentia ſummi Principis atque Heri tui, etiam atque etiam laetamur omnes. Idque eo magis, quo veriti magis ſumus, ne ſeſe tantus Princeps ab aulicis patiatur circumueniri. Conſtantiam conſiliorum rectorum ſereniſſimi Domini mei indubie iam intellexiſti ex Domino *Alexandro*, quem pro ſua,

 qua

qua valet, prudentia, animo et corpore integrum in locum valetudinarii *Saluatoris* ſapientiſſimus Princeps ſuffecit. Quem quare dubitaueris patrinum filiolo tuo expetere, non capio, cum vtique non ignores, nec maiorem temere nec ſapientiorem, nec tuis quoque rebus fauentiorem te alibi reperturum. De auctoritate ſuffragiorum aut votorum, quæ feruntur ab Imperii Ordinibus, dicam, volente Deo, ad *Lampadium* breuiter quidem; quantum tamen fuerit ſatis. Quandoquidem etiam inſtas, curabo, vt de cenſura Scriptorum reipublicæ Imperii deſiderio tuo ſatiſfiat; quanquam ſciam, multos tibi rectius, quam mihi, eſſe cognitos. *Titii* de *Walenburchicis* iudicium caue exiſtimes, ab æruginoſo quodam ſectæ ſtudio profectum eſſe. Vir eſt bonus et doctus. Reſpondebit quoque modeſte ſatis Domino *Walenburchio*, et, niſi fallor, ipſum quoque *Erneſtinum tertium motiuum* aggredietur. Pyrrhoniſmum in eo collocat, quod Dominus *Walenburchius* perſuadere nobis conatur, nihil a nobis ſciri certo poſſe ſacrarum rerum, quamuis ſacris literis reuelatarum, eoque opus eſſe Eccleſiæ vno aliquo infallibili iudice. Hæc ſententia, fateor et ipſe, iiſdem certe nititur argumentis, et iiſdem poteſt

teſt conuelli, quibus vetus Pyrrhoniſmus et defenſus eſt, et confutatus. Vale!

CCXXI.

Boineburgius aduentum *D. Alexandri* gratum ſibi fuiſſe ſignificat.

Moguntiæ d. 10. Nov. 1661.

Longe gratiſſimus nobis eſt D. *Alexander*, tum Sereniſſimi *Auguſtique* noſtri Neſtoris miſſu, tum ſuopte genio, tuoque nomine. Gaudet Eminentiſſimus Elector, optimum Auguſtiſſimumque ſenem ita feſtinaſſe ſuum Francofurti in vtroque et *Deputatorum* et Fœderis concilio locum ſupplere, adeoque rectis pro patria conſiliis novum robur indere. Quod vero tuis literis haud incomitatus apparuit, id vtique non mediocrem viro eximio adiunxit exiſtimationem. Ipſe profecto digniſſimus eſt, qui his negotiorum momentis admoueatur, et germanitate verorum ſtatus noſtri principiorum, et animi ad ardua paris præſenti facultate probe munitus. Quicum et tua, et publici cauſſa intimam coniunctionem tuebor. Te interim vehementer etiam atque etiam obſecro, vt ad priores mihi meas epiſtolas reſpondere digneris.

CCXXII.

CCXXII.

Conringius denuo laudat D. *Alexandri* et Nestorem suum.

Helmstad. d. 13. Nov. 1661.

Binas abs te vno eodemque momento accepi: alteras $\frac{27}{17}$ Octob. alteras $\frac{10}{1}$ Nov. exaratas. Gaudeo, placere tibi *Alexandrum* nostrum. Magis autem, scio, placebit, vbi negotia publica maiorem frequentioremque familiaritatem conciliabunt. Valet enim ingenio et dexteritate agendarum rerum; quibus si accesserit vsus et excercitatio quotidiana, non dubitauerim equidem, illum tibi solertem præstare. *Heilando* defuit integra valetudo, qua profecto opus est ad expedienda negotia. In *Alexandri* sanitate nihil desideraueris. Silere iam translationis caussam, gaudeo. Credo autem, certum id signum esse non bene compositi Hungariæ status, quod scilicet iam tandem intelligant Viennenses Aulici, sine coniunctis Germaniæ viribus bellum non posse feliciter geri, ac proinde omnino opus esse Comitiis. Id quod a nostris serenissimis Principibus, cumprimis ab Augustissimo Nestore nostro, diligentissime fuit Legato Cæsareo

in-

inculcatum. Ignosce breuitati literarum. Turbat animum luctus domesticus ob immaturam mortem ex fratre nepotis, magnæ exspectationis iuuenis, cui exsequias paro. Vale!

CCXXIII.

Boineburgius reditum *Wallendorfii* Vindobonam nuntiat.

Moguntiæ d. 23. Nov. 1661.

Auocatus tandem Viennam est a Cæsare *Wallendorfius*, vti patet ex adiunctis, quarum tibi copiam facere non differendum censui. Hariolor inde, translationis nugas tandem missas factas, et comitiorum nunc maiorem appetentiam esse, quam antehac. A Turcis, an aliunde metus inualescat, nescio. Deo grates debemus sempiternas de constantia nobis donata, legibus patriæ robur suum ac pondus asserendi. Sine hac fuisset; miseram in ærumnam recidere nos oportuisset, ac in præsentissimum mutati status et noui belli discrimen. Satis cautelæ adhiberi non possunt, vbi tam efficaces ac perpetes insidiæ nectuntur publicæ rei. Lampadiana tua et ciuilem prudentiam aui-

uide opperimur. Iam autem finienda oratio eſt. Vale, et ad priores quoque meas reſponde, meque Sereniſſimo tuo humillime commenda.

CCXXIV.

Idem *Hottingeriana* quædam mittit.

Moguntiæ d. 5. Dec. 1661.

Quæ optimus *Hottingerus* mihi paullo ante ſuum diſceſſum Heidelberga miſit, ea ecce! ad te ego mitto. Multum non eſt quod ſcribam, dum exſpecto in horas longam abs te ad meas non vnas reſponſionem cum cenſione Scriptorum Iuris publici, qui hodie Germanicam rem illuſtraſſe ſibi viſi ſunt. Vale, vir optime, noſque tandem tuis de ciuili prudentia et Lampadianis lucubrationibus bea. De publicis pluſculum ſcribi poſſet. Vtinam loqui coram liceret!

CCXXV.

Conringius Comitia appropinquare gaudet, et ſeceſſionis in eccleſia rationem reddit.

Helmſt. d. 19. Nov. 1661.

Quas $\frac{23}{13}$ Nov. huius exaraſti cumprimis me exhilarant. Omnino enim tecum ſentio, impoſterum

rum conquietura translationis molimina, et magis serio negotium Comitiorum agitatum iri. Quin infelicior successus rerum in Transyluania isthuc duxerit Viennenses, quamuis inuitos, non dubito. Et vero auxilia Pontificia in bellum illud, vt non sint nullius momenti, Hispanica tamen forte nulla erunt, rebus Hispanicis perquam accisis, et iam per Galli pertinacem iracundiam et insperatum Principis Infantis obitum in summum denuo periculum coniectis; ne quid dicam de Lusitanico bello in posterum Anglicanis viribus gerendo. Accedunt Polonicæ illæ in rem publicam coniurationes, domui Austriacæ simul perquam infestæ; et fœdus illud nouum inter Gallos, Britannos et Suecos nuper initum, quod vt non in detrimentum Austriacorum coaluerit, quod equidem arbitror, non permittit tamen Austriacos secure suas res gerere. Itaque ego sane haud dubito, Comitia nos habituros, et forte sperato citius. Faxit Altissimus, vti cedant in salutem Germaniæ! Censuram Scriptorum nostri publici iuris nondum licuit conscribere præ multitudine occupationum; non deero tamen tuæ exspectationi. Hodie aggredior priuatam scholam habere apud numerosos auditores de Rebuspublicis no-

stri

ſtri æui præclariſſimis, per vniuerſum orbem ſparſis; non niſi differendo tamen viua voce: calamo enim hoc agere non licet. *Titius* quare manus abſtinuerit a *tertio Erneſtinæ motiuo*, ipſe iam cauſſam dixit in iis, quæ ad Lectorem præfatus eſt. Reſpondebit Reuerendiſſimo *Walenburchio;* ſed modeſte. Cauſſam ſchiſmatis nos rogari, miror equidem. Ipſe quid ſentiam, dixi paucis præfatione ad *Caſſandrum.* Prima eſto, quod Romanenſes in nos, tanquam hæreticos, ſæuiant anathematiſmis, ferro, igne, aqua, reſte. Licetne cum illis ita in nos ſæuientibus ſocietatem colere Chriſtianam et Eccleſiaſticam? Hoc igitur ante omnia doceat *Walenburchius*, quo iure Romanenſes tantum ſchiſma excitauerint, et quæ *iuſtifica* ſit cauſſa tot anathematum? Nam vtique origo ſciſſuræ ex Romana curia profecta eſt. Id vbi fecerit *Walenburchius*, tum demum tempeſtiuum fuerit quærere, num iuſtis de cauſſis nos nolimus ad Romanenſem Eccleſiam reuerti. De *Heilando* iam accepiſti, eam inuentam corporis imbecillitatem, vt omnino *Alexander* in eius locum debuerit ſubſtitui. Horum nihil indubie dudum te latuit. De Sereniſſimi Principis mei fauore erga te noli quicquam dubitare. Tu viciſſim

cissim dabis operam, vt Eminentissimi Principis Electoris gratia mihi integra maneat. Vale!

CCXXVI.

Idem *Hottingerum* laudat.

Helmstad. d. 30. Novembr. 1661.

Recte accepi Hottingerianum libellum cum eiusdem literis; sed sine capite et cauda, vt ita loquar, imo et sine necessariis imaginibus. Verum non dubito, hunc defectum propediem expletum iri. Deprehendi vero sub finem adiectam et meam epistolam, cum *Hottingeri* responso. De re ipsa non est, quod nunc moueam; at vero meam illam epistolam perquam mendose esse excusam, et miror, cum reliquum omne libri illius satis sit emendatum, et doleo. Mitto indiculum mendorum pariter et correctionum, simulque obnixe te rogo, vt quam ocyssime cures illum Heidelbergam, faciasque imprimi, et fini libri per hominem probæ fidei annecti. Interest enim mea, menda ista corrigi, præsertim cum sensum interdum peruertant; interdum plane tollant. Spero adhuc rem integram esse, et perfectionem libri viro alicui docto ab *Hottingero* esse commissam.

 Hot-

Hottingerum autem in Heluetiam rediisse; doleo equidem scholæ Heidelbergensis nomine. Est enim vtique vir sine exemplo et industrius pariter et Orientalis doctrinæ peritus, eoque aptissimus famæ loco alicui conciliandæ. Quid vero, amabo, fuit illi cum *Allatio* certaminis? Ego nihil huius noui, multo minus vidi. Ad literas tuas omnes prolixe respondi. Censuram Scriptorum reipublicæ Germanicæ accipies demum, cum vltima libri de ciuili prudentia parte. Nunc animus curis domesticis ob morbos pertinaces liberorum meorum ita est occupatus, vt meditationibus et scriptioni minus sit aptus. Quotidie tamen bis doceo: et quidem priuatim ordine differam imposterum de omnibus Rebuspublicis nostri æui. Quas meas dissertationes cum studiose annotent Auditores, poteris fortassis et tu aliquando earum fieri particeps, si visæ fuerint tanti. Vale!

CCXXVII.

Boineburgius respondet ad singula, quæ continentur Conringianis d. 19. Nov.

Moguntiæ d. 8. Dec. 1661.

Recte accepi a *D. Alexandro* duas abs te vno tem-

tempore. Translationis negotium hactenus consilescit. An ideo, quod opus Comitiis sibi mox fore credant Viennenses, nondum liquido prouideo. Puto desitum illud et abruptum tandem, quia viderunt, Eminentissimum Electorem contra occalluisse, adeoque Caesaris auctoritati, postquam ea diu male obtentui sumpta fuit, aliquando parcendum. Nos bene prouidemus, Comitia tam expedita aut propinqua non esse, nisi illa Turcica pericula propius inualescant, vel aliis domus regnatricis tricis necessitatibusque accelerentur. Quanquam his forte alio modo occurri et subueniri posse existimaturi sunt, Gallo nunc rursus placato, et nouo Infante Hispaniae recens nato, si superstes est. De Lusitanico bello nihil in desperatis ponunt, neque omnia credunt, quae de Angli in se iris diduntur; quin ipsi dubitantes adhuc de connubio Lusitanae cum illo. Ita vastae spei et gloriae homines sibi comminiscuntur, quicquid lubet, atque discrimina suis rebus impendentia animi affectata quadam magnitudine eleuant. Quam placido id exitu futurum sit, propediem ostendet experientia. Polonici militis in Regem Reginamque, imo et rempublicam coniurationes,

Austriaci, tantum abest, vt sibi nocituras arbitrentur, vt et sub hoc Electionis articulo opportunas esse suis consiliis sint persuasissimi. Et quis scit, annon Turcico bello semoto vires suas istuc sint translaturi. De fœdere Gallos inter et Suedos: de Britanno nil dum certi habemus; Viennæ non multum formidinis concepisse videntur, cum id quoque ne quidem hactenus pro explorato compererint. Quocirca reor, his abs te adductis caussis omnibus parum illos ad Comitiorum festinationem esse permotos. Solent etiam præ suis priuatis placitis plerumque id genus solidas et in publicum exporrectas rationes dispectui habere, aut oscitanter transmittere. Censuram Scriptorum Iuris nostri publici proxime opperiar. Vtinam auditor esse coram possem tuus, cum explanabis huius æui Respublicas et Imperia, quæ sunt in potioribus! De ciuili prudentia denuo taces, vt de Lampadianis etiam. Horum neu obliuiscare, oro vehementer. Quidni hæc absoluis, antequam de nouo te onere cumulas? Doleo ex animo obitum tui nepotis, vel nominis *Conringiani* caussa. Spero, hoc in multam posteritatem superstes fore in filiis tuis, si habes, vti credo. Deus det tibi, quæ voues tuis et tibi, et quæ ego! sic enim ac-

ce-

cedet ceteris tuis bonis recta in Deum fides, in catholica vnitate ad salutem efficax. *D. Titium* saluto. Eius scriptio in *Walenburchium* erit gratissima, eique hic modestissime respondebit. Vale, et me ama tui amantissimum.

CCXXVIII.

Conringius nuntio aduersæ *Boineburgii* valetudinis turbatus, taxat decretum *Alexandri P.P. VII.*

Helmstad. d. 30. Dec. 1661.

Perquam graues fuerant literæ tuæ vltimæ nuntio de nutante valetudine tua. Etsi enim existimem, quicquid eius est, omni tamen maioris aut serii mali periculo vacare, tantumque esse nonnihil molestiæ ab hac insolente tempestate autumnali, quæ neminis non valetudini negotium facessit; ne quid diffitear tamen, non ante animus tranquillus esse poterit, priusquam meliora sperare iusseris. Interea Deum veneror, vti hic proximus annus feliciter adeo tibi decurrat, quo possimus in seram ætatem tibi integra omnia polliceri. Eget sane tuis prudentibus consiliis et erecto animo res nostra Germanica, præsertim postquam magnam et irreparabilem fortassis iacturam fecit

Hungaria, Transyluaniæ fœda illa amissione, et excitata in Hungarorum animis illa erga Germanos diffidentia, metu Iesuiticæ tyrannidis et impotentis Austriaci dominatus. Nisi profecto Eminentissimus Elector, quem Deus quam diutissime nobis seruet! auctoritate, qua valet, et prudentia sustinuerit lapsantes Imperii res ab imminente iam ceruicibus nostris periculo, vereor equidem malum maximum. Verum nolo hisce tibi nunc grauis esse: potius abs te indies expectabo lætiorem epistolam. Hæc scripseram, cum offeruntur *Nouellæ*, quas vocant, *historiolæ*. In iis lego, iam denique ausum *Alexandrum* Romæ inter Fidei mysteria referre, quod hactenus Pontificum nemo fuit ausus, neque dum sibi reuelatum esse, diserte Hispanicæ splendidissimæ illi Legationi confessus est *Vrbanus IIX*, *immaculatam conceptionem Deiparæ Virginis*. Ita fœcundo *Alexandri* ingenio debet *Ecclesia*, vt, sine quo *Christiana* et *Catholica* esse potuit mille sexcentos amplius annos, imposterum sine eo *Christiana* esse non possit. O miseros Dominicanos! Ite nunc et Iesuitas offendite, si viri estis! An ausint miseri in dubium vocare *infallibilitatem* Pontificis, extra Concilium aliquid pronunciantis? Certe longe aliter

sensit

ſenſit quondam *Vincentius*: *Chriſti*, inquiens, *Eccleſia, ſedula et cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in iis vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua* *. Nos vero maxime terret ſacra illa vox Apoſtoli: *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Noua illa igitur Euangelia nos quidem audire horremus. Vtinam tu etiam malis *Sancto Paulo* credere, quam *Sexto* ** *Alexandro*!

CCXXIX.

Idem de Hottingerianis ſententiam dicit.

Helmſtad. d. 11. Ian. 1662.

Hottingeriana cum ſchedio epiſtolico tuo exarato $\frac{6}{16}$ Ianuar. cura Optimi et vere *Auguſti* Principis ac Domini mei per expeditum equitem hoc ipſo pene momento accipio. Idque non ſine in-

* Sunt verba *Vincentii Lerinenſis* hauſta ex eius libello *pro catholica fide cap. 32. p. 159. edit. Salern.*

** Cur *ſextum* appellet Alexandrum PP. qui inde ab anno 1655. ſedit, et qui ſemetipſe *ſeptimum* vocat, neſcio: niſi forte vitio memoriæ id factum ſit, aut calami lapſu.

insigni meo gaudio. Perquam enim sollicitum de valetudine tua me feceras literis prioribus, nutare illam scribens: ex eo vero abs te nihil inaudieram. Video autem, te etiam de me esse sollicitum. Neque vero abs ratione amicis metuimus, ob insolentem hanc aëris hyberni temperiem, valetudini infestam. Ceterum ego quidem mediocriter valeo. Deum vero obsecro, vti et tibi tuisque sanitas sit integra. Optaui idem iam tum singularibus ad te anni initio exaratis literis, quas cum indubie iam acceperis, non dubito etiam, haud de meo silentio quod conquereris, quidquam amplius caussæ superesse. *Hottingeri* libellum nondum licuit cum cura euoluere. Misi enim illum, simulatque accepi, Serenissimo Domino meo, vtpote qui, innumeris licet negotiis impeditus, hac etiam tempestate, pro solita curiositate et desiderio nunquam satis laudato, rei librariæ nondum deponit, aut vel tantillum mutat desiderium et curam, si quid eximium prodeat in lucem. Perplacet vero, quod *Hottingerus* velit emendare ea, quæ perperam edita sunt, meæ ad illum epistolæ. Alias etiam ipsius *Responso* aliquid reponam: neque enim mihi satisfecit Vir Clarissimus. Quæ vero est epistola illa Hottin-

ge-

geri, cuius meminit, ad te scripta de antiquorum Codicum vestigiis et characteribus? Si quid habet eximium, quaeso, describi curato. Sed et quae est illa pars secunda concordiae *Iacobi Masenii?* Et quisnam est ille *Masenius?* Rogauit nuperrime sententiam meam Illustris Baro *Henricus a Friesen*, Consiliarius Electoralis Saxonicus, de libro illo abs te laudato. Est autem nobis hic nunquam auditus, multo minus visus. *P. Lambecii* librum secundum rerum Hamburgensium, non dubito, iam tibi traditum esse. Praefixit nostras epistolas. Malim meam non addidisset. Nec enim in id scripseram, vt vnquam ederetur. Iniquum videtur, adeo multum sibi iuris sumere in rem alienam, domino inconsulto *. Ego praeter alia integris viginti quinque horis disserui proxime de republica Hispanica; nunc de rebus ago

* Altioris indaginis quaestio est, num epistola ad me data sit res aliena, et in scribentis dominio. Honesti et decori regulas violare publicantem inconsulto scribente, facile concesserim; iussu non item, cum scribens missae ad me epistolae dominus esse desierit. Vnde stomachari quidem licet; at in foro non datur actio, quae daretur, si res aliena contrectata fuisset.

Portugallicis. Vtinam possis aliquando et tu dissertata mea legere, atque iudicare politica censura! Curabo describi, quæ eruditior aliquis auditor annotauit in meos vsus: ego enim huius nihil habeo scriptum: inde fortassis etiam poterit tuas in manus peruenire.

CCXXX.

Boineburgius rumorem de decreto Romano falsum pronuntiat, in laudes *Holstenii* diffusus, et Germanorum suorum.

Moguntiæ d. 20. Ian. 1662.

Literæ tuæ me valde recrearunt, quod me eadem sollicitudine, qua tu mei caussa affectus fuisti, leuarent, teque incolumem adhuc esse ostenderent. Eram certe anxius de te tuisque, cum nuper nuntiasses, morbos quosdam vobis hactenus molestiam facessiuisse, de quorum exitu multum dubitaui. Deus te vna cum tuis diu seruet sospitem et prosperum! Libri de ciuili prudentia et Lampadianarum rerum nullam facis mentionem. Forte in nouas moras omnia desinent, nostræque spes paullatim decollabunt. Quod de definitione sententiæ pro *immaculata conceptione Virginis Deiparæ* scribis; erroneo nititur rumore. Papa Bul-

Iam quidem exeunte anno ſuperiore edidit, qua contentionum *ſcholaſticarum* incuſtoditam et promiſcuam omni loco licentiam intra modum cohibet; profitetur tamen exſerte, ſibi propoſitum iam non fuiſſe, ipſam litem in alterutram partem diſſinire, ſed de eo amplius cogitandum deinceps eſſe. Quæ ex *Vincentio Lerinenſi* adducis, perperam applicari videntur ad id, quod dicere inſtituiſti. Lege, quæſo, *Grauinam*, Dominicanum, pro ſacro Catholicæ fidei depoſito, contra *Marcum* veſtrum *Antonium* de *Dominis*, tum et de præſcriptionibus catholicis tomo I. Sunt autem ſeptem. Iis pulcre docet e SS. literis, et luculenta Antiquitatis ſacræ traditione, ac conſenſione Eccleſiæ in Conciliis, et per Apoſtolicam Sedem editas deſinitiones, quo fundamento ſuffulciantur. Reſpondebo autem yberius, vbi de facta definitione immaculatæ conceptionis conſtiterit certo, quam vix noſtra ætas videbit. Vbi pontifex eam generali Concilio definierit, habebitis, quod queramini. Quæ ſolus definit, Vos, ab vnitate ſociali ſegreges, nihil ſpectant. De definitis per poſteriora Concilia, et implicite credendis, *Walenburchius* egit *Examine Princip. Fidei* tertio. Ibidem reperies, quantum teneamur papalibus definitionibus

bus deferre. Is in refutatione tuæ *Concuſſionis* oſtendet, non concernere Luteranos, niſi quæ a Papa ac Concilio definiuntur. Ceterum non poſſum quin tecum communicem *Holſtenii*, quæ eius in bibliotheca ſunt reperta. Epiſcopus Paderbornenſis ſaxo curet, qua valet apud Cardinalem *Franciſcum Barberinum* gratia, vt hæ notulæ edantur ſub diuerſis epigraphis. Mitto excerpta, e bibliotheca *Holſteniana* curſim deſcripta et mendoſe. Magnus Honos Germaniæ noſtræ fuit *Holſtenius* in Italia, vt vel ex eo cognoſci poſſit, nos non carere viris funditus eruditis. Helmſtadienſes veſtros nolo prædicare hic, ne videar ſubblandiri tibi. Quis non agnoſcet præclara nomina, hoc æuo Germaniam colluſtrantia, *Gronouium*, *Barthium*, *Reineſium*, *Scioppium*, *Freinſhemium*, *Bœclerum*, *Kircherum*, *Hornium*, *Lindebrogium*, *Lambecium*, *Iungium*, *Æſacium*?

CCXXXI.

Conringius diſſerit contra Papales definitiones, et *Holſtenii* poſthuma laudat.

Helmſtad. d. 14. Ianuar. 1662.

Quoniam vtrique noſtrum bene eſt, faxit Deus, vt felicitas illa ſit diuturna! Hæc anomala hy-

ems

ems alioquin non vacat periculo, iamque tum eripuit mihi viros et amicos eximios. Inanem esse rumorem de *immaculata conceptione Deiparæ Virginis* inter salutaria fidei mysteria ab *Alexandro* recepta, mirum fuerit, cum sæpius sit repetitus literis Roma scriptis. Nondum possum plene tibi fidem adhibere contra tam constantem famam, quia videris sacram illam *Alexandri* Bullam nondum vidisse, et, quod tu opinaris eius esse argumentum, noua Bulla haud opus habuit. Dudum scilicet iam a *Sixtis* quarto et quinto, vt et ab *Vrbano* octauo, vt verbis tuis vtar, *contentionum scholasticarum incustodita et promiscua omni loco licentia intra modum cohibita est*, Dominicanis intra angustos cancellos constrictis. Nihil sane hactenus definitionem Pontificiam videtur remoratum, quam auctoritas doctrinæ *Thomæ Aquinatis*, et multitudo Dominicanorum, vt et plerarumque Hispaniæ et Galliæ *Vniuersitatum*, *Thomæ* adhærentium, in vulgo existimatio: quos omnes offendere non permisit *Ratio Status* Curiæ Romanæ hactenus quidem; fortassis autem hodie, præualentibus in Hispania Iesuitis, et populo ad insaniam vsque iam in Mariolatriam flexo, vacat periculo; ex aduerso autem per definitiones nouas

uas Pontificum crescente auctoritate Vicedeatus atque infallibilitatis, tanquam per *actus possessorios* sacerrimi muneris Apostolici: prout *Ratio Status* aliquamdiu Romae fuit multorum fidei dogmatum promaconda. Vbi acceperis Bullam, quaeso, illam mitte, saltem in gratiam optimi Principis mei, quem scio etiam eius Bullae esse auidum. *Vincentium Lerinensem* nobiscum credidisse, fidei dogmata post Apostolicam doctrinam nouis definitionibus augmentum accipere non posse, non ex illis tantum, quae adduxeram, disertissimis verbis, sed etiam ex aliis libelli sententiis apertissimum est. Nec possit non etiam tibi idem apparere, modo velis sine affectibus libellum legere. Dominicani illius *Grauinae* librum contra *Marcum Antonium de Dominis*, quem vtinam vere appellaueris *nostrum!* non vidi. Nec multum desidero, iam lecto mihi eiusdem opere, quod titulo *Congeminatae vocis Turturis* Iesuitis *Laimano* et *Kellero* opposuit, in quo eruditionem desiderare coactus sum, et nihil obseruaui eximium, praeter iustum odium pragmaticorum Iesuitarum. Fortassis autem, quod ex *Grauina* me iubes discere, rectius propediem docuerit Reuerendissimus *Walenburchius*, quoniam ille, quantum

tum ex te intelligo, in refutatione *concussionis* meæ ostendet, non concernere Lutheranos, nisi quæ a Papa et Concilio definiuntur: quod profecto perquam grande est paradoxon, si quidem Papa non est Pseudopropheta. Fortassis, inquam: nec enim profecto vel leuiter verisimilia mihi reddit, quæ tu laudas, de definitis per posteriora Concilia, et implicite credendis; quamuis sint lepida commenta, in impii de Ecclesiæ auctoritate dogmatis defensionem facta. Quibus omnibus vnum illud Apostoli opponere satis est: *quisquis prædicauerit vltra id, quod accepistis, anathema sit.* Indicem librorum, quos manuscriptis notis illustrauit *Holstenius*, non sine voluptate inspexi. Perplacet viri, Græce et Latine in paucis eximie docti, industria. Quamuis autem suspicer, notas illas nihil esse aliud quam annotationes, quales marginibus librorum manus eruditæ solent adscribere; attamen iuxta tecum optauerim, illas in lucem publicam edi, quoniam præsertim video, nonnulla veterum scripta ab illo cum manuscriptis codicibus esse collata. Cumprimis vero velim, curetur noua editio *Stephani* de *Vrbibus*, in quo videtur quam maxime laborasse *Holstenius*, quique adeo maxime indiget omnium

omnium docto emendatore. Apud *Episcopum Paderbornensem* quin aliquid sis effecturus, haud dubito. Princeps enim doctus est, et *Holstenii* amans. Vtrum vero ille Romæ sit aliquid effecturus, vehementer dubito. Vereor enim, vt quis doctus illam operam sit suscepturus, quæ eis est inuidiæ, nisi fortassis *Blumio* illa possit imponi, posteaquam, vti audio, Romam iterum migrauit. Quamuis enim peritia illarum linguarum instructus haud sit; potest tamen describere ab aliis notata, *et*, si iubeat Cardinalis, forte non temere ausit hanc opellam denegare. Quænam vero est illa bibliotheca *Holsteniana*, vnde descriptus est ille indiculus? An habes ad manus catalogum bibliothecæ illius integrum? Si habes; cures, quæso, describi, quo possit Augustissimo Principi offerri, vtpote qui possit forte notitiam librorum hactenus ignoratorum quorundam præbere. Nec vero Optimus Princeps ille cessat bibliothecam suam reddere magis magisque Augustam. Vale!

CCXXXII.

Boineburgius de *Hottingero*, *Masenio*, *Lambecio*, *Vorburgio*, filiis suis et *Lionco* differit, et prælectionum Conringianarum de Rebuspublicis se compotem fore gaudet.

Mo-

Moguntiæ d. 26. Ian. 1662.

Hoc ipſo quadrante tuæ mihi redduntur *. Lætor imis medullis, te ſic ſat ex ſententia valere, Deumque oro, vt diu ſis incolumis. Rei enim publicæ et ſalutis communis profecto intereſt, ſaluos tui ſimiles ac ſoſpites eſſe, et proſperrimo in omnibus ſucceſſu beatos, quo ſtudiis atque negotiis ſuper eſſe alacrius, et maiore cum totius ſtatus compendio poſſint. Vota pro fauſtis plurimorum annorum incrementis reddidi epiſtolio peculiari, quod paucis abhinc diebus ad tuâs reſcripſi, Doctorique *Alexandro* curandum commendaui. Epiſtolam *Hottingeri*, quam cumprimum *Tigurum* reuertit, ad me aliena manu præter ſuum morem exarauit, ecce! mitto. Ita præfeſtinauit et deproperauit eam, vt ne quidem ſuum nomen, pro cetera ſua conſuetudine, adſcripſerit. Scripſeram ipſi et *Gronouio* epiſtolam de argumento, quod tangit **. Eius excerptionem, quia ſemel *Iſaaco* quoque *Grutero* tranſmiſſa fuit, tan-

* Datæ *Helmſtad. d. 11. Ian. h. a.*

** De arte ſcilicet dignoſcendi vetuſtatem codicum MSS.

tandem reperi inter fortuita mea, cuius proinde copiam facio, quoniam ad iſtam et *Hottingerus* aliquid reſpondit, et forte reſponſurus nonnihil perinde eſt *Gronouius;* quanquam cetera parciſſimus. Poſſet autem hic optime; ſi vellet. *Maſenius* eſt Ieſuita, Coloniæ iam habitans, vir miti ingenio et eruditus; aſt nec ſuiſmet quidem ſociis ſatiſfecit, vt hariolor ex quibuſdam indiciis, ſcripto libello, quem ſub titulo *meditatæ concordiæ* tribuit binas in partes. Is quin vobis breui ſit in conſpectum venturus, non diffido. Ideo nolim eius vel dotes, vel næuos hic exponere. Vix enim tibi, quæ dicit, arridebunt, vel eo nomine, quod ſit auctor Ieſuita. *Friſio* nuper libellum illum miſi, petitu Patrum, qui ita voluerunt. Nihil encomii addere memini. Neque etiam in hanc diem a *Friſio* vel tenue reſponſum accepi. Neſcio, an nihil agendo in illa aula vſque adeo occupati ſint, vt vacare amico nulli queant. *Lambecius* ſane paruam a me gratiam iniuit edenda mea illa illota et impexa epiſtola, quam in cuiuſquam conſcientiam aut obtutum vnquam eſſe venturam, quis crediďiſſet? Meretur hæc res caſtigationem non leuem. Sum alioqui illi viro fauentiſſimus ob ea, quæ in hiſtoria literaria commouet: quam,

quam, ſi tuo iudicio pollens, proſequi et exaſciare poſſet; et famæ ſuæ, et omni eruditorum gregi peregregie eſſet conſulturus. Sed hæc obiter, et ſub ſigillo amicitiæ nunquam temerando. Quæ de republica Hiſpanica, Luſitanica et reliquis mecum communicare voles, ea ſane pergrata erunt. Legam modo, et fideliſſime reddam, cuicunque me aſſignaturus es: D. *Alexandro*, vel alii, vel recta tibi. Per ſacra amoris erga te mei etiam atque etiam vehementer abs te contendo, et his me erudi commentationibus tuis, ſaltem vt legam, et cenſura pariter Scriptorum noſtri publici iuris moriſue. De ciuili prudentia et Lampadianis, quia ſubtices ad meas amantiſſimas tot commonefactiones, forſan nec perperam et ego ſiluero. *Vorburgius* per eſt diu, ex quo accepit epiſtolam tuam, meo miſſu. Mihi nil reſpondit ſat diu, præterquam quod paucis demum abhinc hebdomadibus me per vnum, qui auunculo eius fuit a ſcribendis epiſtolis, fecit certiorem, ſe tibi iam tum reſpondiſſe, et ſic ſimul apud me excuſauit, neſcio quibus miſeris obtentibus, ſuam in officio reſpondendi lentitiem. Ex illo autem tempore incidi in apographon eius, quod reſpondit, et pene illachrymatus ſum afflictæ fortunæ *Priſciani*,

et vniuerſi negotii literarij; vtpote quibus ſe ingerant et obtrudant tam verniles ac rudes manus, iuſtos etiam libros conſcribillare appetentes, cum ne quidem vel puſillum epiſtolium emendate contexere ſciant. Hæc eſt mala ſeges peſſimæ ſementis, prauæ educationis deterrimus fructus. Qualis inſtitutio plerumque homines his in oris corrumpat, et omni bona fruge honeſti cuiuſquam profectus deſtituat, ſæpe queror, vbi intelligens mihi, ſanus et bonus, obtingit congerro. Si Deus me ſuperſtitem eouſque ſeruat, vt meis pueris educandis ſufficiam; faxo, cum cura erudiantur, et ſub tua tuique ſimilium diſciplina; dein in Gallia, vbi proba eſt rectæ eruditionis et iudicatio et conquiſitio, ſi res bene putatur. Comparate me loqui, non neſcis. Vtinam tantundem abs te mihi meiſue aliquando poſſem in religionis cultu polliceri, quantum de omnis et eruditionis et Reipublicæ vero ſenſu rectoque vſu ex Vobis condiſci poteſt! D. *Lioneus* apud Regem, a quo pauculos ante dies clementiſſimam epiſtolam et indulgentiſſimam nactus ſum, eximia floret gratia, eſtque iuxta cum *Turennio* vnus ſoluſque, et hoc adhuc magis, arcanorum ſciens, et res exteras ſine arbitro adminiſtrat. Tui certe eſt memi-

minentiſſimus, et D. *Grauello* iamdudum mandauit curam, ſuæ memoriæ luculeutum tibi edendi documentum. Vale!

CCXXXIII.

Conringius de dignoſcenda Codicum MSS. vetuſtate agit, Ieſuitas diſtinguit, Vorburgianorum continuationem habere exoptat, et de rebus Aulæ Gallicæ diſſerit.

Helmſtad. d. 22. Ianuar. 1662.

Ad Tuas Moguntiæ d. $\frac{26}{16}$ Ianuar. exaratas, quas optimi Principis cura hac nocte hora ſecunda accepi; ſtatim itidem reſpondeo: idque eo libentius, quoniam nihil non perquam gratum continent. De argumento, quod *Gronouio* et *Hottingero* propoſuiſti, quibus nempe indiciis vetuſtas codicum manuſcriptorum debeat et poſſit æſtimari, deſidero equidem *Gronouii* reſponſum *. In vniuerſum ita cenſeo de *Latinis:* Codices *chartaceos* nullos quadringentos circiter annos excedere; quandoquidem chartæ linteæ noſtræ vſus in Europa

* Huius reſponſi copia ei demum facta eſt *a. d. 23. Iunii h. a.* Hinc forte conſultius fuiſſet, ſi iudicium ſuum vſque eo compreſſiſſet *Conringius.*

pa serius cœpit, et, nisi fallor, demum cum literatura Arabica, cuius populi videtur charta illa inuentum esse. *Antiquissimos* porro esse, qui charactere illo grandiore, quem *capitalem* appellamus, scripti sunt, iam tum in epistola de bibliotheca Augusta significaui. Sunt autem eiusmodi longe rarissimi. In Iulia nostra bibliotheca supersunt eius notae homiliae quaedem Graecae *Chrysostomi*. Proximae vetustatis videntur esse, quae latinis *literis ad nostrum pene hunc morem formatis* sunt exarata. Sensim enim scribendi ratio magis magisque facta est rudior et incultior. Nobis talis est vita B. Martini a *Sulpitio Seuero* composita. Talem vero characterem elegantiorem desiisse iam seculo Christiano sexto, ex nummorum patet inscriptionibus. Quo certo signo *membranei* codices, rudiore illo modo scripti, per secula vsque ad decimum tertium Christianum queant diuidi, aut distingui; equidem nescio. Habeo tamen coniecturas aliquas; sed quas promam, vbi *Gronouium* audiero. *Masenii meditata concordia*, quam inscripsit, laudabitur abs me, et vituperabitur sine amore et odio, simul legere illam contigerit. Iniuriam sane mihi facis, scribens, eo nomine displiciturum mihi libellum, quo-

quoniam Iesuitam auctorem habet. Ego Iesuitas plurimos facio maximi: pragmaticos illos, orbis terrarum turbatores, odi, fateor. Iam dudum didici, non vno esse Iesuitas ingenio atque indole. Et vero parum abest, quin pleraque probem, quae de variis Iesuitarum discriminibus differuntur in elegante isthac *Anatomia Iesuitarum* Scioppiana, quae fortassis nec tibi displicet. Non dissimulabo tamen, quod vere sapiat, concordiam Ecclesiasticam ab homine Iesuita vix audere me exspectare, idque quoniam sui Pontificis vel saltem suae Ecclesiae Romanae *infallibilitatem* vulgo omnes inter principia numerant suae philosophiae. Si quis forte dissentiat, illum tamen sententiam suam libro edito promere non posse, obstante censura Sociorum, certum est. Librum de ciuili prudentia exhibebit tandem aliquando, quantum spero, proximus mensis Martius. Dissertationes meas de Rebuspublicis praecipuis nostri aeui curabo a quoquam in meos vsus describi: hactenus enim earum nihil ipsemet habeo: quod exemplar tibi communicabo. Supersunt vero adhuc enarrandae respublicae pleraeque, quia animus est nonnihil accuratius argumentum hoc vtilissimum agitare. A *Vorburgio* hoc maxime desidero scire, num

velit pergere in edendis Patrui scriptis? num liceat ab illo impetrare, ceu promisit, proximis forte nundinis cura nostri bibliopolæ tomum vndecimum et duodecimum, quibus adhuc careo? num denique epistolam meam velit addere proxime edendis voluminibus Patrui? Si latine non potest, scribat Germanice: mihi perinde est, modo hæc mihi significauerit. *Lioneum* ab arcanis adhuc consiliis Regi suo esse, gaudeo. Vbi meus de ciuili prudentia liber prodierit in lucem, mittam et illi, et Domino *Grauellæ*, exemplum. Non dubito autem *Fuquetianam* ** tragœdiam multos

et-

** Fuquetiana tragœdia ex scriptis publicis satis nota est. Nobis ex pinacotheca aulæ Francicæ imaginem saltem Herois illius, qui celeberrimi nostro hoc æuo Comitis et Mareschalli *Bellinsulani* auus fuit, liceat transscribere. *Monsieur* Foucquet *est de famille bourgeoise, et pretend que l'origine en est noble. Il est pervenu à la fortune par le moyen de son frere l'Abbé* Foucquet, *qui estoit dans les bonnes graces du Cardinal* Mazarin. *Il avoit emprunté de l'argent pour acheter la charge de* Procureur General, *et en cette qualité il a rendu des bons services au Cardinal dans le Parlement, et mesme pour tenir la main*

etiam non malos implicaturam. Quid censes vero de itinere Regis in Alsatiam? Quis eius scopus?

---

main à la Police de Paris. Il estoit fort exact à poursuivre ceux qui escrivoient contre ce Ministre. -- La faveur du Cardinal luy avoit procuré la charge de Surintendant, *dans laquelle il demeura seul après la mort de Mr.* Servien, *avec qui il l'avoit partagée un temps. Il a l'esprit grand et vaste, et le cœur le plus magnifique du Royaume. Sa haute ambition luy avoit fait prendre pour devise* Quo non ascendam? *Et on a creu, que sa pensée estoit s'elever au Ministére. Mais le Roy, ne voulant point souffrir qu'un sujet s'eleve à tant d'autorité durant son Regne - le fit arrester il y a quelques années aux Voyages de Bretagne, et le fit emmener à Vincennes, et de là à la Bastille. Il estoit liberal, et on l'accuse d'avoir depensé une grande quantité d'argent pour ses plaisirs et pour regaler ses Maistresses. On l'accuse encor d'avoir donné beaucoup de pensions aux Grands de la Cour pour les gagner à son part, et qu'il avoit une opinion, qu'il n'y avoit aucune fidelité à l'epreuve de 50000 ecus. On a veu encor un luxe excessive dans ses bastiments, ses meubles, ses curiositez et ses carosses, et une epouvantable profusion dans ses banquets. Temoin la collation qu'il fit*

pus? Vt Germania nihil habeat, quod metuat, noui; ita haud dubito, *Mazarinianas* res turbatum iri non minus, quam *Fuquetianas*. Rex hic, quod merito laudes, satagit rerum suarum; vereor autem, ne, statim initio regiminis vsque adeo sese a suis deceptum deprehendens, sensim nemini fidere assuescat *** ad exemplum Ludo-

ui-

fit au Roy à Veau de Vicomte, ou il employa 40000 ecus au dire de tout le monde. Il a encor fait des grandes liberalitez (aux savans et sur tout) *aux* Iesuistes, *auxquels il a donné une bibliotheque, mille livrës de rentes annuelles pour l'entretenir, et 80000 livres pour un bastiment dans leur College.*

*** Idque ex consilio *Mazarini*, qui moriens Regi inter alia hæc suasisse perhibetur: *Continuez avec soin le talent, que Vous avez, de dissimuler. Defiez Vous de tous ceux, qui Vous approchent, et même de Vos Ministres. Soyez persuadé, qu'ils ne songeront tous qu'à Vous tromper. Gardez dans les afaires un secret impenetrable, qui seul peut les faire reussir. Promettez toujours aux François; mais ne Vous mettez pas en peine de leur rien tenir. Prenez leur argent; mais epargnez leur sang.* V. *L'Art d'orner l'esprit par Gayot de* **Pitaval** *p. 136.*

uici XI. Liuidum illud *Salmaſii* de *Grotio* iudicium auide exſpecto. Mihi animus eſt, Grotianum opus de iure belli ac pacis cumprimis ingenue laudare aduerſus obtrectatores epiſtola quadam, quæ præmittetur tabulis in Grotianum illud opus, a *Ioanne Paulo Mullero* quodam confectis, et propediem typographeio noſtro committendis. Vale!

CCXXXIV.

Boineburgius occaſione decreti Pontificii recidit in controuerſias Theologicas.

Moguntiæ d. 31. Ian. 1662.

Bullam *Alexandri* legi ipſe, cum ſcriberem literas, quibus fidem necdum adiungere videris velle. Nil continet præter quod memoraui, niſi quod de intaminata Deiparæ conceptione diſquirentibus pariter imponit neceſſitatem ſoluendi contraria. Vnde paullatim credi Papa poteſt prouergere ad plenam controuerſiæ illius definitionem, vobis, neſcio quare, adeo ſupra omne fas exoſam. Quod de *Ratione Status* Romana, ſcilicet multorum fidei dogmatum *promoconda*, ais, antiqua eſt ſegregum a Catholica ac licentioſa cauſſatio. Bullam heic apud monachos vidi, a quibus

ne

ne depoſcere quidem eam ſuſtineo. Simul ac noſter *Reſidens* * eam Roma tranſmiſerit, eius copiam lubenter faciam. Repono autem tibi tua verba, et voueo, vt veteres, inter quos *Lerinenſis Vincentius* merito ſuo claret, tibique parum arridens *Tertullianus* de *præſcriptionibus*, ſine affectibus, quos ſectæ et cauſſæ ſtudium tibi indunt, legas et intelligas. Si hoc fiat, certus ſum, nos non diu in duas partes diſſutum iri. Ad rei iſtius conſequendam facilitatem ac promtiorem facultatem, non tam *Dallæus* de vſu Patrum, quam ea cautio proderit, quam bene exponit *Raynaudus* libri *de bicipite Eccleſia* puncto nono. Totum, non particulas ſeorſim, in veterum lectione attendi oportere, ipſi quoque veſtrates tradunt, quos in hoc haut iniuria ſequuntur etiam Catholici, et laudant, ſicut *Ticonium Auguſtinus*. De *Grauina* non multum diſſentio. Sed libri eius præſcriptionum ſunt doctiores, et, quod dixi, tot Theologi grauiter et copioſe demonſtrarunt, vt nec opus ſit quoquam adiectamento. Nihil concer-

* Eſt *Petruccius* ille, quem Romæ *Ezechiel Spanhemius* adiit videndi theſauri Scioppiani ergo: de quo *p. 64*.

cernere Luteranos, nisi quod vniuersa tenet Ecclesia, vel definitum est a Papa et Concilio, ostendet *Concussionis* tuæ *discussio*. Si tibi videtur, id asseri non posse, nisi Papa sit Pseudo propheta; habebis iustum spatium respondendi. Caue autem, ne congreges tuos offendas. Responde etiam ante *Socini* et ceteris sectis, quæ effatum S. Pauli pari scripturarum abusu in vos contorquent; quanquam efficacius et rectius vobis exprobant, vos docere vltra id, quod accepistis. Bibliothecam *Holstenii*, quam commodato habeo a Paderbornensi Episcopo, tradam D. *Alexandro*, vt, si velit, describi curet. Nostri enim heic tot exscribendis districti sunt, vt nihil valeant. Si *D. Alexander* breui me absoluere queat; libentissime ipsi codicem commodabo; etsi fatendum sit, mihi non videri comprehendere multum noui ignotiue. Tuo placito pellustrare catalogum poterit D. *Alexander*, et ipse arbitrari, an laboris pretium sit, eum Augustissimo nostro Nestori descriptum mittere. Tua de ciuili prudentia et Lampadiana nouos animos mihi sperandi facis sub finem epistolæ. Censuræ vero scriptorum publici nostri iuris obliuisci videris de industria. Noli, quæso. Nulla re omne tetricum istoc negotiorum

rum implicamentum, quo obtorqueri et diuexari ſoleo, ſolari melius et extricare poteris. Libelli contra euocationes ad Sedem Romanam auctor mihi non notus certo quidem eſt. *Libertum* tamen *Fromondum* illa inuidia laborare, cum prodiret, commemini. Plura iam non occurrunt, quæ ſcribi mereantur. Refero me ad poſtremum ſcriptas, quibus ad omnia tum quæſita fuſe reſcripſi. Vale, vir optime cetera omnia, niſi quod, impium de Eccleſiæ auctoritate dogma Catholicos tenere, pertendis.

CCXXXV.

Idem mittit Epiſcopi Paderbornenſis epiſtolam.

Moguntiæ d. 3. Febr. 1662.

Spero meas poſtremum ſcriptas recte tibi redditas. Proxima hebdomade Francofurtum excurrere ſtatui, iſticque agam de exſcriptione indicis Holſteniani cum D. *Alexandro*, huncque ipſi afferam, cum eo me paullo diutius vti poſſe confidam in comitate Epiſcopi Paderbornenſis, cuius ecce! literas * mitto, quas nuper indigitaui. Ocius

* Dabimus hoc manibus optimi Principis, vt has quoque exhibeamus.

cius misissem; sed eas hoc ipso temporis articulo demum ab Eminentissimo Electore recepi, qui eas diu secum retinuit præter morem. Credo, non ingratas tibi fore. Vale, et tua censura de scriptoribus nostri publici iuris me tandem exhilara, meque Serenissimo *Augusto* quater *Augusto* enixissime commenda.

CCXXXVI.

Ferdinandus Episcopus Paderbornensis *Boineburgio* diploma Herisiense mittit, et de posthumis *Lucæ Holstenii* scriptis porro rationem reddit.

Neuhusii d. 3. Ian. 1662.

Ferdinandus, Episcopus ac Princeps Paderbornensis,

S. P. D.

Io. Christiano Libero Baroni de Boineburg, Equiti etc.

Gaudeo magnopere mihique gratulor, mi *Boineburgi*, tuis literis exstimulari *P. Gamansium*, vt aut ipse in hac diœcesi olim collecta antiquitatis monumenta publici iuris faciat, aut nobiscum communicet. Nec dubito, quin in potestate tua sit futurus, et nobis gratificaturus. Interim promulsidis loco aliquod ex cimeliis diœcesis nostræ, pri-

priuilegium ſcilicet Synodi Forchemenſis anno 890. habitæ, cuius nuſquam vllam hactenus mentionem fieri reperio, non ita pridem in tabulario *Heriſienſis* nobilium puellarum in hac noſtra diœceſi collegii repertum, ad te mitto, quod ipſe coram inſpexi integrum adhuc et illibatum. * Tu ex eo cetera metire inſignia ſane huius Eccleſiæ noſtræ antiquitatis monumenta. Quod attinet *Lucæ Holſtenii* noſtratis opera, eorum quidem numerum non poſſum inire. Scio tamen, typis parata fuiſſe, me Roma abeunte, Indiculum Pontificium, ſeu *Formularium* vetus *Pontificium*; *Concilia Romana* hactenus inedita, et *Africanæ* Eccleſiæ *Concilia* partim hactenus deſiderata, partim emendata, melius ordinata, ad fidem antiquorum codicum examinata; *Stephanum* de *Vrbibus* et *Frontinum* de *aquæductibus*, emaculatos et innumeris locis reſtitutos. His accedunt complures *Platonici Philoſophi*, hactenus nunquam euulgati: quorum ille ſcitis et doctrina mirum quantum delectabatur. Cetera multo plura

* Diploma illud hodiè legitur *Annal. Paderborn. Tom. I. ad annum. 890.* quod vereor vt limam criticam ſuſtinere poſſit magis, quam infinita alia, ex æuo Carolingorum nobis obtruſa.

ra eius monumenta memoria noſtra exciderunt; iubebo tamen Romæ eorum titulos exſcribi, et ad nos mitti. Editorum librorum, quibus ſane exquiſitis eius bibliotheca erat inſtructa, catalogum mecum Roma attuli deſcriptum, quem, niſi per *Blumium* noſtrum tecum ſit communicatus, facile tibi perlegendum deſcribendumque commodabo, et, quando ita placuerit, proximo feſto die Purificatæ Virginis Mariæ, quo Baro *Metternichtius*, huius Eccleſiæ meæ et Metropolitanæ veſtræ Canonicus, vtique hic eſt adfuturus, libenter reduci Moguntiam ad te deferendum tradam. Vale, et me meamque Eccleſiam Electori tuo et Archiepiſcopo meo enixe commenda, omniaqne tibi amoris ac beneuolentiæ argumenta de noſtra erga te voluntate pollicere.

CCXXXVII.

Boineburgius, præmiſſis aliis, in laudes *Grotii* excurrit.

Moguntiæ d. 6. Febr. 1662.

Quæ ſcribis de dinoſcendis veteribus *latinis* libris et codicibus manuſcriptis, ea mihi lectu et ſcitu cum iocunda, tum apprime vtilia eſſe video. Simul a *Gronouio* reſponſum accepero, id conti-

nuo mittam pariter, ac *Salmasii* de *Grotio* iudicium, quamprimum ab *Hottingero* recepero. Liber de ciuili prudentia, vbi tenaces, queis hactenus obseptus attinetur, carceres eluctatus tandem fuerit, impense gaudebo. De Rebuspublicis quae dissferis, vbi modo legero, statim remittam cura D. *Alexandri*, quicum proxime de talibus inter nos commeaturis conuenturus sum. *Vorburgio* dicam, quae postulas. Si ipse tomos 11. et 12. non mittat, meum exemplum ego sufficiam. Eius literas ad te non esse perlatas, miror. Per est diu, ex quo ille scripsit. Regis in Alsatiam excursio adhuc anceps, vel saltem tecta est. De aula illa multum dici posset; sed scribi non expedit. *Mazarinus* vtinam necdum obiisset! Moderatio viri, qua negotiorum quamuis acrimoniam dexterrime condire et lenire nouerat, vereor, vt placido animo et quieto desiderari a multis possit. Iuuentus debito aestuosior est. Cui, quaeso, dicasti librum de ciuili prudentia? Tabulas in Grotianum opus de belli iure pacisque auide opperiar, non ob ipsas (videor enim mihi iamtum eas legisse, ni fallor) sed quod epistola tua comitatae sint compariturae. Admodum probo hoc institutum, teque plurimum oro, insignem illum hominem incomparabilemque

que eius librum, qua soles, integritate et argumentorum dignitate, celebrare et prædicare suscipias. Potes enim sic et detrectatorum maleuolentiæ occurrere, et illustrem hanc materiam de iuris prudentiæ capite potissimo vberius diducere, plane vt circa ius ciuile fecisti prolegomenis ad *Hopperum*. Facilis tum erit parallelismus inter *Grotii* laudatores et obtrectatores. *Seldenum* oppono *Feldeno*, *Graswinkelium*, *Vossium*, te, et quem ex doctis et candide probis non? *Bœclerus*, *Forstnerus*, et nuper *Freinshemius*, summi erant Grotianæ eruditionis cultores et admiratores. In Gallia eum quis non maximi facit? Ipsi Iesuitæ, *Petauius* olim, *Sirmondus*, et in Germania *Henricus Wangnereccius* aliique in Societate doctissima, eum summe commendant, nulla fere vsi exceptione. Mittam propediem, sed vt reddas, *Wangnereccii* notulas in *Grotium*. Vnde perspicies, quam pene totum is vir approbet. Sed finio. Vale.

CCXXXVIII.

Conringius contra Papale decretum dubia nectit, nec ad obiecta circa fidem tacet.

Helmstad. d. 29. Ian. 1662.

Quantum ex literis tuis colligo, recte conieci ego, non esse illud argumentum Bullæ Pontificiæ, quod tu esse existimabas: non scilicet Bulla illa prohibitum est, quidquam publice doceri, quod aduersetur sententiæ de immaculata conceptione Deiparæ Virginis. Quod vero iam scribis Bullæ illius esse argumentum, id non possum non summe admirari. Scribis enim, per Bullam istam de intaminata Deiparæ conceptione disquirentibus impositam necessitatem soluendi contraria. At vero contraria solui nequeunt, nisi scriptis libellis. Dominicanis igitur licuerit libris conscriptis aduersam sententiam confodere: id quod dudum ipsis fuit vetitum. Relegata scilicet per *Gregorium XV.* fuit Dominicanorum et nostra sententia, vt insultans ipsis Iesuita *Poza* loquitur, in *insulam mentalem*, permisso scilicet non nisi mente circumferre sententiam; ore autem non docere, vel scripto. Maior itaque iam fuerit concessa rursum licentia Dominicanis, quam antehac. Id quod si factum est, meretur profecto hæc Bulla admirationem. Tua certe illa narratio vehementer in me accendit desiderium istius Bullæ. In anathematismis, et fidei dogmatibus condendis obseruari subinde a Curia Rationem Status mere politi-

cam,

cam, liquido a me eſt oſtenſum præfationis ad *Caſſandrum p. 40. vſque 43.* An ab alio quoquam ſit factum, neſcio. *Vincentii Lerinenſis* ſaltem illa loca, quæ laudaui eiuſdem præfationis *pag. 130.* ſi iuſta cura expenderis, mirabor equidem, ſi perrexeris opinari, per *Vincentium* fas eſſe, noua dogmata, quæ perfectus Scripturæ Canon haud tradidit, et priſca ignorauit Eccleſia, inter credenda admittere. Mirabor, ſi quid tale viſum fuiſſe *Tertulliano*, poſſis ſaltem veroſimile reddere. Quæſo te, mi Domine, tentes, num poſſis! Si autem non poſſis, ſaltem des manum veritati. Sententiam de immaculata conceptione eſſe nobis ſupra omne fas exoſam, quo ſigno, quæſo, collegiſti? Eum, qui tale quid credit, Deo propterea inuiſum eſſe, non equidem dixerim, nec forte noſtrum aliquis dixerit. Interim vero falſam exiſtimamus ſententiam eſſe illam, quippe quæ repugnet Sacræ Scripturæ dictis, quæ nuſquam a communi generis humani labe eximunt Deiparam; repugnet itidem primitiuæ Eccleſiæ communibus aſſertionibus. Cui obiectioni noſtræ quam inepta, quam friuola, quam improba ſoleant opponi, lege, ſodes, *Io. Baptiſtæ*

Pozæ elucidarii Deiparæ Virginis, monſtroſæ Mariomaniæ plenam *partem vltimam*, et indica, quantis ineptiis et quam improbis ſit opus ad defendendam iſtam nouam Ieſuiticam theſin. *Grauinam* doctius quid in libro de præſcriptionibus proponere, non temere patiar mihi perſuaderi. Dudum didici, quam ſophiſtica ſit illa argumentandi ratio a præſcriptionibus petita, et quam facile illa doctrina poſſint Muhamedani et veteres Idololatræ per iuſtiſſimam conſequentiam ſuam ſuperſtitionem defendere: quod eſt certiſſimum falſitatis argumentum. Quemadmodum Dominus *Walenburchius* velit perſuadere, Pontificem eſſe vere *Vicedeum*, et tamen non teneri nos credere illius ſacris definitionibus, deſidero equidem audire. Mihi ſane hactenus videtur eſſe paradoxon. Nec tu forte ſentis aliter, vtpote qui hactenus es mihi viſus *infallibilitatem* Papæ haud admittere, quam vnice tuetur *Walenburchius*, atque ſuperſtitioſe adorat. Scepticiſmo ſophiſtico *Walenburchii* quid oppoſuerit *Titius* noſter, ex hiſce plagulis didiceris, quas hoc momento accipio: nec enim licuit mihi vel inſpicere. Catalogus bibliothecæ Holſtenianæ ſi nihil habet ſingulare, non poterit vſui eſſe Auguſtæ bibliothecæ lo-

cu-

cupletandæ. Forte tamen quædam obſeruauerit Optimi et nunquam ſatis laudati Principis mei Legatus *Alexander* in catalogo illo digna, quæ Principi referat. *Fromondum* auctorem eſſe libellorum illorum de priuilegiis Belgarum, non crediderim. Auctor fuit vtique iuris omnis peritiſſimus, qualis non fuit *Fromondus*. Dictio et doctrina ſapiunt *Nicolaum Burgundum*, cuius hiſtoriam Belgicam et Ludouici Bauari, fœcundiſſime et ſumma libertate ſcriptam, indubie vidiſti. Hodie diſſerui de republica Perſica, eiuſque viribus bellicis aduerſus Turcam, ſi forte illum hoſtem adoriri velit: quod equidem optauerim.

Ex improuiſo offeruntur mihi literæ tuæ etiam quas *3. Febr. Moguntiæ* exaraſti. Optime profecto de me mereris tranſmiſſione literarum Principis doctiſſimi pariter atque humaniſſimi Paderbornenſis. Neſcio ſane, an quem temere habeat Germania Epiſcopum, vſque adeo verſatum in antiquitatis et bonæ literaturæ ſtudiis. Perplacet vero monumentum additum, idque cumprimis ob memoriam Forcheimienſis Synodi, quam me alibi legere haud memini. Ceterum non id quidem multum adeo miror. Fuere enim tum temporis ſynodi in Germania non minus, quam alibi, fre-

quentiſſimæ, donec ſocordia Epiſcoporum abuſus in rem ſuam Romanus Papa, omne regimen Ecclesiaſticum ad ſeſe traxit. *Hildebrandi* potiſſimum et ſucceſſorum artibus ſtructa illa horribilis Eccleſiæ monarchia. Dixi iam tum aliquid ea de re *Lib. de Orig. Iur. Germ.* Præ frequentia autem Synodorum factum eſt, vt, ceu rem indignam memoratu, hiſtoriæ pleræque ſilentio præterierint: prout ſolent illæ non niſi quæ rariora ſunt annotare.

CCXXXIX.

Boineburgius ipſum Pontificis Decretum mittit.

Moguntiæ d. 10. Febr. 1662.

Exſcribi iuſſi Bullam, et heic mitto. Quæſo, noli cenſuram ſcriptorum iuris publici dememiniſſe. Tua de rebus publicis, de prudentia ciuili, et Lampadiana et Grotiana mecum cubitum eunt, cubitu ſurgunt. De publicis omnia interquieſcunt. Comitia et bellum Turcicum ſunt inter incredibilia adhuc, ſicut ſemper dixi, imo ante ſeſquiannum prædixi. Sed obiter de his. Cum modo infinitis literis ſcribendis ſim plane occupatiſſimus, ideo finire iſtas ſolito præcipitantius oportet. Vale, et tuis me literis creber recrea, ac ad nundinas veſtratibus me

diſ-

dissertationibus et operibus editis academicis qualibuslibet exhilara et erige, obsecro!

CCXL.

Idem offensum se ostendit *Titiana* responsione ad Walenburchica.

Moguntiæ d. 15. Febr. 1662.

Titiana in Walenburchium accepi, huic tradidique. Is replicabit. Ille mala scabie prurit miser, et quærit, cui sese affricet. Vt materiem habeas bilem tuam porro exercendi, mitto libellum geminum, vosque vestris morbis et moribus relinquo, satur litium harunce sacrarum, vnde parum bonæ frugis meti potest. Nimis enim acer est, et Witebergica elatione grauis *Titius* ille, oblitus lenitatis Calixtinæ. Te oro, et orare non desinam, vt iudicium tuum de scriptoribus iuris nostri publici tandem admetiaris mihi. Omne scilicet promissum cadit in debitum. Proxime a *Lioneo* accipies argumentum grati animi, fortassean haud inefficax ad dicanda ipsi pluscula auctoramentum. De publicis Francofurto scribam, quo adhuc sub finem huius hebdomadis cogito. Ciuilis prudentia, *Lampadius* et Grotiana commentatio vtinam breui

ad nos perueniant! item quæ de rebus publicis disſeris. Ad epiſtolam tuam proxime reſpondebo. *D. Alexandro* Holſtenium indicem per peculiarem equitem ante triduum tranſmiſi. Vale, et me tibi toto pectore et mancupio eſſe deditiſſimum confidito.

CCXLI.

Idem controuerſa Theologica perſequitur, diſſerens de diſcrimine Ieſuitarum, de Reformatione, de falli neſcia Papæ auctoritate, de *Petri Walenburchii* indole, de vi argumenti ducti a præſcriptionibus, et de principe fidei ſuæ articulo.

Moguntiæ d. 16. Febr. 1662.

A *Gronouio* nihil reſponſi video. Dicitur eſſe perparcus in ſcribendo. Ad me equidem quater ſcripſit vel quinquies. Simul quid eius accepero, continuo mittam. *Anatomiam Ieſuiticæ familiæ Scioppianam* non legi. Quæſo, vbi varia Ieſuitarum diſcrimina tradit, id mihi exſcribi cura, et mitte. *Maſenii* libelli repertu non ſunt rari. *D. Alexander* eos facile comparauerit. An acu rem tetigerit, necne, non definio. Vno verbo: mihi præplacet *Franciſcus a S. Clara* ac *Milleterius*; tibi *Caſſander*, *Wicelius*, et *Marcantonius*. In-

iuri-

iuriam facis mihi, quod ais, tibi me facere, dum dixi, Masenianos libellos vel eo nomine tibi parum placituros, quia Iesuitam habeant auctorem. Per enim cognitum habeo, quantopere oderis totam istanc gentem, atque ipsum eius institutum; quanquam id sanctum et laudabile esse ii quoque profiteantur, qui multos Iesuitas magnopere odio habent: quales erant *Camus*, vir supra vulgus Theologorum; *Scioppius*; *Vigorius*, *Rigaltius*, *Valrianus* nuper et alii. Perplacet, quod scribis, te plurimos Iesuitarum facere maximi. Quinam hi sint, hoc igitur magis desiderem rescire. E Gallis *Petauium* vix amas. Forte *Sirmondum*. Ex ceteris nationibus ecquos vel modice diligas, imo quos non acerbe oderis, summe appeto rescire. Cardinales Iesuiticæ propaginis *Toletum*, *Bellarminum*, *Lugonem*, *Pallauicinum* num tolerare possis, ægre adducor, vt credam. Sed quid heic tricamur? Nemo, qui Catholicam vnitatem defendat, vobis vnquam arridebit, siue huius, siue alterius, siue nullius sit ordinis. Ceterum in eo concordes sumus, quod *pragmaticos* orbis terræ turbones bellorumque incentores odisti. Omnes ego grauiter odi, et grauiter persequi gestiam, si facultas et occasio foret, cuicuimodi fuant, Iesui-

ſuitici vel cuiuſlibet alius nominis. Talium ortus cauſſa potiſſima ac princeps eſt hereſion et ſectarum origo, cumprimis in Gallia, Anglia et Belgio. Quibus locis quanta rabies illarum inhorruerit, ex annalibus notum eſt. Huic dum plus æquo obſtitere quidam, exceſſerunt, vt factis ita et doctrina, omnem modum. Neque ſoli Ieſuitæ immites adeo exſtitere. Perinde acres et reliqui fuere. Quam pulchræ autem fruges podierint ex Reformatione veſtrate, et quantum noxæ cum omni humanæ notioni reique publicæ, tum morali item et naturali doctrinæ affricuerint, documento ſunt belli *Puritani* et *Independentes*; *Paracelſus* dein, *Ramus*, et nonnulla *Lutherii*; imo experientia ſatis quotidiana. Fateor vero, me illorum Ieſuitarum dogmata irreconciliabili odio proſequi, qui veram politicen moraliaque nouis ſuis aſſumentis deuenuſtaut: pariter eos, qui Papam temporali poteſtate donant enormi in Reges Principeſque, quiue factionibus nomen dant, animum, ſtilum et omnia. Eos ſane in negotiorum procuratione aduerſum me perquam rigidos et aſperrimos ſum expertus. Illi quippe domui in ſolidum aduincti ſunt, quam noſtris rebus nocentiſſimam ſæpe numero deprehendimus.

mus *. Et necdum finis discriminum. De *infallibilitate* Ecclesiæ optime rectissimeque sentiunt, et qualiter debent Christiani, non qualeslibet, sed Christiani, qui elogio *Paciani* simul audiunt, et qui reapse laborant esse Catholici. Qui Papæ extra Concilium auctoritatem falli nesciam vltra, quam conueniat, amplificant, et pro Catholicæ fidei dogmate id omnibus saluari cupidis obtrudunt, eos vtique pluribus Catholicis improbatum, quam laudatum iri, compertum esse videtur. Papæ circa res religionis quantum veteres Christiani tribuerint, omnium optime *Blondellus* opere *de Primatu* edisserit; vtut ei huiusmodi facultatem iure et instituto diuino competere inficietur, quali differentiam inter Episcopum niti et presbyteros, pro nobis euincunt Angli Pseudepiscopi, et nuper *Hammondus*. Qua admissa, magnum gradum strui ad Papatus stabilimen et tutamentum, ne ipse quidem *Titius* diffiteri volet; quamuis præ igneo in Papas odio totus lassescat. Mul-

* Fallor, an *domus* Austriaca, quatenus Hispaniam quoque complectitur, tacite hic sugillatur.

Multum ei facesset laboris ardor disputandi, quem ostendit præ omnis generis obtrectatoribus, qui in Romanam Sedem destomachari comperiuntur. Vt enim præ hisce suo Lutherano gregi vindicet vim sibi propriam demonstrandi veritatem ecclesiæ, sane chartulæ, quas *Walenburchio* opposuit, nondum testantur. Hic meliora a *Titio* exspectauerat; si tamen meliora in mala caussa possunt afferri. Dabitur suo tempore responsum, idque nullo negotio. Materiam de iustificatione *Walenburchius* absoluit, in qua, arbitror, vobis non displicebit. De *meritis* iam pergit: quod argumentum an sit doctrinæ de iustificatione iuncturus, mox dispiciet. Optem, copiam tibi posse obtingere visendi et tractandi egregii *Walenburchii:* scio, optime inter vos omnia compositum iri. Est enim prudens, pius, mitis, et doctus controuersiarum indolem omnem, cuiusmodi quidem cum Protestantibus versandæ sunt. Cum delicatulis vel audaculis Iesuitis ipsi parum conuenit. Æquus et prolixus est erga rempublicam, atque Curiæ in Metropolitanos et Episcopos vsurpationem reprobat. Vobis etiam optime vult. *Pozæ* quoque et similium effata immatura ac temeraria penitus odit. Scito, mi amice, *Pozam* ne sui qui-

quidem ordinis hominibus placere; plerisque saltem displicet. Quocirca eius spissum volumen pro Deipara Virgine, vna cum *Erasmi* et aliorum id genus libris, seorsum a ceteris recondunt, et in angulum quempiam abstrudunt. Tantum abest, eius viri omnia vnquam vel tantillam meruisse assensionem. De *Grauinae* doctrina, vtique Thomistica, te ambigere non sinent tomi eius *de praescriptionibus*. Quales quod concoquere nequis, argumento est, vos in segregibus illis centuriari, quos *Tertullianus* et *Lerinensis* redargunt, quantumcunque istius vocamine vestra scripta tinniant. Respondi dudum, quod praescriptionis munimen omni nouitati opponi validum attinet, superiore aestate. Eo perinde vti veteres idololatrae Gentiles, Iudaei et Muhamedani poterunt tum demum, vbi intra suae philosophiae cancellos desederint. Nempe, quid vetat, quo minus Turca, verbi gratia, se defendat contra Persicum vel alium in suis sacris nouatorem? Quisque in suo genere, sua tribu, sua successione et gente paria facere sustinet. Quidni ergo Christiani itidem, et quidem Catholici, qui suae vnitatis socialem continuitatem euidenter commonstrare sufficiunt, perinde atque probae notae vir nobilis suae gentis et ge-

genituræ omnem retro seriem ita ostendere par est, vt quiduis noui inde simul excludat? Ne ergo de genere in genus etiam hic transiliamus, turpi eruditumque tui similem admodum dedecente lapsu. Præscriptio sub formula Christianismi, ab ineunte eius ætate hucusque Catholici, valet. Retro ad gentes, ad Iudæos aliosue extra sphæram et præter oleas si porrigatur, exceditur modus rationi congruens. *Walenburchium* Papæ *infallibilitatem* extra synodum oicumenicam affirmare, idque instar articuli fidei Catholicæ, tu nusquam legeris, scio. Sentit enim cum Gallicana ecclesia, quæ illam hactenus in medium reliquit. Ego, vt veram opiner illam esse sententiam, saltemque valde probabilem, non tamen eam vsque adeo vel credo, vel teneor credere certam, vt capitibus fidei accenseri promereatur. Abunde fit conscientiæ meæ, dum cum vniuersa ecclesia veneror et funditus animo amplector hoc lemma: *Quicquid ceu a Deo reuelatum Ecclesia seu in Conciliis, siue per vnanimem consensum tradit, id suscipiendum esse, ceu verbum Dei ab Ecclesia declaratum.* Quotquot aliud suæ credulitati principium substruunt, næ! ii et se fallunt, et alios sibi credentes. Tum et sic fundamento suffulciuntur

tur nihilo fortiore, quam et *Menno*, et *Brownus*, et *Socinus*. Si tu docere nos liquidiora potes, vnde perſpicua fiat certitudo credulitatis veſtræ fundatior, bene de pluſculis animabus meriturum te confidito, vbi id arcani prodideris. Sodes, experire, quid poſſis! *Nicolai Burgundi* quæ legi, per ſunt pulchra. Quo minus autem exiſtimem, eius eſſe fœtum, qui de Belgarum contra Romam euocationes priuilegiis libellus exſtat, cauſſa eſt, quoniam *Burgundus*, ni fallor, iam diu ante obiit. *Fromondus* quin illius vel auctor, vel ſuggeſtor fuerit, intelligentes quidam ſubdubitant nihil. Sat eſt, omnes modo conquieſcere in Belgio, et ſtari definitionibus Sedis Apoſtolicæ, quas fidelium conſenſus proxime et ſenſu pleno et vſu, et omni cultu ſummoque affectu excipit. Ipſe quin etiam Iprenſis *Ianſenius*, vir oppido doctus, et maturi iudicii, ſi hodieque ſuperſtes eſſet, primus, primarius et princeps ſui foret oppugnator; excuſandus, vti *Cyprianum* et *Hieronymus* et *Auguſtinus* antehac aliique purgarunt. De rebus publicis quæ diſſertas, ea ſane auidiſſime opperior. Perſicæ vires vtinam in Turcam exſurgerent! Hunc num Viennenſes ſerio cogitent, multum hæſito adhuc. Quæ hucuſque ſpar-

ſere hanc in rem, emulgendis marſupiis valuere: cetera ineptiunt. Experiundo ſuſpicari diſcunt tandem hebetiores, alio ſpectare remiges; alio prouehi cymbam. Comitia in incerto ſunt. Qui poſt ſiparium latent, ea mox oſtentant; mox omnem ſpem auferunt. Ludibunda in rebus Imperii aula illa quorſum tandem exitura ſit, coniectatu non eſt impeditum iis, qui mores eius et regulas in numerato habent. Fœdus noſtrum ni vigeret, ludi poſſemus, et proturbari penitus ab omni et pacis et honoris fructu. Sub huius vmbra præſtolari licet Comitia; temnere et herilium moliminum et eius formidinis intemperias, quæ Ordinibus nimium familiaris euadit. Sed oro, vt finiam, obſecroque, quæ nunquam vel deſinam vel ceſſabo rogare precarique, vt cenſuram Scriptorum noſtri publici iuris, ciuilem prudentiam, Lampadiana et Grotiana tua nobiſcum communices. En! turbam votorum, quæ tute explere, ſi voles, vales. Vale, vir optime, et mihi indulgere pergito!

CCXLII.

Conringius, *Titio* excuſato, ad ſingula oppoſita ſtrictim reſpondet, ſuæ fidei principem articulum

lum proponit, plura oggesturus *Walenburchio* in arenam descensuro.

Helmstad. d. 16. Febr. 1662.

Binas tuas, quas d. 15. et 16. exarasti, vno momento accipio. Priores scripsisti commotiore, quam forte par erat, animo. Scripsit *Titius* indubie ex animi sententia, et, quamuis errauerit, tamen bono studio in errorem inciderit. Nec profecto a *Calixtino* instituto alienum quid praestitit, negans, illis argumentis, quae adduci solent in id, vti persuadeamur, rerum sacrarum certam notitiam haberi non posse ex sacris literis, quidquam inesse roboris, et vere eadem esse cum iis, quibus olim vsi sunt Sceptici, eoque in auctores ipsos posse retorqueri. Idem fecit *Calixtus*, et vrsi dudum ego. An pro dignitate muneris non satis bene sit exceptus Reuerendissimus Dominus *Walenburchius*, nescio: nec enim hactenus vacauit Titianas chartas perlegere. Si quid ea in re commissum, non probo: quin spondeo, nihil abs me commissum iri indecens, si forte mihi fuerit imposita necessitas *Walenburchio* respondendi. Opuscula, quae addidisti, non bilem mihi mouere apta sunt; mouere tamen commi-

miserationem, nullo Sanctæ Scripturæ, nullo antiqui Patris perspicuo testimonio comparente pro immaculata Deiparæ conceptione, cui tamen Ecclesia Romana non dubitauit Festum dedicare, populo rapto in superstionem, nulla fultam Ecclesiæ antiquæ consensione. Et vero Patrum quidem sententiæ aduersæ adeo sunt perspicuæ, vt eludi nequeant, nisi illis, quas *Poza* imprudenter protulit, aduersus Patrum auctoritatem exceptionibus. *Pozæ* elucidarium a Iesuitis etiam nonnullis verecundius haberi, haud negem: nimium enim quantum exorbitat, et censura Romana est damnatus. Certum tamen est, a Iesuitis quamplurimis, Hispanis præsertim, hodieque in summa haberi veneratione. Me sine discrimine Iesuitas odisse, nemo dixerit citra meam iniuriam. Inter eos sunt plurimi doctissimi Philosophi et Philologi, quos profecto facio maximi. Sunt et Theologici ordinis alii præclari interpretes Scripturæ, et subtiles rerum sacrarum tractatores; quamuis omnia illorum minime probem. *Bellarminum*, *Valentiam*, *Vasquez*, *Suarez*, *Petauium*, *Maldonatum*, *Cornelium a Lapide*, *Pererium*, *Toletum* et similes, quos inter est *Sirmondus* et *Pallauicinus*, si supine spreuerim ego, stultus e-

qui-

quidem sim. Tale aliquod odium Iesuitici sodalitii vbinam, quæso, in meis scriptis aut factis vnquam deprehendisti? Nolo tecum imposterum contendere per literas super iis, quæ ad principia Religionis nostræ attinent, ne sim grauis, et centies eadem repetam. Si Reuerendissimus Dominus *Walenburchius* quidquam serium et momenti grauioris *Concussioni* meæ opposuerit; forte dabitur denuo occasio, argumentum hoc agitandi, in quo reapse versatur omnium controuersiarum cardo. Fortassis tum et de præscriptione agendum fuerit. Interim quæso, cures tibi illud argumentandi genus monstrari in quoquam Logico scripto siue gentilis siue Christiani auctoris. Si non inueneris, an non vel hoc satis est euincendo illi, quod sæpius repetii: argumentandi illam rationem veræ Logicæ artificibus plane fuisse ignotam. Patieris interea æquo animo, a me illud haberi certissimum principium Christianæ doctrinæ: *Quicquid in S. literis proditum non est, siue noue sit traditum, siue iam antiquius sit; ad salutem æternam non est necessarium.* Huius autem principii veritas duobus hisce nititur. I. *Ratio perueniendi ad salutem æternam sola reuelatione addisci potest.* II. *Doctrina reuelata in sola reperitur*

Scriptura. Num tu possis tui lemmatis, quod vocas, certum aliquod reddere principium, dubito. Probandum autem tibi fuerit, Ecclesiam Romanam (nam hæc tua est Ecclesia), certo tenere reuelatam doctrinam. Verum vt ante dixi, de hisce malim disputare cum *Walenburchio*, præsertim cum videam tibi id omne molestum esse et nauseosum. Viennensium siue socordia, siue malis artibus, vereor, ne in graue incidat periculum Germania; ante omnes vero partes illius ipsamet Austria. Videtur enim Persici motus fama iam tum euanescere. Præter hunc autem nec in Asia, nec in Africa habet Turca, quem metuat. Vt proinde, illo sublato periculo, omnes vires possint in Hungariam effundi. Quamuis vero non illa sint Turcæ, quæ olim, arma; attamen composita cum nostra militia, quæ disciplinam non audit stipendiis haud procedentibus, sic satis sunt valida, præsertim accedente illa inepta ratione consiliorum Viennensium. Deus te seruet, Illustris Domine, et publico et meo quoque priuato bono! Iam hæc finieram cum offeruntur literæ iunioris *Vorburgii*, hominis forte haud mali; at eruditione quam disparis Patruo! Si iam tum omnia

mnia

mnia Vorburgiana nondum abſoluta ſunt, huius hæredis opera non ſane vnquam perficientur. Doleo profecto vicem tam præclari operis. Intelligo vero, mitti mihi poſtremos duos tomos poſthumos. An ſint exſpectationi reſponſuri, dubito.

CCXLIII.

Boineburgius, Grotiana quædam mittens. Grotio iniquos ſcriptores odit.

Moguntiæ d. 21. Febr. 1662.

Epiſtolam tuam d. 22. Ian. ſcriptam recte accepi. Neque illam cenſura de Scriptoribus publici iuris iucundiorem reddidiſti. Tam affectata eſt eius obliuio. Tua de rebus publicis et ciuili prudentia, vt et Lampadiana, auidiſſime opperiar, cumprimis Grotiana. Quod *Grotium* pro cetero tuo candore laudare vis, præclarum, crede, opus ſuſcipis; etiamſi collegis forte quibuſdam tuis haut vſquequaque laudatum. *Feldius* ſui quid videtur vobis reliquiſſe? Et neſcio, an *Eichelius Grotium* de iure belli et pacis magni faciat. Etiam *Gronouius*, vir cetera perdoctus et antiqui ſa-

poris eruditionem affectari folitus, *Grotio* eft iu-fto iniquior. *Salmafius* in maligna fua eius cum *Voffio* Patre comparatione, quam indies Tiguro ab *Hottingero* recipere fpero, cauffatur, *Grotio* ingentem errorum fyluam monftraffe Helmftadii *Feldium*, qui fimul eiufdem in demonftrando imperitiam medio Soli expofuerit. In Theologicis *Grotium* fpernit penitus, et *Socini* congregem effe ait. In poëfi multos ei præfert. In Philofophia nihili eum penfat: in Critices et Philologiæ ftudiis infra plerofque abiicit. In iure tam nauci pendit, vt poft omnes vel valde mediocres ponat. Simulac ab *Hottingero* illam liuidam epiftolam redipifci dabitur, continuo ad te eam legabo. Simile quiddam in hac inter *Grotium* et *Voffium* contentione, fed maiore iniquitate, et in omni parte, *Salmafius* per epiftolam aufus eft, quale olim *Longolius*, at modefte et circa facundiæ modo victoriam, *Erafmum* inter atque *Budæum*. *Wangnereccii* paucula ad *Grotium* ecce mitto! Comitia ad Kal. Iun. funt tandem indicta. Vale!

CCXLIV.

CCXLIV.

Conringius magni facit *Grotium*; ſed non ſine exceptione.

Helmſtad. d. 19. Febr. 1662.

Pro communicata cenſura *Wangnereccii* Ieſuitæ in *Grotii* libros de iure belli ac pacis habeo gratias: reddam, ſimul deſcripta fuerit. Placet enim habere illam, ſaltem in exemplum inepti acuminis Loiolitici, cum nihil omnino repererim in illa ſanum, niſi vnicum illud, quod *Grotium* ſeiungat a ſuæ Eccleſiæ hominibus. Et vero extra illam et vixit, et defunctus eſt; quantumuis nimio pacis eccleſiaſticæ ſtudio fuerit interdum plus æquo illi indulgentior. Nondum deeſſe etiam hic, qui *Grotio* ſit iniquior fortaſſis, doleo equidem. Quod ſi tamen quis ſolidis rationibus, non conuitiis, non cauillationibus, agat; non ferendum duntaxat, ſed etiam laudandum fuerit. Ita enim demum poterit nobiliſſimum illud argumentum recte excoli. Nec *Grotius* ipſemet *Pythagoram* aliquem haberi ſeſe voluit, cuius nudis aſſertionibus ſit ſtandum. *Gronouium* auſum in illo doctrinæ genere cum *Grotio* contendere, miror, et prope indignor. Hactenus ſane ille mi-

hi ſeſe probauit doctum quidem Philologum; at nec Philoſophum, nec Iuriſperitum, nec Theologum: qualis qui non eſt, ineptus profecto eſt ad cenſuram in *Grotium* inſtituendam. Si daretur Gronouiana illa legere, fortaſſis tamen mutem ſententiam. Quæ ex epiſtola Salmaſiana recitas, arguunt malignitatem aliquam animi, qualem iam tum deprehendi in iis, quæ *Simplicii Verini* nomine prodierunt. Vt animum nunc appellem ad cenſuram iuris noſtri publici Scriptorum, vetant occupationes infinitæ, quæ me diſtrahunt. A Feſto Paſchatis ſpero paratiorem me fore, quoniam conſtitui proxima æſtate, ſi Deus annuerit, Lampadiana et tractare denuo et publicare. Verſor nunc horis ſucciſiuis in perficienda ciuili prudentia. Comitia indicta eſſe in Kal. Iunias, iam tum acceperam. At ſi vera ſunt, quæ iam narrantur de motibus Conſtantinopolitanis, et occupato per Perſam Bagdato ſiue Babylonia, vereor, vt mutent ſententiam Aulici Viennenſes, ſoluti ſcilicet Turcici periculi metu. Vale!

CCXLV.

Boineburgius cum *Conringio* mauult de republica col-

colloqui, quam ventilare controuersias Theologicas, et inter alia catenam auream a *Lioneo* missum iri prænuntiat.

Moguntiæ prid. Kal. Mart. 1662.

Heri sub meum Francofurto discessum accepi literas tuas, iurgatrices quidem; at nihilo tamen insuauiores: quin vel hoc nomine gratissimas. Falsus es opinione, dum credis, me iracundo nuper animo vel commoto fuisse, cum de *Titio* scriberem. Displicebat hominis in stilo non acumen, sed aculeus æquo frequentior ac immoderatior. Cur non respondet *Walenburchio* ad *Ernestinum III. motiuum*, si *Calixti* vel tantilla ipsi reuerentia reliqua est? Quod multos Iesuitas magni facis, per est bene, neque arbitrer, *Scioppio* contra illos te in omnibus promiscue fidem plenam adiungere. Legeris procul dubio, quæ pro sui defensione in Antanatomia sua *Forerus*, *Albertius* item, tum *Pallauicinus* aliique pari elegantie tradiderunt; *Masenius* denique, cuius recens editum libellum en! tecum communico, quod inibi *Titianis* stomachationibus et dentatis obiectiunculis vtrumque crus concerptum et fractum videatur. Nec sibi quoque *Walenburchius* de-

deerit propediem, vbi vacui plusculum temporis succidere continentibus et catenatis, quibus distenditur, laboribus, ac suffurari valuerit. Quicum quod collationes eruditas inire paratus es, profecto lætor. Malo quippe ego tecum agere de republica, et de tritura negotiorum Status. Ast quid dissimulas pollicitationem tuam de censura Scriptorum publici iuris? Quid interprimis denuo spem de ciuili prudentia? Vin' Lampadiana forsan premere, donec Comitia fuerint terminata? *Grotianam* vero laudationem nunc præ ceteris tuis scriptis omnibus immane quantum expeto videre. Quæso, ne obliuiscare, si qua ad nundinas mihi transmitti possunt. In SS. literas vniuersas Grotiana commentaria, manu *Grotii* interpolata, locupletata, correcta, paucis demum abhinc diebus e Gallia accepi. Magno constant mihi. In omne Vetus Testamentum et super Euangelia curas suas ita exposuit, prout eas et quales edi in publicum vellet, si secundum edendæ forent. Iam recudit omnia opera iunctim sub diuersis tomis, in nouem, ni fallor, tomos tributa, *Blauius* Amstelodami, cui Manuscripta istHæc transmittam, vt editio fiat eo luculentior et emendatior. Quæ in Acta Apostolorumque Epi-

Epiſtolas et Apocalypſin annotauit, quoniam ab obitu auctoris demum prodierunt impreſſa, non ſunt quita relegi ab ipſo. Neque credo, iis quicquam poſtilla fuiſſe adiectum. Sed finire iam cogor. Maſenianus hic libellus tibi ad pleraque reſpondebit. Vale, vir amiciſſime! Comitia nuper ſcripſi, in Kal. Iun. edicta eſſe. Scripſi mendoſe: in VIII. Iun. ſunt indicta *. An praeciſe ea dies vel delegatos Ordinum, vel ipſam ſit propoſitionem tractationumque et actionum exordium receptura, non vacat dubio. Caeſar, niſi Turcico motu nimis inualeſcente, rem vix multum feſtinaturus videtur. Eminentiſſimus Elector ad Comitia non proficiſcetur, niſi et Caeſar adſit. Interim, donec illa reapſe inchoentur, Francofurti perſtandum erit. Foederis vero concilium, illis coeptis, pariter Ratiſbonam transferri poteſt. *Lioneus* per *Grauellum* tibi auream catenam mittit. Credo, amici eſſe, vt praenuntiem.

CCXLVI.

* Teſtibus literis Imperatoris ad Moguntinum apud *Londorp.* t. 8. p. 8u. ſeq.

CCXLVI.

Conringius quosdam syllogismos mittit a Fatribus Walenburchiis soluendos.

Helmstad. d. 26. Febr. 1662.

Hoc pene momento libellum *Masenii* et accipio et euoluo. Multum autem te falli, *Titiana* hoc libello confutata esse, iam tum deprehendo. Aliis longe argumentis vsus est, quam *Titius*, is, quem sibi confutandum suscepit *Masenius*. Nihil enim aliud propositum fuit *Titio*, quam ostendere, D. D. *Walenburchios* vsos esse ratiocinationibus Scepticis, quasque proinde liceat etiam contra ipsos retorquere. Idem ego iam tum, paucis licet verbis, exprobraui *Haunoldo* et *Erbermanno* Iesuitis, aduersariis meis, et in D. D. *Walenburchiorum* scriptis dudum obseruasse me videor. Huius vero nihil opposuit ille vobis *Steinbergius* *. Vt res omnis clarissima euadat, mitto schedulam, quinque duntaxat syllogismos comprehendentem, examinandos a D. D. *Walenburchiis*, simul vacauerit. Omnium illorum Maior propositio est Walenburchica, nisi fallor. Sin;

gau-

* *Io. Melchior Steinberg*, Professor Theologiæ Herbornensis, in *idea vera Papismi:* cui *Masenius* opposuit *Sirenam Reformatorum.*

gaudebo equidem illos emendaſſe nonnihil ſuas theſes. Rogo, velis Reuerendiſſimos illos Fratres meo nomine officioſe ſalutare. Mihi ſatiſfecerint, ſi ad Maiorem pariter et Minorem propoſitionem paucis reſponderint. Liber de ciuili prudentia, ceu dixi, prodibit Deo volente proximo menſe Martio. Grotianas tabulas nondum prælo commiſit bibliopola noſter. Cum illis prodibit mea etiam commendatio. Vtrum *Blauius* ſecundam editionem Grotianorum commentariorum in N. T. breui ſit curaturus, vehementer dubito, cum iterato iam ſint editi in illuſtri illo opere Anglicano *Critici ſacri*. Vt tu mittas *Blauio* tuos illos codices, priuſquam ille ſecundam editionem fuerit aggreſſus, haud ſuaſerim: noui mores et ingenia typographorum. Longe ſatius fuerit, ſi cures ſeorſim edi illa Grotiana annotata. Ita ſane multum commodabis omnibus, quibus prima editio iam eſt in manibus, nec moraberis exſpectationem virorum eruditorum, *Grotio* fauentium. Si placuerit deinde, poterit ſuam nouam editionem illis annotamentis *Blauius* locupletare. Impetrato Cæſareo priuilegio poteris, niſi fallor, et impenſas tuas reſarcire. A *Blauio*, præter vnum atque alterum exemplum, vix eſt quod ſperari poſſit. Perquam tenax mercator eſt et illiberalis. Si

Tur-

Turcici belli metus recesserit, mirum, vtrum tempestiue successerint Comitia. Audio illa directum iri a Comite *Auersbergio.* Id quod si ita est, gaudebo equidem. Vnus sane ille præ multis et æquior semper est visus, et sapientior. Quid si et *Wallendorfius* personam mutet, qua ipsum induerunt Austriaci, tuque in locum dudum tibi debitum * succedas? Ita sane demum sperauerim aliquid ex Comitiis commodi. Hactenus vix credo, veras esse, quæ parantur, nuptias, præsertim si ita, quemadmodum narratur, tumultuatur miles prætorianus Constantinopoli, et Bagdadum Persæ cesserit. Nosti, Persam pariter et Turcam sese profiteri Vicarios Prophetæ Muhammedis; perinde atque vester Papa Vicarius et successor vult haberi Sancti Petri: verisimilius autem in vulgus posse videri dogma illud Persicum, quoniam Persa est ex posteritate Muhamedis oriundus; non Turca. Nosti pariter, quantam in animis hominum vim habeant eiusmodi superstitiones. Certe Turcæ nulla re magis est formidabilis Persa, quam illa opinione Vicariatus. Vale, ac salue plurimum.

---

* Procancellariatum Imperii in mente habet.

Errata exstantiora sic corrigantur.

p. 7. lin. 11. pro LVXENWICK reponatur *LVTZENWICK.* p. 13. lin. 10. pro EVNDEM reponatur *PRVSCHENCKIVM.*